
ACTA TOMICIANA.

TOMUS QUARTUS.

Tomus IV.



Posnaniae, typis Ludovici Merzbachi.


TOMUS QUARTUS EPISTOLARUM. LEGATIONUM. RESPONSORUM. ACTIONUM ET RERUM GESTARUM.

SERENISSIMI PRINCIPIS SIGISMUNDI PRIMI, REGIS POLONIE ET MAGNI DUCIS LITHUANIE.



PER STANISLAUM GORSKI, CAN. CRACOVIEN. ET PLOCENSEM.

A. D. MDXVI-MDXVIII.



Łaskawy Czytelniku!

Posunęliśmy się o krok naprzód, i dziś składamy Ci IV^{ta} księgę Tomicianów, — druk $V^{téj}$ jest rozpoczęty. Z boleścią jednakże wyznać nam przychodzi, iż pomimo prośby naszéj, zaniesionéj do wszystkich literatów polskich, jeden tylko P. August Bielowski raczył nam udzielić materyałów do dalszéj pracy; bodajby przykład i gotowość do wszelkiego dobrego, jaką się odznacza ten zacny mąż, liczniejszych wzbudziły naśladowców.

W dalszym ciągu zbioru Górskiego poczęści niedostaje historycznych poglądów, jakiemi tenże piérwsze roczniki Tomicianów zaopatrzył: dla zastąpienia téj wielkiéj straty, użyliśmy znanych wypisów Karnkowskiego, sporządzonych niegdyś dla wygody Stefana Batorego.

Kórnik, 1. Marca 1855.

T. D.

I. Annus Domini Millesimus, Quingentesimus Sedecimus.

Ad initium ejus anni *Sigismundus*, rex, rebus in Polonia ita ut memoratum est ordinatis, ad Lithuaniam veniens, animos Lithuanorum a bello aversos invenit, quo longo bello fatigati ac continuis tributis exhausti essent, nec ad conferendum tributum novum induci eos posse, qui suis se viribus domesticis sine Polono milite defendere belliquc gloriam non jam Polonis, sed sibi ipsis vindicare velle constituerant. Quam ob rem rex, persoluto stipendio, exercitum a statione dimisit non invitus, tum quod Mosci fatigati et crebris cladibus attriti quieturi eo anno ducebantur, tum quod spes nonnulla pacis cum Mosco, operante cesare Maximiliano, ostendebatur; qui promissis et federi viennensi satisfacere volens miserat *Baltazarum Eder* in Moscoviam ad Basilium, Moscovie ducem, apud quem etiam prior orator *Pantaleon* antea missus commorabatur. — Nunciatum ei: se propter bella Gallica et Italica non posse ei ferre auxilia adversus Sigismundum, regem Polonie et Mg. ducem Lithuanie, neque per sancte christianitatis jura et fedus cum ipso Sigismundo et fratre ejus Vladislao ceterisque regibus ac principibus christianis ad expeditionem contra Turcos initum licere sibi arma adversum eum christianum principem sumere, qui cum regno et populis suis ad eam expeditionem magno ex usu esset futurus, quique suasu cesaris honestam pacem cum isto Mosco, modo is ab ea non abhorreret, esset suscepturus. Quam ob rem cesarem rogare Moscum, ut cum Sigismundo, rege, generoso ac magnanimo principe, in gratiam redeat, neque propositum hoc pium ac sanctum regum christanorum belli in Turco suscepti, bello intempestivo in Lithuania interturbaret, et ne sanguis christianus inter eos profunderetur neve vires eorum domesticis bellis attererentur, que laudabilius contra Infideles converterentur. MDXVI. Cod. R.

Vadens autem is ispe *Baltazar Eder*, orator cesaris, cum hac legatione et cum conditionibus tractande hujus pacis ad ducem Moscovie, ad regem etiam Vilnam descenderat. Cui cum pacis conditiones aperuisset, unam ex his rex acceptare gravabatur, ut videlicet nuncios et consiliarios ad Moscum causa ipsius pacis mittere deberet, quod id dignitati sue regie non congrueret, ut ad eum hostem mitteret, qui contra fas ac jusjurandum bellum sibi et ingentia damna intulisset, ne censeretur ab illo, eo jam loci se redactum esse, ut pacem ab eo peteret, cum nulla ad id necessitate constringeretur: velle se tamen nuncios suos cum plena facultate et sufficienti instructione vel ad civitatem Rigensem mittere, ut illic cum nunciis Mosci convenirent, vel ad fines separatim in locum aliquem commodum sue cujusque ditionis, inter quos nuncius cesaris commeando tentaret pacem honestis modis nomine cesaris conficere.

Quod si dux Moscovie utrumque facere recusaret, regem consentire, ut fieret compromissum in cesarem, ad quem mitterentur a singula parte tres nuncii, qui facto juramento justi et equi consilii rem inter se tractarent et expenderent. Quam si coequare et diffinire possent, cesar pronunciaret, quod justum et conveniens ei videretur, et interea temporis, dum hec fierent, inducie convenientes ac firme statuerentur.

MDXVI. Ad eum itaque modum Baltazar, orator a cesare et a rege instructus ad Moscum perveniens, alterum illic oratorem cesaris Pantaleonem invenit, qui a primo federe cum pristinis mandatis in curia Mosci commorabatur. Hic Baltazarum, quod preter spem legationem attulerat, accusavit apud Moscum, quod non orator a cesare sed explorator venisset. Parum itaque abfuit, quin iniqua morte vel fedo carcere perierit. Post, audita legatione, Moscus accusavit cesarem et querebatur de illo, quod eum deseruerit, verumtamen a proposito belli adversum regem gerendi abduci non potuit. Baltazar vero sub magna illic custodia habitus est, nec permittebatur cum quopiam colloqui. Post in Aprili abire jussus, ad regem veniens dixit: nihil se responsi a Barbaro preter literas ad cesarem ferre, in quibus tamen quid contineretur se prorsus ignorare; sed neque que fuerit mens ejus ac voluntas ad pacem aut ad bellum, quive belli apparatus cognoscere potuisse, eo quod cum nemine colloqui illic potuerit, cum in tanta habitus fuerit custodia, ut pro singulari felicitate putarit, quod salvus ac incolumis elapsus inde fuerit. -- Narravit vero idem Baltazar, magnam esse in Moscovia rerum omnium angustiam, ducem etiam Michaelem Glinski arctis vinculis teneri; hec se didicisse ex duobus pueris Almanis, quos cesar illic antea miserat, ad Moscam linguam ediscendam, qui clam ad eum ventitabant.

Baltazar ex Moscovia abeunte, Pantaleon etiam illinc expeditus est. Cum quo una legati Moscorum ducis ad cesarem missi erant, quos in Livonia relinquens, ipse Vilnam ad regem excurrit, sed de pace nihil retulit. Dux enim Moscovie responderat illi, se legatos nec ad regem nec ad regem Danie mittere velle, consuevisse Lithuanos semper pro pace legatos ad Moscoviam mittere, et nunc, si vellent Lithuani, peterent a se salvum conductum pro legatis eorum, quem tamen daturus sit nec ne, esset in arbitrio suo. Grave Mosco videri, si patrimonio suo h. e. arcibus his, que sunt in Lithuanorum potestate renunciare deberet.

At rex parum spei habens in his oratorum ceraris tractatibus, mox ab initio antequam hi ipsi oratores illinc ad se redirent, accingebat se ad bellum contra Moscos, cesaremque Tauricanum sibi in auxilium ascivit, qui initio anni hujus, missis ad regem legatis, fedus priscum, quod olim inter patrem ejusdem cesaris et regem ictum erat, innovavit, legatisque ejus expeditis donativum ac munera per eos cesari misit, ut arma in Moscos sumeret. — Sed vafer ac fraudulentus barbarus similes tractatus cum Mosco habebat, et ut Poloniam ac Lithuaniam bello infestaret, donativum etiam aliud ab eo accepit. Unde Sigismundus, rex, licet dubius esset de fide Tartari, non credebat tamen, eum cum magno exercitu in dominia sua invasurum preter furtivas predatorum excursiones, contra quas tamen satis provisum esse videbatur eo milite mercenario, qui ad presidia Russie scriptus erat, et ob id cogere in castra universam nobilitatem regni necessarium non putabat; vel ob id maxime, quod ejusmodi motio nobilitatis damnosa semper regno fuerit nec multum ab hostili invasione differens. — Attamen rex ipse in Lithuania bello Moscitico intentus hortabatur crebrius per literas et nuncios optimates regni, palatinos, castellanos, capitaneos primariamque nobilitatem Russie viciniorem, ut ad milites illos presidiarios, ubi hostis veniret, sese adjungerent et vim ejusdem una reprimerent. Post aliquantum temporis crebri veniebant in Poloniam nuncii ab excubiis: Tartaros cum valido exercitu in Russiam ac Podoliam venturos

ros esse. Hinc fecit quod potuit Christophorus Schidlowyeczki, pal. et cap. Cracoviensis, regni cancellarius, vicegerens regis; convocari instituit nobilitatem terre Cracoviensis ad conventum Prossevicensem ad occurrendum imminenti periculo ac ad statuendum, quod vel majorem stipendiariorum numerum, collata pecunia, conducerent, vel ipsa nobilitas suis personis ad succurrendum periclitanti Russie accurreret. Sed paritum ei non fuit: etenim dure cervicis populus nobilitas Cracoviensis, domi turbulenti ac seditiosi, militie vero inertes ac ignavi, nec presidia augere, nec contra hostes ire voluerunt scilicet ne statutum sacerrimum violarent, quo cautum sibi: — a Ludovico rege cautum voluerunt — „nobilitatem sine rege ad bellum ire non debere.“ Quam quidem legem adeo retinent ac tuentur, ut etiamsi hostis per jugula in domibus eorum eos corripiat, vinciat, tecta urat, uxores, filios, filias captivas ducat, non tamen in hostem sine rege eunt, quin etiam, si hostis ipse post data eis quantumvis ingentia damna, a regno discedens spatio sex cubitorum post limitem regni consistat ac commoretur cum quantacunque eorum preda, tamen eum non adoriuntur, non persequuntur, non ulciscuntur, sc. ne si limitem transcederent, legem irritam ac innanem redderent. Quod si cogat eos rex ultra limitem regni progredi, poscunt, clamant ac vociferantur cum tumultu, cum rabie, cum fremitu, ut rex solvat eis singulis, seu emat unamquamque hastam octo marcis pecunie, ad quas neque Cresus neque Darius suffecturi essent. Hoc autem ideo fit, ut ne pugnent homines vehementer rixosi, vehementer meticulosi. Inde fit, ut vicini et hostes: Valachi et Tartari, scientes hanc legem apud Polonos summe custodiri, libere, sine metu, tuti ac securi, Poloniam ac Russiam, quandocunque eis collibuerit, invadant, vastent, depopulentur, exurant, diripiant et omne genus hominum pecudumque abigant in miserandam captivitatem. — Sed unde discessit, redeat oratio. MDXVI

Quum in tanto discrimine Cracovienses populi Schidlovicium, palatinum ac vicegerentem regis, non audirent, cetera nobilitas aliarum terrarum eorum secuta exemplum, Russiam ac Podoliam, potissimam regni partem, Tartaris vastandam prodidit. — Quorum quidem Tartarorum XL milia sub quatuor ducibus, cesariolis, filiis Tauricani cesaris, in mense Julio Russiam invadendo castra seu stativa sua non procul a Busko, oppido Russie, posuerunt, unde divisi per cohortes partem illam regni, pagos ejus, vicos, oppida atque agros ferro ac igne vastabant predasque pecorum, equorum, hominum rerumque desiderabilium ad stativa illa comportabant. Insuper ultra Tyram flumen ad montes usque Hungaricos progressi, villas etiam illic ac oppida Hungarorum depopulati sunt, segetes et fruges — messis tum erat — exusserunt, homines sexus utriusque, viros ac mulieres, juvenes, virgines, pueros ad L milia ceperunt, senes ac infantes, quos tenera vel senilis etas ad laborem itineris invalidos fecit, conciderunt et Russiam ad XL miliaria Polonicia in longum et latum desolatam reddiderunt. Difficilis erat fuga a facie gladii, a facie persecutoris, cum ab omni parte hostis immineret, agri, pagi, oppida ac delubra flammantia cernerentur, timorque ac terror omnes occuparet, ut, quo se miseri mortales verterent, non haberent; uxores aliene, matroneque honeste ac innupte virgines, spectantibus maritis ac parentibus violarentur, senes ac infantes conciderentur, omnia cara eriperentur, viri ac juvenes vincti juxta ac pecora in servitutem ducerentur. O miserandum et plenum luctus spectaculum! Et

MDXVI. Et non erat his auxiliator, nemo indoluit, nemo accurrit ex his, qui sese equestrem ordinem, militarem statum, defensores patrie, robur ac firmamentum regni arrogantissime crepant, quum nihil minus sint, domi seditiosi, foris imbelles. Nemo horum arma induit, nemo, inquam, accurrit preter Martinum Kamienieczki, palatinum Podolie. Qui cum Stanislao Lanczkoronski, cap. Kamenecensi, et Joanne Tworowski et cum mercenario milite conjunctus e Miedzyboze excurrens cohortem unam hostium predatum longius egressam ad Trembowla fudit, predamque et captivos ademit. Idem alteram hostium cohortem alio in loco ad Podocium totam delevit. Quo tamen in loco hostes, cum illic eis in ore gladii pereundum foret et effugium non pateret, ne inulti caderent, in captivas puellas ac pueros, quos cum cetera preda ad stativa ducebant, rabiem suam verterunt et gladiis omnes conciderunt ipsi vicissim a nostris trucidati.

Quum ad eum modum Tartari, gens nefanda, per totum Julium et Augustum Russiam vastantes, preda jam pleni e stativis illis abituri essent, oppidum Busko munitum intercipere et expugnare conati sunt; sed eo non potito, strenue se oppidanis defendentibus, suburbio ejus incenso cum omni preda abierunt. Quos Nicolaus Firley, cap. exercituum regni Polonie generalis, cum Martino Kamienieczki, pal. Podolie, cumque militibus illis presidiariis nonnullisque Russie ac Podolie proceribus ad Wiszniewiecz usque insecutus est, verum parva manu — duo milia erant — cum illa hostium multitudine confligere seque et suos perdere noluit. Quo tamen in loco ducenti Tartarorum, armis Polono more induti, longius a suis predandi gratia progressi, a nostris cesi sunt. Cetera illa spuria Machmeti colluvies inulti abiere.

Lithuaniam etiam inermem ac imparatam depredarunt.

Lithuanie autem ac Moscovie res ita se habuere. Basilius siquidem Moscorum dux sub id tempus, quo Tartari in dominiis regis grassabantur, rerum suarum in Lithuania satagebat, nactus spem ex occasione sublata recte gerende rei sue. Enimvero Vitepscenses fere omnes, tam cives quam nobiles, Vilnam ad regem venerant, questum adversus prefectum suum Janussium Koscziegniewicz, palatinum Vitepscensem, injurias gravissimas, avaritiam ac rapacitatem ejus ferre jam ulterius non valentes. Hi dum Vilne longo tempore retinentur, consiliariis Lithuanis raptorem defendentibus, id, quod reliquum domi eis erat, absentes amiserunt. Etenim Moscus, cognito domo eos abesse, misit exercitum suum ad oppugnandam Vitepsko, qui et civitatem prenderunt et pagos circumquaque exusserunt, segetes in agris partim equis ac jumentis depasti sunt, partim conculcarunt et contriverunt; itaque calamitosi illi homines, omnibus facultatibus nudati, quo se verterent, nesciebant. Eorum fletus ac lamenta exaudiebantur et clamor in celum, et de arce quidem Vitepscensi et rex et qui penes regem erant, ceterique omnes desperabant, quod et pauci in ea defensores essent et commeatum sufficientem et pulveres bombardarios non haberent, nec exercitus Lithuanicus in castra coactus erat, sed domi se adhuc omnes continebant. — Ceterum tulit Deus, seu fortuna, seu fatum opem ignavis ac desperatis hominibus. Tartarus, cesar Tauricanus, miserat Cesareolum, filium suum Bohatir Soltanum, natu majorem, cum exercitu LXXX mil. Tartarorum in Moscoviam, qui ex devastata Russia nuper reversi erant. Hi Moscoviam longe ac late ferro et igni vastabant predasque hominum ac pecorum undequaque

que agebant. Qua subita ac insperata invasione a socio et confederato cesare dux Basilius perterritus mira celeritate exercitum suum ex Lithuania a Vitepsko revocat et objicit Tartaris, qui felicibus ex Russia successibus elati et per aruspices bene de victoria sperare jussi pugnam cum Moscis commiserunt, quibus longo certamine fatigatis et a multitudine Tartarorum obtritis ac in fugam se effundentibus victoria penes Tartaros stetit. Feruntur in ea pugna XX mil. Moscorum cecidisse, insuper vero eorum tanta multitudo abacta, ut principem periculum et populi sui cladem intelligentem ad compassionem commovere potuisset, at Moscus hominem perinde ac canem estimat. Quantus vero ex Tartaris numerus in eo conflictu perierit non constat, cum ea gens nihil ad posteritatem literis commendare soleat nec de se ipsa quidquid referat aut jactet. MDXVI.

Parta hac victoria Moscoviaque devastata, cesar Tauricanus misit nuncios suos Vilnam ad regem, significans: se multum dolere, quod filii ejus incursionem in ditiones regias idque sine scientia et jussu ejus fecerint, quodque juramento ac federi inito cum rege ipse cum proceribus suis satisfaciens in gratificationem regis miserit cum filio suo natu majori Bohatir Sultano grandem exercitum in Moscoviam, quam igne, ferro, preda, cede affecerit, et denuo vellet iterum majorem exercitum mittere et arces oppugnare, dummodo que sit erga eum regis voluntas cognitum haberet; atque pro majori federis certitudine se filium suum pro obside una cum nunciis regiis, qui tum apud eum erant, ad regem missurum, quod quidem iidem nuncii regii per literas suas regi confirmabant et una significarunt, in Tauricana orda eam esse caristiam ut nec legumina, nec gramina, nec alia essent victualia, quam ob rem cogerentur ipsi Tartari stativa versus regiones polonas proferre et cis Borystenem apud nigram silvam hibernare, neque contineri eos a cesare posse, quin egestate fameque cogente in ditiones regias predatum excurrerent.

Denunciata hec mox fuere a rege Stanislao Lanczkoronski, cap. Kamenecensi, et Joanni Tworowski, ut et custodias seu excubias haberent, et ad imminentia pericula intenti essent. Ad terras etiam Cracovienses, Sandomirienses ac Lublinenses ac ad palatinos et presides earum litere restium, ut vocant, misse; ut et ipsi cum universa nobilitate ad bellum obligata in Russiam et quo necessitas posceret armati contra Tartaros in castra convenirent. Itaque consiliarii earum terrarum, superioris cladis memores, habito mutuo consilio, conventum autore Christophoro Szydlovicio in oppido Mieliecz egerunt, in quo decreverunt: mille equites ex publica pecunia, que etiam negligenter et non ab omnibus conferebatur, conducendos esse, et his qui in presidiis Russie essent adjungendos, nobilitas vero deses domi jaceret.

Ecce in mense Decembri Tartari a hercinia silva egressi agmine quadrifariam dimisso predatum in Podoliam excurrerunt, pars ad Kamieniecz, altera ad Latovicium, pars tertia Miedziboze, quarta ad Zynkow. Contra quos Nicolaus Lanczkoronski, cap. Kamenecensis, qui Miedziboz et Latovicium tuenda susceperat, bino congressu hostes fudit, predam eripuit et nonnullos ex eis primores vivos cepit, Farurey cum stipendiariis quadringentos Tartaros sub Miedziboze ad villam Radzinicze d. VII Decembris profligavit; postridie vero Jacobus Seczigniewski, dux mercenarii militis reliquam hostium manum apud Zynkow delevit,

MDXVI. levit et captivos plurimos cepit. Pauci ex his eorum cedibus vivi remanserant, quos fuga salvos fecerat.

Propter has autem hostiles incursiones nobilitas Polona, cum Russiam Tartari vastarunt, domi in otio jacens tumultuarie adversus regem stomachari, accusare, culpare non desinebat, quod non majorem stipendiariorum numerum ad presidium Russie scripserit, quod non ex Lithuania, obmisso bello periculoso Moscitico, in Russiam repente advolaverit, quod non ipse presens in propria persona sua regia ex prescripto legis nobilitatem contra hostes duxerit, quasi vero illi obedire regi et imperata ejus facere prompti paratique essent, subitoque accurrissent, cum tamen non nisi post terna restium edicta, post conventicula sua singularum castellaniarum, post tot remoras domo ad bellum exeant, idque non ante, donec prius messis ubique quaque ierint, ac segetes frumentaque in agris matura ac parata fiant ad rapiendum, depascendum conculcandum. Tartari autem nec legem nec tempus hoc respiciunt, subito veniunt et repente, dato damno cum preda exeunt.

Fiebantque adversus regem absentem conspirationes. Audiebat hec rex, nec tamen commovebatur, cum per eum nihil steterit immo vero egerit, que ad eum pertinebant omnia. — Verum cum nobilitas ipsa obedire nescia, absente rege, nec edictis ejus, nec vicegerenti nec ceteris presidibus suis parere vellet, tributum insuper publicum jam antea diu militie causa institutum tarde ac maligne referret, sed nec potiores quique contribuerent, evenit, ut non esset, unde major exercitus stipendiariorum scriberetur. Ad hec non rex, sed nobilitas ipsa pecuniam hanc publicam dispensabat, culpam itaque rex a se in nobilitatem rejiciebat. Quin etiam omnes, quorum sanior mens erat, omne damnum a Tartaris datum ignominiamque publicam, qua regnum affectum fuit, ipsi soli nobilitati imputabant.

Sed reliquum Lithuanicarum rerum prosequamur. Cum exercitus Mosciticus arcem Vitepsko, ut supra memoratum est, obsidebat, rex omnem militiam Lithuanam adversus Moscos expediverat, qui Lithuanorum adventu territi et simul per eorum ducem adversus Tartarum, Moscoviam, ut supra dictum est, vastantem revocati, soluta obsidione a Vitepsko recesserunt. Postea Lithuani, liberata Vitepsko ad expugnandam Homlei arcem hostilem a ducibus exercitus ducti sunt, qua cum propter firma presidia potiri non possent, domum redierant, damno tamen non parvo hostibus illato, de quo Petrus Tomiczki, eps. tum Premisliensis, regni Polonie vicecancellarius, in curia regis agens, his verbis scribit: „Lithuani non expugnata arce Homley domum reversi sunt, sed id ita eis successise sine Polonis stipendiariis mirum non est; nolunt enim credere, se absque Polonis nihil esse, et „tamen unionem nobiscum vehementer abhorrent.“ — Ex altera ejusdem Tomicii epistola sumpta sunt hec verba: „Gens hec neque auxilii neque consilii alieni patiens est, sui au„tem penitus expers.“ — Qualis autem Lithuanicarum rerum status tum fuerat ex hac subscripta ipsius Tomicii epistola intelligitur: „Status hujus dominii preceps fertur ad occa„sum suum propter nimiam negligentiam ac ignaviam horum dominorum, qui dum priva„tis suis commodis plus quam satis est intendunt, de his, que ad salutem Reipublice spec„tant providere et cogitare non curant, quo fit, ut in dies in majoribus discriminibus ver„sentur et dum nec mercenarium militem habere volunt, vel forte alere nequeunt, nec ipsi „soli sufficientes sunt suis propriis viribus tante hostili potentie resistere, conjecerunt se et regem

„regem suum in graves curas et pericula. Et in hisce tamen difficultatibus nec querere „quidem modum volunt, quo auxilia externa reconciliarent, aut saltem arces suas com„meatu et defensoribus providerent. Quod si fecissent, prout facere possent, si vellent, „servare illas optime possent, sed cum neutrum horum faciant et insuper miseros homines „magis in dies ac magis gravent et despolient, timendum esse, ne arces suas ipsas amit„tant neve homines pertesi tam diuturni belli et nimie rapacitatis ac injustitie ad hostes „deficiant.“ — MDXVI.

In *Prussia* etiam motus nonnulli eo anno erant, qui tamen in apertum bellum non eruperunt. Magister siquidem Prussie, marchio Brandeburgensis, cui ut juveni et inexperto dulce bellum videbatur, inita, ut ante memoratum est, cum Mosco et magistro Livonie societate belli adversus Sigismundum, regem, manifesta initia futuri belli jam tum prebebat, predones in terris et arcibus suis fovebat, qui mercatores et subditos regios spoliabant et occidebant. Presides etiam arcium subditos regios captivabant, carceribus vinctos tenebant, facultates eripiebant et que ipsi patrabant maleficia, eorum subditos regios accusabant; que singula longum esset scriptis mandare. Ad hec ambo hi magistri arma parabant, delectus militum faciebant constitueruntque, ut, cum Moscus rem in Lithuania ageret, illi eodem tempore vel in Prussia Elbigensem aliasque civitates regias interciperent, vel Samogitiam occuparent. Jamque magister ipse Prussianus exercitum suum sub fines Samogitie admoverat, verum audiens, fortia esse presidia in Samogitia et capitaneum ad confligendum paratum esse, res quoque Moscorum parum felices, exercitum retro abduxit, missisque tum literis tum nunciis ad regem se de suspicione hostilitatis purgabat. Que licet mera mendacia essent, rex tamen humaniter respondebat, actionem belli cum eo in aliud commodum tempus differendo, donec Mosco vel bello fracto vel pace reconciliato, magistrum, nisi resipisceret, armis coërceret.

Exortus etiam fuit in Prussia tumultus inter Gedanenses et nobilitatem regie ditionis propter predones, quorum aliqui in ipsa nobilitate fuisse et receptum apud eos habuisse dicebantur, et a Gedanensibus propter maleficia captivabantur. Sed res paulo post per consiliarios jussu regis composita et pace terminata fuit.

Alter tumultus major coortus fuit hoc anno in *Masovia* inter *Annam* Radivileam de Lithuania, Conradi uxorem viduam, ducem Masovie et inter nobilitatem, subditos ejus, qui pertesi muliebris dominatus, regnare hanc super se noluerunt, quod et inutilis esset tutrix filiis suis et redditus dominiales in Zalewski et alios impudicos ministros profunderet et per eum cuncta pro libidine administraret. Quibus rebus generosi animi subditorum illorum vehementer offendebantur. Quam ob rem congregati venerunt in *Makow*, fortalicium ducale, *Stanislaum* et *Janussium* filios Anne, jam legitimos habentes annos, a matre duce avellere et separatos inter senatores et consiliarios educari, cuncta per eos geri, jus subditis dici, redditusque ducales conservari ac ad rectam gubernationem ducatum illum restituere conati sunt. Verum a curia illa ex bombardis aliqui occisi, alii vulnerati ac repulsi fuere; sed gliscendo malo animisque valde acerbatis, cum res ad cedem domesticam spectabat, rex Sigismundus ei domestico malo mederi volens, aliquotiens turbam hanc per consiliarios regni, vadiis etiam penalibus interpositis, componi curavit. Que cum pluries per

MDXVI. per eos tentata propter partium tum injurias et pertinaciam sisti et pacificari non posset, perque annos prope duos inimice ducta per regem Sigismundum tandem et senatum in comitiis regni anno Dni. MDXVIII regio decreto terminata fuit. Quod quidem decretum inter actiones regias ejusdem anni scriptum continetur. Tragedia hec ex querelis utriusque partis ex mandatis et epistolis regiis abunde sciri potest, que eodem Tomo IV comprehenduntur. —

Hec eadem vidua, dux Masovie, cum didicisset, cesarem Maximilianum et Vladislaum, regem Hungarie, hortari Sigismundum regem ad secundum matrimonium, propositasque ei tres sponsas in conjugium: *Leonoram*, neptem Maximiliani, alteram Caroli, Hispaniarum regis *neptem* e sorore, tertiam, *Bonam* de Aragonia, ducem Bari cum ampla dote, inierat consilium cum Joanne Laski, archiepo. Gnesnensi, ut neglectis externis his sponsis, ipsam aut filiam suam in matrimonium acciperet. Impetraverat suasu archiepiscopi a Maximiliano literas ad Sigismundum, regem, ut vel matrem vel filiam sibi desponsaret. Scripsit tamen cardinalis Gurcensis regi, non placere cesari tale matrimonium, nec quod scripsit ex voluntate suä esse, literas tamen petenti mulieri negare honeste non potuisse.

Post redditas regi cesaris literas venit archiepiscopus in Lithuaniam pretextu visitationis episcoporum et diocesium Lithuanie. Is post crebros suos aditus ad regem, licet per multos dies dissimularit, qua causa precipue impulsus venerit, texens hec et alia, postremo tamen aperuit se, et collaudata imprimis multifariam filia ducis Masovie, suasit regi, ut vel illam vel matrem conjugio suo jungeret ac ut filie regis due infantule Stanislao et Janussio ducibus, filiis vidue, in matrimonio collocarentur, proponens inde regi ac regno commoda, que videlicet tanta illinc dos accipi possit, quanta fuit defuncte regine Barbare, demum hanc fore potissimam occasionem incorporandi regno ducatum Masovie. Sponsarum vero externarum honesta quidem essent matrimonia, nullius tamen utilitatis pro regno. Acceperat enim ab illa duce vidua ducatos mille hungaricos plurisque fecit pecuniolam quam honorem dignitatemque regis et regni amator hic patrie, cujus pretextu crebras in regem et in cancellarios turbas in comitiis regni per nuncios nobilitatis subornabat.

Postquam hac non successit, rem alia agressi sunt via. Venit ipsa dux vidua Vilnam ad regem cum filiis, ducibus Stanislao et Janussio, renovans priores querelas, damna, injurias ac difficultates a subditis suis, rogavit tandem regem, ut in reditu suo in Poloniam iter per Masoviam faceret, et ad se divertens discordiarum ac tumultuum finem faceret. Fuereque nonnulli ex senatoribus, qui regis mentem ad iter illud Masoviense flectere conati sunt, verum Petrus Tomiczki, eps., perpendens secum violentum esse cupidinis et veneris imperium mentesque humanas mutabiles et artibus maleficorum corda etiam generosa irretiri solere, horrescens has syrenes summo studio laboravit, dissuasit ac perfecit, quod rex obmissa Masovia recta iter suum Cracoviam ad nuptias Bone regine convertit.

Res Hungaricas, quia cum Polonicis conjuncte sunt, adscribere etiam hic licuit. Initio hujus anni MDXVI venerat a Vladislao, rege Hungarie, orator ad Sigismundum, regem Polonie, consolatum illum in luctu suo ex morte regine Barbare concepto, demum suasit, ut propter heredem regno relinquendum rex secundum matrimonium iniret propositis ei tribus virginibus iisdem, quas et cesar proposuerat. Retulit preterea, regem Hungarie inducias cum

cum Turco iniisse inclusumque regem Sigismundum cum regno ejus in ipsas inducias. — Responsum est nuncio. Acte imprimis gratie regi Vladislao pro tam officiosa ac fraterna consolatione, ad matrimonium vero in luctu recenti et bellicis inquietudinibus non posse animum adhuc advertere, nihil tamen de eo sine consilio Vladislai fratris facturum. De induciis cum Turco susceptis probavit factum regis Hungarie propter incertam Christianorum adversus illum expeditionem, cujus nulla tam cito spes esset, cum nulla indicia concordie inter christianos principes apparerent, gratum denique esse regi Sigismundo, quod se regnumque suum in ipsas inducias adjunxerit, qui licet haberet adhuc unius anni inducias cum Turco, missurum tamen esse ad illum nuncium suum ad paciscendum cum eo longiores ipsas inducias. Egit insuper idem nuncius, ut Sigismundus rex frater ad se in Hungariam veniret ac conventum illius regni pro die S. Georgii institutum ad consulendum de dignitate et bono statu regis Vladislai et Ludovici, ejus filii, ac ad regna eorum in bona ordinatione constituenda. Excusavit se rex Sigismundus ab hac profectione in Hungariam difficultatibus suis plurimis ac magnis, quorum exitus incertus esset, pollicitus tamen est, mittere ad eum conventum consiliarios suos, Joannem de Lasko, archiepiscopum Gnesnensem, et Christophorum de Szydlowiecz, palat. et cap. Cracoviensem, regni Polonie cancellarium. MDXVI.

Venerat etiam ad Sigismundum, regem, in Lithuaniam nuncius a vidua palatina Transilvanie, matre Barbare, regine defuncte, et a Janussio filio ejus, comite Scepusiensi, palatini Transilvanie, qui dixit: emulos palatini ut olim ita et nunc maxime, sublata ex humanis ipsa regina sorore sua, cujus vive autoritas eos retrahebat nocere ipsi palatino, nocere conari, quare petere, ut rex eos, uti affines suos, pristina benivolentia prosequeretur et apud fratrem Vladislaum, regem, adversus ipsos emulos tutaretur. — Respondit rex: se adversitatibus indolere, cum non aliter charos eos haberet, quam superstite regina habuisset, eundemque affectum se deinceps habiturum, missurumque de ea re ad fratrem, regem Vladislaum, prout ipsa socrus cuperet, nuncium suum atque adesse ipsi comiti vojevode; ceterum consulere et hortari, ut ipsa socrus induceret filium suum ad ita gerendum se erga Vladislaum regem, dominum suum, quemadmodum fidelem et obsequentem subditum deceret, etenim in Posonio multa nuper audivisse, que idem palatinus in officio seu magistratu suo ageret tum usurpando sibi proventus regios tum alia pleraque autoritatem domini regis sui constringentia atque ab officio boni subditi aliena exequendo. Quam ob rem ne majores ei difficultates accidere contingat, orasse regem, ut ipsa socrus pro autoritate sua materna et singulari prudentia filium moderaretur, quo virtutem suam recte agendi ducem potius quam incertas opiniones consiliaque inconsideratorum hominum sequeretur, sic enim actiones omnes suas regias pro illo apud regem Vladislaum efficaciores fore, illum vero rei et dignitati sue melius consulere et emulos suos superare posse.— Missus itaque ea de causa fuit Joannes Karnkowski, secretarius, ad Vladislaum regem Hungarie, qui post adventum ad se ipsius secretarii quarta decima die Martii Bude mortuus est.

Cetera de morte regis hujus, de filii ejus Ludovici statu firmando, denique qualis rerum progressus statusque regni Hungarici fuerit, epistolis et legationibus Sigismundi regis fu-

MDXVI. sius explicantur, et, ne qui motus post mortem Vladislai in confiniis fierent, mandavit rex Sigismundus: ut prefecti finitimarum arcium Polonicarum arces sue fidei commissas diligenter custodirent et rebus necessariis providerent. Ceterum, rogantibus Hungaris et rege eorum Ludovico, misit Sigismundus in Hungariam duos consiliarios suos, Joannem Laski, archiepum. Gnesnensem et Chrystophorum Szydlowieczki, palatinum et capitaneum Cracoviensem, regni cancellarium, qui una cum legatis Maximiliani, cesaris, consulerent cum consiliariis Hungaris de ipso rege Ludovico pupillo ac plane puero, deque regnis in bona ordinatione judiciisque publicis constituendis, de arcibus providendis, de subditorum fide atque obedientia, de redditibus regi integre solvendis, de odiis, simultatibus et factionibus tollendis, quibus regnum illud plenum erat. — Sed Hungari, inveteratam malitiam suam exuere non valentes, quum quisque regem puerum regere, regnare, imperare, omnia ad se rapere niteretur, nec regem Sigismundum, nec cesarem Maximilianum tutoria sua a Vladislao his commissa uti permittere voluerint, sed nec consiliarios cesaris ac Sigismundi penes regem puerum passi sunt; sed summam rerum ad se trahentes ipsi soli Hungari rexerunt, qui avaritia et dissidio domestico acti se ipsos non ita multo post cum rege suo perdiderunt.

Eodem anno MDXVI. Elisabetha, soror regis Sigismundi, uxor Friderici, ducis Legnicensis, post partum periculosum mortua est una cum infante, quem pepererat. Post ejus mortem Fridericus ipse misit legatos ad regem ad tollendum reliquum condicte dotis. Responsum est legatis: si soror ipsa regis aut proles ejus superstes esset, regem soluturum esse, verum cum ipsa soror regis una cum prole sublata sit ab humanis dotesque solent dari propter onera matrimonii ferenda, non teneri regem pro more regni et mera justitia ad reliquum dotis numerandum, quin etiam quod datum est, merito ad regem redire debere; meminisse etiam regem, sororem suam amplum et pretiosum mundum muliebrem et suppellectilem in auro, argento, gemmis, margaritis et vestibus pretiosis secum ad ipsum ducem, maritum suum asportasse, resque hujusmodi de more et jure Magdeburgensi ac Slesitico alienare a propinquis non potuisse et ob id pleno jure ad regem fratrem redire debere, in quibus repetendis regem scire, quomodo se erga ipsum ducem gerere debebit, quem eadem benivolentia esse persecuturum, qua illum superstite sorore sua complexus sit, quandoquidem ea sublata affinitas tamen sublata non sit, que novo neptis regie matrimonio congeminata esset. Postremo regem duci rectam valetudinem et successus felices ex animo precari.

Eodem etiam anno MDXVI accidit memorabile ac nefandum facinus in civitate regia Cracoviensi. Dissolutissimi siquidem ac nequam monachi monasterii S. Francisci, Albertum Fontinum, monachum Italicum, nobilem, doctum, Theologie doctorem, ministrum ac patrem suum, virum probum ac sanctum trucidarunt. Causa patrati sceleris hec fuit, quod ordinem suum longi temporis licentia depravatum, ad honestam vivendi normam reducere ceperat. Illi regularioris observantie future formidine perculsi, videntes sanctas ejus cogitationes et optima monita, suis affectibus et improbe vite obstare seque consuetam suam licentiam et impuram vivendi libertatem deserere oportere, in necem ejus conspirarunt, monialibus de S. Andrea ad id eos stimulantibus, indutique armis ac vestibus siccariorum die V Septembris in medio sequentis noctis irrumpentes in ejus conclave dormientem e lecto corripientes,

corripientes, vinctumque et ore obstruso in domumculam eorum protraxerunt et varie cruciatum necavere corpusque exanime in cellarium subterraneum projecerunt, et mox patrati sceleris persequente eos conscientia diffugerunt. Decem hi parricide fuerunt, quorum Laurentius Szetla, predicator Polonus, et Blasius, sacristanus, duces fuerant. Comprehensi tandem omnes per investigatores a Joanne Konarski, epo. Cracoviensi instructos, preter unum predicatorem, qui mutans se in varias vestitus orisque formas exploratores eludebat aliquamdiu. Sed et is comprehensus in carceribus cum ceteris asservabatur. Et cum hi monachi exempti essent a jurisdictione ordinaria, re ad summum pontificem relata, et accepta a sede apostolica animadvertendi in eos potestate, processum est ad pene executionem, erecto ad edem S. Marie in circo Cracoviensi tribunali, in hominum innumerabili concursu per sententiam condemnati sunt ad supplicium potestatique seculari traditi, gladio percussi perierunt. MDXVI.

II. Responsum a Sigismundo, Rege, datum Oratori Vladislai, Regis.

Sacra Mtas. regia, rev. dne. orator, revolutis in animo iis, que Mti. sue vra. Dtio. nomine illius fraterne Mtis. exposuit, et imprimis cohortando ejus Mtem., ut exuto merore converteret animum ad alteras nuptias, exigente id cum dignitate ejus Mtis., tum re communium dominiorum et conservatione amplitudinis familie earum Mtum.; deinde referendo ea, que per illius fraternam Mtem. acta et constituta sunt cum oratore Turcarum, qui nuper apud illam fuit, Mtas. sua primum immensas gratias agit illius fraterne Mti., quod eorum, que ad dignitatem et felicem statum sue Mtis. pertinere videntur, tantam illius Mtas. curam et sollicitudinem habere dignetur, et pro suo paterno amore illam ad ea commonere et cohortari dignetur. Fatetur quidem ejus Mtas., se non parvum locum dolori concessisse, sublata ex humanis charissima et concordissima sua conjuge, equum omnino et humanum censens tam immaturo illius obitui indolere, quam dnus. Deus illi arctissimo vinculo et omnium jucundissima societate conjunxerat; tamen non adeo se eidem dolori indulsisse, ut non meminisset cum magnitudinis animi, qui principes decet, tum humane mortalitatis, que omnibus est communis. Proinde tam iis rationibus quam etiam tempore, hujuscemodi ergitudinum domitore, fieri, ut Mtas. sua hunc ipsum dolorem et jacturam equiori in dies magis ferat animo. Ad alteras tamen nuptias et matrimonium incundum, licet Mtas. sua satis superque intelligat, multum id expedire non solum regno et dominiis suis, sed etiam ad amplitudinem familie necessarium esse, cujus conservande et propagande spes nunc in paucis est sita, tamen nullo modo potest aliquam ad presens cogitationem vel animum inducere tum ob recentem adhuc illius charissime sue conjugis memoriam, tum ob modernas suas difficultates et tumultus bellicos, quibus Mtas. sua tota distinetur, verum tamen cum in liberiorem illius mentem hec voluntas aliquando subiret, pollicetur ejus Mtas., nihil se absque scientia et consilio illius fraterne Mtis. agressuram, prout ante hac semper in omnibus suis rebus id facere consuevit. Cod. R.

Quod vero ad ea, que illius fraterna Mtas. constituit de pace cum oratore imperatoris Turcarum, Mtas. sua non potest non plurimum laudare, quod illius Mtas. has inducias pacis cum

MDXVI. cum illo inivit, siquidem hactenus Mtas. sua nullam videt certam spem concordie principum christianorum et universalis expeditionis adversus ipsum imperatorem Turcarum, multoque gratissimum id habet Mtas. sua, quod illius fraterna Mtas. dignata est, rem ejus Mtis. et dominiorum suorum conjungere cum sua, tamen habens cum ipso illo imperatore adhuc unius anni inducias consulere vult Mtas. sua cum consiliariis regni sui per eundemne nuncium, quem missurus est imperator ad illam Mtem. an per suum proprium producere deberet ulterius inducias ipsas, et quidqui din hac re decreverit, non negliget, illius Mtem. reddere certiorem.

III. Petrus Tomiczki, Eps. Premisliensis, Vicecancellarius, Nicolao Schidlowyeczki, Cast. Sandomiriensi, Regni Thesaurario.

Cod. R. Mgce. dnc. et fautor honorandissime. Audio suscepisse vram. Mgciam. in servitorem et scribam Alexium de Cracovia, qui plures annos et dno. olim Targowiczki et domino Gallo, custodi Cracoviensi, cum magna diligentia servivit; cujus quia et virtus et probitas est mihi bene cognita, plurimum illum vre. Mgcie. commendo et rogo illam, ut eum ita ut meretur gratia sua fovere et complecti velit, in quo rem sua benignitate dignam et mihi valde gratam faciet.

Fuit hic nuper orator Sermi. dni. regis Hungarie, qui hortatus est imprimis Mtem. regiam, ut deposito merore, quem concepit ex sublata ab humanis charissima sua conjuge, converteret animum ad alteras nuptias; deinde petiit magnis precibus, ut Mtas. sua illuc in Hungariam pro conventu generali pro festo S. Georgii futuro veniret consultum rebus et dignitati pristine illius fraterne Mtis. et Sermi. dni. regis Ludovici, a quo itinere Mtas. sua se difficultatibus suis, que et magne sunt et adhuc incerti finis excusavit; pollicita tamen est, missuram se pro illo tempore oratores, rmum. dominum archiepum. Gnesnensem et dnum. nostrum palatinum Cracoviensem.

Absolvit etiam his diebus Mtas. sua oratores cesaris Tartarorum cum pecuniis et muneribus, icto cum eis tali federe, quale fuit inter patrem suum et ejus Mtem. Nescio tamen, quam constans erit in fide, nam et cum duce Moscorum fertur habere nonnullos tractatus.

De nuncio cesaree Mtis., qui ivit in Moscoviam ad tractandum de pace nihil adhuc auditur, et ob hoc res hujus dominii sunt adhuc in incerto; hostis enim fertur admovisse validum exercitum prope fines et vel tempus, vel quamcunque aliam occasionem vindicande cladis sue captare. Nos vero valde imparati sumus, sed nec adeo ignavi et timidi, ut impetum hostilem cohibere non audeamus aut non possimus. Commendo me etc. Datum Vilne.

IV. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneo Majoris Polonie.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Mgce. sincere etc. Significavit nobis dnus. archieps. gnesnensis, se multum indigere pro usu illius ecclesie area in quâ situm est molendinum gnesn. petiitque a nobis: ut illi eam accipere et*

alteram

alteram pro molendino nostro emere concederemus. Nos neque commodis ecclesie deesse volentes, neque id fieri, quod vel ad injuriam nostram, vel subditorum nostrorum gravitatem cedere videretur, committimus Sti. tue, ut constituta illic Gnesne disquirat et consideret, utrum id citra incommodum nostrum aut subditorum nostrorum fieri posset nec ne. Quod si comperiret, rem nihil officere, permittat rmo. dno. archiepo. ipsum molendinum ad locum alium transfrerri, et nos deinde intellecta sententia Stis. tue consensum nostrum illi dari faciemus. Datum. MDXVI.

V. Responsum a Sigismundo, Rege, datum Nuncio Joannis de Zapola, Comitis Scepusiensis, Palatini Transilvanie.

Mandata hec, que coram s. Mte. regia nomine Illme. dne. ducis simul ac dni. vojevode Transilvanie exposuistis, ejus s. Mtas. abunde intellixet et perpendit, ac agit imprimis gratias dne. duci simul ac dno. vojevode, quod eorum Dtiones. invisere voluerint per vos valetudinem ejus s. Mtis., optatque, ut et ille bene valeant et felicibus successibus semper fruantur. Quod vero ad emulos domini vojevode attinet, qui ut prius conati sunt ejus Dtioni. nocere, ita nunc maxime nituntur, sublata ex humanis Serma. olim dna. regina, conjuge charissima ejus sacre Mtis., cujus autoritas illos nonnihil retrahebat, s. Mtas. sua indolet plurimum adversis istis ejus Dtionis., nam nihilo secius isti domui afficitur et charam illam habet quam superstite prefata sua conjuge, eundemque animum et affectum semper est habitura, et mittere quidem dignetur libenter ejus Mtas., prout domina dux optat nuncium suum in ea re ad fraternam illam Mtem. et adesse domino vojevode; verum consulit Mtas. sua et pro officio necessitudinis hortatur dominam ducem, ut inducat commoneatque dominum vojevodam, ad gerendum se erga sacram illam Mtem. ita ut fidelem et obsequentem erga dominum suum subditum decet. Multa enim Mtas. sua cum nuper illic fuit dici audivit, que dnus. vojevoda in officio et magistratu suo facere deberet, tum usurpando sibi proventus regios tum alia constringentia autoritatem illius Mtis. et ab officioso subdito longe aliena exequendo, que Mtas. sua cum non mediocri dolore intellexit, et proinde, ne alique majores difficultates accidant domino vojevode, postulat Mtas. sua, ut domina dux pro autoritate sua materna et singulari prudentia illum moderetur, utque ipse dnus. vojevoda fidem potius et virtutem suam ducem quam aliquam aliam existimationem sequatur vel consilia. Sic enim omnes et actiones ejus Mtis. pro sua Dtione. efficaciores erunt, et illa dignitati et rei sue melius consulet et facile emulos superabit. Quod ut faciat Mtas. sua illam sedulo petit et cohortatur, que in omnibus successibus et votis ejus nunquam vellet deesse. Cod. R.

Anno MDXVI. XIV Martii. Serenissimus dominus Vladislaus, rex Hungarie, mortuus est. Apud quem erat tunc Joannes Karnkowski, secretarius regius, et morti ejus interfuit.

VI. SIGISM.

VI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lasko, Archiepiscopo Gnesnensi.

MDXVI. Cod. R. Rme. in Christo pater et dne. sincere nobis dilecte. Hodie reddite nobis sunt litere venerabilis Joannis Karnkowski etc., secretarii nostri, ex Buda, tristissimum nuncium continentes, quod vid. Sermus. et amantissimus germanus noster dnus. Vladislaus, Hungarie rex, feria VI ante dominicam Palmarum concesserit ab humanis, quo quidem nuncio quantum meroris acceperimus, qui alioquin adhuc ex obitu charissime conjugis nostre vulnus animi recens habeamus, nullis verbis dici potest, tamen partim consideratione necessitatis et conditionis humane, partim assuetudine tot funestorum casuum tam parentum quam fratrum aliorumque charorum nostrorum, ferimus ut equiori animo possumus hanc acerbam et incomparabilem nostram jacturam. Cum autem hec alea aliter cecidit quam institueramus, non videtur nobis prosequenda expeditio vre. Ptis. illuc in Hungariam, sed expectandum adhuc, ut intelligamus, quorsum res inclinabunt, vel quid nos facere oportebit pro firmo et incolumi statu nepotis nostri amantissimi, dni. regis Ludovici, et illius regni. Quare interim Ptas. vra. nihil agat pro ipso itinere faciendo et prestoletur aliud documentum nostrum, quando illinc facti erimus certiores. Ceterum postulamus eandem Ptem. vram., ut ipsam tanti regis et germani nostri mortem denunciari faciat in omnibus ecclesiis diocesis sue, ut pulsu campanarum et orationibus tam cleri quam populi debitum officii et pietatis nostre munus illi exhibeatur. Valeat feliciter. Datum Vilne.

VII. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopis Regni.

Cod. R. Rnde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Nunciatum est nobis, Sermum. dnum. Hungarie et Bohemie regem, fratrem germanum nostrum amantissimum, fer. VI ante dom. Palmarum vita functum esse, que tam infelix ac acerba novitas quantum nobis cumulum doloris addiderit ad recentem adhuc ex obitu charissime conjugis nostre merorem exprimi non potest, quare postulamus a vra. Pte., ut eventum istum et jacturam nostram incomparabilem denunciari faciat in omnibus ecclesiis diocesis sue, ut tam a clero quam a populo universo pro tanto rege et eo fratre nostro, quem patris loco supremum jam habuimus, dominus Deus diligenter exoretur. Factura nobis vra. Ptas. rem multo gratissimam.

VIII. Sigismundus, Rex Polonie, Hedwigi, Duci Tessnensi et Comiti perpetue Scepusiensi.

Illtris. princeps et domina mater nostra charissima. Antequam venisset nuncius Illtis. vre. ad nos, precesserat hec tristis et acerba novitas de obitu Sermi. olim domini, regis Hungarie

rie, germani nostri amantissimi; tamen gratissimum nobis fuit officium vre. Illtis. et habemus illi gratias, quod nos gravata non sit invisere et solari. MDXVI.

Nepotem nostrum, suavissimum dominum Ludovicum, regem, ac ipsius regna tanto studio ac benivolentia nostra complectemur et nostra propria, illique pro debito nostro nullis modis unquam deerimus, vram. etiam Illtem. et filios ejus solito favore et tuitione nostra libenter prosequemur et eorum commodis et amplitudini favebimus et promovere illos studebimus. Verum Illtas. vra. ipsos suos filios inducat, ut se ita conservent erga prefatum Sermum. dnum. Ludovicum regem, ut fideles subditos erga dominum condecet, sic etiam et nos sibi magis devincient et facilius erit nobis, illis adesse et omnes eorum res promovere. —

Cupimus Illtem. vram. cum eisdem filiis ejus optime valere.

IX. Sigismundus, Rex Polonie, Carolo, Duci Munsterburgensi.

Illtris. princeps et domine affinis et amice noster charissime. Habemus vre. Illti. gratias, Cod. R. quod nobis per literas suas declaravit ea, que circa obitum fraterne Mtis. sunt gesta et presertim, que res Sermi. dni. Ludovici regis attinent, de quibus utcumque hic magnis difficultatibus et curis distinemur, habemus magnam sollicitudinem, et proinde mittimus in Hungariam oratores nostros insignes, qui una cum illis dominis consulant et agant nostro nomine id omne, quod expedire videbitur bono statui et ordini illius Mtis. Ad conventum vero regni Bohemie non visum nobis fuit ad presens mittere, propterea quod compertum nobis non sit, quando idem conventus illic agi debeat, et scriptum est nobis ex Cracovia, illum jam preteriisse, tamen commisimus ipsis oratoribus nostris, ut quodcunque illic intelligerent adhuc necessarium ut faceremus, tam in regno Hungarie quam etiam Bohemie pro eodem bono statu ac educatione ejus Mtis., id nobis declararent, nihil enim pretermittemus debiti nostri nec ullo modo ejus Mti. deesse volumus; rogamus autem vestram Illtem.: ut et deinceps, que illic fiunt, queque putabit opus esse, nos certiores reddat, consulatque et curam habeat de illius Mtis. commodis et bono regimine, quantum potest et facere semper consuevit, et nos vicissim vre. Illtis. res et negotia omnia fovere et promovere semper pollicemur, que valeat feliciter et nos diligat.

X. Sigismundus, Rex Polonie, Cesari Maximiliano.

Serenissime et excellentissime princeps ac domine frater ac consanguinee noster charissime Cod. R. ac honorande. Intelleximus ex literis oratoris nostri, qui nunc Bude agit, Sermum. dnum. Vladislaum, regem Hungarie ac Bohemie, fratrem germanum nostrum amantissimum die Veneris proximo ante Palmas ab humanis concessisse, quod triste et acerbum nuncium eo

nos

MDXVI. nos majori dolore affecit, quod et unicum jam illum fratrem etiam parentis loco habuimus et vulnus hoc animo alio nondum coalito recepimus, et licet visis tot tristissimis parentum, fratrum et aliorum charorum nostrorum funeribus mens jam occalluisse deberet, incredibile tamen dictu esset, quanto in merore simus constituti, idque partim jactura conjunctionis et amoris nostri fraterni, partim infantia dulcissimi nepotis nostri, dni. regis Ludovici, que adhuc longiorem vitam illius maxime requirebat. Proinde utcumque non dubitamus vre. cesaree Mti. jam mortem ipsam concordissimi fratris nostri innotuisse, tamen illi pro nostra observantia et spe singulari, quam de illa concepimus, hunc acerbum eventum et dolorem nostrum significandum duximus, rogantes plurimum S. Mtem. vram.: velit una nobiscum, ubi opus esset, eidem suavissimo nepoti nostro regnisque ipsius adesse patrocinio et favore suo ipsumque loco filii habere et gratia ac amore suo complecti dignetur, quod nos una cum eo regnisque nostris communibus vre. Celsitudini omni officio et studio nostro demerebimur. Quam valere felicissime desideramus. Datum Vilne d. XXVII Martii. —

XI. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl., Vicecancellarius, Stanislao Lanczkoronski, Cap. Camenecensi.

Cod. R. Generose dne., amice charissime. Curavi, ut Mtas. regia ad omnia, que erant necessaria vre. Dtioni. quam diligentissime responderet. Hic quieta hactenus sunt omnia a Moscis, et post profectionem nuncii cesaree Mtis. in Moscoviam nihil inde auditur.

Cum Tartaris pax est innovata, quam ipsi promittunt firmiter se observaturos, et paratos se dicunt nunc ire contra quemcunque hostem illos Mtas. regia convertere voluerit.

Sermus. rex Vladislaus fer. VI ante dominicam Palmarum concessit ab humanis, cujus obitum tanto magis dolet Mtas. regia, quanto is meror et novus luctus ad alium morte Serme. dne. regine recentem et nondum coalitum dolorem accessit.

Quod attinet ad Kuriatowicz, scripsit Mtas. sua vre. Dtioni. quid sit faciendum; sola enim ad vojevodam Moldaviensem nihil contra eum scribere voluit, ne ille putaret, Mtem. suam esse adeo timidam, ut et unius latrunculi insidiis commoveretur.

Cupio feliciter valere vram. Dtionem. Dat. Vilne.

XII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Nihil dubitamus, Mtem. vram., priusquam he litere nostre eam pervenerint, de obitu quondam Sermi. dni. genitoris nostri charissimi, pie recordationis, tum ab aliis, tum a Mtis. vre. misso proxime ad paternam ipsam Mtem. oratore, qui eam et expirantem vidit et funebribus officiis usque ad sepulchrum interfuit, redditam esse certiorem. Debebatur id — fatemur ingenue — a nobis ante alios fieri, et fuisset factum, nisi dilationi gravissima regnorum

norum nostrorum negotia causam prebuissent, quam, si Mtas. vra., ut credimus, expendet, nihil ambigimus, quin excusationi nostre juste locum sit datura. Incumbebant confinibus nostris et praesertim Jaycze gravissima pericula, et quidem tanta, quantum nunquam antea; his enim paucis ante diebus commeatus, qui ad ipsam inferebantur, ab hostibus intercepti fuerunt, iis, qui inferebant, partim captis partim cesis, nec erat amplius spes ulla Jaycze retinendi, nisi novi commeatus et nova presidia majori quam alias manu et copia quam citissime imponerentur. Cujus rei gratia paterna Mtas. paulo ante mortem suam dnos. primates hujus regni vocari ad se jusserat, de his avertendis periculis consulturos. Que res licet tunc agi et sollicite tractari cepta fuerit, prius tamen, quam absolveretur, paterna Mtas., cura tam ardui negotii nobis relicta, vivendi finem fecit. MDXVI.

Quamquam autem hec res per nos, Deo adjuvante, consilio pariter et subsidio dominorum consiliariorum nostrorum nobiscum existentium eo deducta sit, ut et presidia et victualia non sine magnis laboribus et curis comparata in itinere jam fuerint, non possumus tamen Jaycze non timere, tum propter inediam maximam, qua laborant qui eam tenent, si modo teneant; (nam non satis est nobis exploratum, in nostrane an in hostium potestate sit Jaycze constituta) tum etiam quod sciamus, hec presidia et commeatus sine conflictu, cujus exitus dubius est, non posse imponi. Dum igitur cum prefatis dnis. consiliariis nostris circa hujus rei expeditionem accuratius occupamur, dumque charissimorum parentum nostrorum tumulationi sedulo vacamus, facere commode non potuimus, ut Mti. vre. genitoris nostri amantissimi obitum tempestive significaremus, de quo Mti. vre. per oratorem suum prefatum ab ipso remissum funere nunciavimus, rati Mtem. vram. pro sua innata benignitate non iniquo laturam animo, si per suum prius, quam per nostrum nuncium hec eidem significarentur. Per quem quidem oratorem illud quoque declaravimus, quid nos futuri conventus regnicolarum nostrarum celebrationem ab instituto termino ad festum beati Georgii martyris nunc venturum coegerit revocare. Sed jam quod nostri est propositi paternum scil. obitum et quomodo contigerit, quidve postea ad hunc luctum nostrum adversi accesserit, quam fieri potest brevius perstringemus.

Tristia sunt, Serme. rex, que scribimus et non sine acerbo merore prosequenda, atque adeo tristia, ut nec nos sine lacrimis exscribere, nec Mtas. vra. sine ingenti dolore vel legere vel audire queat. Que licet jam et legerit et audierit, dolorem tamen Mtis. vre., id quod non libenter facimus, cogimur vel literis nostris refricare. Orbati sumus ambo nos patre pientissimo, Mtas. vra. fratre suo charissimo, et illo quidem unico, cujus defunctio etsi nostrum utrique sit acerba, nobis tamen tanto acerbior, quanto magis ejus presentia, ejus ope, ejus tutela indigere videamur. Reliquit enim nos in hac tenera et puerili etate nostra ad talia regna gubernanda, que etiam ab adultis et bello exercitatis regibus ob hostes, quibus pene circumdantur ferocissimis, non sine difficultate magna sunt gubernata. In quo merore si est aut esse potest aliquid, quod faciat ad nostrum dolorem levandum, illud unum est, quod paterna Mtas. ut in vita sepe antea fecerat, etiam in extremis, dum jam animum ageret, presente Mtis. vre. oratore, astantibus hujus regni utriusque ordinis primatibus, expressa voce sanaque mente inter salutares actus suos, inter pias lacrimas, Mti. vre. et ejus curc atque tutele commendavit et per manus tradidit, utpote illi fratri suo, quo nihil

MDXVI. in vita charius habuerit, et cui orphanitatem nostram fortunasque nostras omnes committere nunquam dubitaverit. Que cum paulo ante mortem consilia de avertendis, ut premissum est, periculis, que confinibus hujus regni impendebant, agere cum dominis cepisset, pedagricis fuit primum correpta doloribus, deinde febri accedente adeo vis morbi invaluit sensim, ut nulla ope servari potuerit, quin diem obiret. Tulit autem et egritudinem suam et mortem ipsam eadem patientia, qua vite molestias et queque incommoda ferre consueverat, et priusquam ad extrema perveniret, integris sensibus sano et vigeto mentis intellectu, ut pium et catholicum, ut religiosum decebat principem confessionem absolvit, eucharistie sacramentum reverenter et devotissime suscepit, permisit se ungi, oravit, dum potuit, continue, cessante lingue usu audivit orantes et ita se ad exitum preparavit, ita armavit, ita saluti consuluit in omnibus, ut mori quam vivere malle videretur et exemplum cum subditis tum principibus relinqueret bene moriendi. Deseruit autem vitam feliciter tertia Idus Martii preteriti ad horam post meridiem septimam. Cujus corpus merito feretro compositum et regali habitu, ut mos hujus regni est, primo decoratum, insigni ac memorabili pompa una cum ossibus Serme. dne. genitricis nostre charissime p. m. ad Albam Regalem, locum scilicet et coronationis et sepulture regum Hungarie solitum, comitantibus omnibus dominis et proceribus, honorificentissime est productum, Bude tamen prius justis, que utrique debebantur, rite persolutis, conditaque eorum corpora in Alba Regali XIV Cal. Aprilis eodem sepulchro, dignis exequiis, quibus etiam prefatus Mtis. vre. orator interfuit, ibidem celebratis.

Hec sunt, Serme. rex, que nobis de obitu paterne Mtis. scribenda videbantur. Quibus ita peractis, dum consiliarii nostri ex Alba huc Budam ad nos redierunt, tum ut et nos consolarentur, tum ut et ea, que ad status nostri honorem ac dignitatem regnorumque nostrorum defensionem pertinent, ordinarent, cumque, expeditis iis, que ad Jaycze succursum pertinebant, de aliorum quoque confinium provisione cum eis agere cepissemus, supervenerunt ad nos tum ex vicinis nostris, nobis faventibus, tum ex subditis ac exploratoribus nostris adversissime et formidolosissime novitates: imperatorem sc. Turcorum, finitis bellis Asiaticis, res suas maritimas ita composuisse, ut nihil ei timoris aut cure illinc amplius impendeat; illam vero expeditionem, quam in Zophi parare predicabatur, non in ipsum Zophi sed in nos esse paratam; usum autem astutum tirannum ea fictione, ut conatus in nos sui, hostis nomine simulato, magis occultarentur, et ipse hoc pacto paratior nos incautos atque imparatos facilius ac minori negotio aggrederetur. Collegisse autem eum ferunt validissimum exercitum et juxta Adrianopolin castra metatum, elevasse etiam multitudinem popularem non partialiter ut alias sed viritim cum securibus, ligonibus, fossoriis, terebris et aliis id genus rusticanis armamentis, que vel ad construendum vel ad destruendum apta esse videntur, et ita secum certa mente constituisse, ut omnes vires suas undique contractas in nos convertat et regna nostra quam primum adoriatur, non ad faciendum levem aliquem excursum, non ad rapinas, non ad obsidenda castra, sed ad occupandum regnum instructus et accinctus, ut imprimis, nisi consilium ad alia confinia nostra invadenda postea immutaverit, duas Valachie provincias invadat, Moldaviam sc. et Transalpinam, eo consilio, ut deturbatis vojevodis, provincias ipsas more Turcarum ad officia et prefecturas partiatur, et quo

quo facilius votis potiri queat, artem et dolum viribus opposuit. Proclamari enim, ut nobis dicitur, fecit, se popularibus vojevodorum subditis dimidiam debiti census et cujusvis oneris partem, si sibi, vojevodis relictis, adheserint, condonaturum, ratus callidus imperator, hoc astu populares illos dulcedine promissionis sue allectos ad seditionem contra eorum dominos atque rebellionem posse concitari. Quod si fieret, quid esset vojevodis difficilius, quam ut foris contra Turcas, domi vero contra suos Valachos dimicaretur? Quid posset etiam et nobis et Mti. vre. periculosius contingere, quam si provincie ille, que utriusque nostrum regnis veluti quedam antemuralia preposita sunt, perderentur, ex quibus tam ad Mtis. vre. quam ad regna nostra facillime possent hostes semper insultare? MDXVI.

Presentientes itaque vojevode tam diros imperatoris conatus nobis supplicaverunt, ut eos in his periculis constitutos non deseramus, promittentes se viriliter et constanter fideliterque contra ipsos Infideles pugnaturos, si auxilio nostro non fuerint destituti, quibus nos omnem succursum polliciti sumus et re vera atque in effectu eis succurrere volumus pro viribus nostris. Sed Mtas. vra. consideret, quantule sint vires nostre pre potentia tanti et tam crudelis tiranni, cujus vis et potentia eo crevit, ut nisi Deus illum conterat, totus orbis christianus de illo reprimendo sit laboraturus. Quam ob rem moti periculorum, que regnis nostris et consequenter toti Christianitati certissima imminent, magnitudine, misimus ad pontificem nuncios, misimus ad cesaream Mtem., ad Imperium, ad regnum nostrum Bohemie, ad Moraviam et Slesiam, quibus omnibus hanc Turcarum voluntatem significavimus, implorantes auxilium, quo tam nefandi et perfidissimi hostis conatus vel debilitari vel frangi possint.

Quoniam autem nemo est mortalium, in quo plus quam in Mte. vra. confidamus, eam non solum ut patruum sed ut patrem alterum plurimum rogamus: velit quam fieri potest citius res suas Lithuanicas componere et maturare reditum ad Poloniam, rebus nostris ita laborantibus et in his periculis constitutis intendere atque invigilare, et ante omnia mittere vojevode Moldavie presidium, quo provinciam suam retineat, cujus amissio certissimum periculum regnis Mtis. vre. non minus quam nostris est allatura, cui nos quoque, ut prediximus, suppetias quascunque poterimus feremus et illius dominium haud secus ac regni nostri portionem, quantum in nobis erit, defendendum curabimus. Sed cum iste succursus celeritatem desiderat — nam quidquid Turcus facturus est in uno aut in duobus ad summum mensibus experietur — propterea Mtem. vram. iterum atque iterum rogamus, quidquid et ipsa circum succursum ipsius vojevode Moldavie factura est, faciat preter moram, que in rebus tam arduis sine periculo committi non consueverit. Quod reliquum est, optamus, ut Deus, opt. max. Mtem. vram. ad destructionem hostium suorum nostrorumque felicissime ac quam diutissime conservet. Dat. Bude X Aprilis MDXVI regnorum nostrorum Hungarie IX, Bohemie IX.

XIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner, Zuppario Cracoviensi.

Generose, fidelis, dilecte. Quantum cumulum doloris mors Sermi. et amantissimi germani nostri addiderit nobis ad recentem adhuc ex obitu Serme. conjugis nostre merorem dici verbis Cod. R.

MDXVI. verbis non potest, ferimus tamen hanc acerbam et incomparabilem nostram jacturam animo ut equiore possumus, partim consideratione necessitatis et conditionis humane, partim assuetudine tot funestorum casuum tam parentum quam fratrum aliorumque charorum nostrorum.

Scripsimus cesaree Mti. significantes illi hanc tristem novitatem, tametsi non ignoremus, Mtem. suam de illa factam jam esse certiorem; nos tamen officio et debito nostro satisfacere volumus et mandamus tibi: ut literas nostras, quas cum presentibus mittimus ad ejus Mtem., per proprium nuncium equestrem celerem quam primum perferri facias. Scripsimus et summo pontifici de hoc ipso tristi et lugubri casu, ad cujus Sctem. opportuno tempore et cum se obtulerit tibi fidus nuncius Romam iturus literas nostras transmittas. Quia autem venerabilis Joannes Karnkowski, secretarius noster scripsit nobis, locutum esse secum revmum. dnum. cardinalem Strigoniensem, ut inde non discederet, donec corpus fraterne Mtis. terre mandaretur, nos illum, quid in ea re facere deberet, per literas nostras edocere voluimus, quas similiter ad eum in Hungariam sine mora transmittatis.

Res omnes et pecuniam Kluczewski, qui istuc mortuus est, volumus, ut reddas ejus filio, si quidem docuerit, se esse illius verum heredem.

Scribimus mgco. Nicolao Jordan, cast. Vojnicensi: ut provideat castra nostra in finibus regni; veremur enim ne sub hac mutatione in Hungaria alique hostilitates emergant. Tu etiam ipsum et alios capitaneos admoneas: ut castra illorum fidei credita bene custodiant.

Edificium coquinarum ita erigi et fieri jubeas, prout istinc discedentes designavimus et prout vobis melius videbitur, nunc enim in his turbationibus et meroribus nostris parum de hoc cogitare possumus.

Literas, quas Illtri. dno. Casimiro, duci Tessnensi, scripsimus, volumus, ut per proprium nuncium quam celerrime Wratislaviam mittas, ita ut ad eum aliquot dies ante dominicam Jubilate perveniant, et aliter non facias.

Ceterum gratum est nobis, quod salem in Masoviam dimitti per fluvium procurasti, nam subditi illi nostri querebantur, se magna salis penuria laborare, et nos accusabant, quod illis usum externi salis prohibuimus.

XIV. Sigismundus, Rex Polonie, Casimiro, Duci Tessnensi.

Cod. R. Illtris. dne. princeps, amice et affinis noster charissime. Fecit nobis Illtas. vra. rem valde gratam, quod nos literis et nuncio suo inviserit. Sumus hic quidem in magnis difficultatibus et curis, tamen gratia Dei bene valemus. Bellum nostrum, quod nunc gerimus, nescimus adhuc quorsum declinabit; hostis noster continet se intra dominia sua, nihilominus nos non solum, ut nos circumvenire non possit, curamus, sed etiam eum urgere non desistimus. Nostri enim milites, qui sunt in confinibus, crebras illuc ad terras ipsius faciunt incursiones et benignitate Dei semper incolumes ac preda onusti revertuntur. Dux etiam Constantinus his transactis diebus non parvam Tartarorum manum profligavit et utcunque passus sit nonnullum in suis dispendium, ut in tali ludo fieri oportet, tamen victor evasit predamque omnem ab illis abegit. In

In istis inquietudinibus nostris multum nobis doloris attulit mors fraterne Mtis. simul et sollicitudinis de rebus Sermi. dni. regis Ludovici, propter quas mittimus ad conventum generalem in Hungariam oratores nostros insignes, qui omnia quecunque expedire videbuntur illius Mtis. bono statui et regimini, agant et consulant nostro nomine; rogamusque Illtem. vram., ut etiam pro debito suo faciat omnem suam operam, ut ipse status et regimen illius Mtis. tam in regno Hungarie, quam etiam in Slesia in bono ordine constituatur. MDXVI.

Non libenter videmus, quod filius olim dni. ducis Zatoriensis impedit Illtem. vram. et ejus subditos. Scripseramus nos ad eum, ut se ab hoc contineret interim donec hinc ad regnum rediremus, sed postquam nobis in ea re parere noluit, commisimus mgco. Christophoro de Szydlowyecz, palatino et capit. Cracoviensi regnique nostri cancellario, ut eum ad se advocaret, et, si ex terris nostris inferat istas molestias et difficultates Illti. vre. et ejus subditis, illum cohiberet et retraheret, sin vero ex alicujus alterius terra id faceret, ageret et constitueret ita secum, ut prestolaretur; tamen si Illtas. vra. interim intelliget aliquid aliud, quod in hac re pro illa facere deberemus, declaret nobis, libenter enim id omne, quod nos decebit, faciemus. Que valeat feliciter. Dat. Vilne d. S. Georgii.

XV. Petrus Tomiczki, Episcopus Premisliensis, Regni Polonie Vicecancellarius, Mathie de Drzewicza, Epo. Vladislaviensi.

Rme. in Christo pater et domine, dne. colendissime. Magno merore affecta est Mtas. regia ex morte amantissimi fratris sui, domini regis Hungarie, que alioquin adhuc ex obitu Serme. domine regine vulnus animi recens habet: tamen partim consideratione mortalitatis et conditionis humane, partim assuetudine tot funestorum casuum, tam parentum quam fratrum aliorumque charorum suorum, fert ut equiore animo potest hanc acerbam et incomparabilem suam jacturam. De nepote suo Sermo. dno. rege Ludovico est etiam multo anxia et sollicita Mtas. sua, ne quas difficultates habeat nunc in regnis suis, cui nunc Mtas. sua tam longe hic agens succurrere nequaquam potest ut vellet. — Si quid tamen dni. consiliarii regnorum Hungarie et Bohemie postulabunt a Mte. sua in rem ejusdem Sermi. regis Ludovici faciendum, nihil pretermittet, quod spectabit ad constituendum statum ejus Sertis. in illis regnis; et cum ipsa hinc ad presens pedem movere non potest, saltem aget per oratorem id quod erit necessarium. Cod. R.

Tartarorum non parva manus insiluerat nuper in terram volhinensem ac predam magnam egerat, quam dux Constantinus celerrime consecutus profligavit et predam omnem abegit cum nonnullo tamen suorum dispendio.

Alia ad presens que scribam vre. rme. Dtioni. nulla sunt. Cui me commendo et quam valere felicissime desidero. Datum Vilne fer. quinta Pasche.

XVI. PETRUS

XVI. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl., Vicecancellarius, Domino Palatino Podolie.

MDXVI. Cod. R. Mgce. dne., amice honorandissime. Que de conventu indicendo in terris Podolie scripsit vra. Mgcia., ad hec Mtas. reg. illi abunde respondet, cui non videtur, ut privati conventus fiant nobilitatis, quippe qui ad nullum publicum commodum. Quod autem attinet ad commendationem vre. Mgcie. eidem reg. Mti. id ego sedulo facere studebo, sed vra. quoque Mgcia. curet placere Mti. sue, et ita se gerere in hoc officio studeat, ut et sibi laudem parare et Mtis. sue ac universorum gratiam et favorem habere possit. Bene valeat Mgcia. vra. et me diligat. —

XVII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, (Cardinali Strigoniensi).

Cod. R. Rme. in Christo pater et dne., dne. colendissime. Magno dolore affecta est Mtas. regia ex morte Sermi. et amantissimi fratris sui, dni. Hungarie et Bohemie regis, qui illi tanto acerbior est, quanto ad alium obitu Serme. dne. regine adhuc recentem accessit. Memor autem humane conditionis et mortalitatis eum ipsum dolorem et casum fert animo ut equiori potest.

Designaverat Mtas. sua oratores in Hungariam ad conventum generalem, qui ad f. S. Georgii illic fieri debuit, dnum. archiepum. Gnesnensem et dnum. palatinum Cracoviensem, sed intellecta morte fraterne Mtis. jussit eos expectare et nusquam se movere, quoad intelligat, si quid illi domini vel Sermus. rex Ludovicus a se exposcent, quibus in nulla re vult deesse, quippe quorum in se fidem et benivolentiam in multis rebus suis abunde est experta. Valeat etc.

XVIII. Sigismundus, Rex Polonie etc.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Manifestum facimus universis etc. Quia intelligentes officii et debiti nostri esse, ut tam pro necessitudine et vinculo sanguinis, quod nobis est cum Sermo. principe et domino Ludovico, Dei gratia Hungarie et Bohemie rege etc., quam etiam conjunctione federibus inter se communium regnorum nostrorum, illius Mti. ac regnis ejus consilio et auxilio nostro opportuno semper adsimus et presertim nunc in tam lugubri eventu et communi merore nostro ex obitu parentis illius Mtis. et fratris germani nostri desideratissimi, dni. olim Vladislai, regis, constituimus et deputavimus oratores nostros ad conventum generalem in regno Hungarie pro festo S. Georgii proximo vid. rmum. in Christo patrem et dnum.* Joannem de Lasko, *archiepum. Gnesnensem et primatem, ss. sedis apostolice legatum natum, ac magnificum* Christophorum de Schidlowyecz, *pal. et cap. Cracoviensem, regnique nostri cancellarium, consiliarios nostros sincere dilectos, quibus*

bus plenariam auctoritatem et potestatem dedimus, damusque harum serie literarum, agendi, consulendi et determinandi istic nostro nomine omnia et singula cum prefato Sermo. dno. Ludovico, rege, et consiliariis ejus Mtis. status utriusque, promittentes verbo nostro, quod quidquid per eos actum, constitutum vel determinatum fuerit, pro bono et tranquillo statu ipsius Sermi. dni Ludovici ac regnorum ejus, id nos eque gratum et firmum habituros ac quemvis actum nostrum proprium. MDXVI.

In cujus rei testimonium presens mandatum fieri et sigillum nostrum appendi fecimus.

XIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lasko, Archiepiscopo Gnesnensi, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. Cracoviensi.

Rme. in Christo pater et Mgce. sincere nobis dilecte. Rediens ex Buda venerabilis Joannes Cod. R. Karnkowski etc., secretarius noster, scripsit nobis, quod in expeditione sua post sepulturam Sermi. olim dni. regis Hungarie, fratris nostri amantissimi, postulaverint illi domini, ut nos pro debito nostro et considerantia et commendatione illius fraterne Mtis. defuncte haberemus curam nepotis nostri Sermi. dni. Ludovici, regis Hungarie, et regnorum ipsius, utque compositis rebus nostris Lithuanicis quam celerrime illis in ista moderna eorum mutatione adessemus, vel saltem ad Cracoviam usque appropinquaremus, interea vero temporis ad conventum generalem proximum Hungaricum mitteremus oratores nostros insignes, qui una cum eis consulerent de bono statu domini regis Ludovici et regnorum illius, et illi nomine nostro adessent. Nos vero licet adhuc animos eorum plane ignoremus, tamen, ne quid officii nostri erga ipsum dnum. Ludovicum, regem, et regna ipsius pretermittere videamur, quando intelligimus ita ab illis dominis postulari et nos hinc discedere nequaquam possimus absque magno periculo et discrimine hujus dominii, vestras Stes., quas dudum illuc oratores designaveramus, mittendos duximus volumusque, ut quantocius fieri potest, se itineri accingant, quo pro eo conventu, qui erit ad festum S. Georgii proximum, Budam applicare possint. Commisimus vero Joanni Boner, ut viaticum vobis et pannum pro familia subministret. Hec autem, que vre. Stes. imprimis prefari debebunt et causam adventus sui dicere tam ad personam dni. regis Ludovici quam etiam dnorum., mittimus illis summariam instructionem, quam Stes vre. pro prudentia et eloquentia sua extendent et ampliabunt, prout videbitur, servata debita modestia et temporis congruitate. Reliqua, que Stes. vre. illic agere debebunt, tametsi instruere nec opus esse putamus, nec recte facere possumus, compertum non habentes qualiter res illic intendantur, tamen, quantum intelleximus ex literis prefati Joannis Karnkowski, verentur illi domini, ne qui tumultus et seditiones fiant de eligendo gubernatore timeturque ab omnibus, unusne officium hoc vi sibi vindicet. Volumus igitur, ut imprimis curent vre. Stes. ne in consultatione in conventu illo fiat aliquid per tumultum et seditionem, ac ut inducerent illos dominos ad bonam concordiam et mutuum consensum in dirigendis rebus et stabiliendo statu regis Ludovici et ejus regni,

MDXVI. regni, quod pro sua prudentia et consilio illorum dominorum, quos semper nobis et domui nostre affectos intellexerimus, agent Stes. vre. quam melius fieri poterit.

Ceterum, licet nobis idem Karnkowski scribit, illam Mtem. fraternam, cum in extremis constituta esset, super omnes nobis tutelam et gubernationem ac jus superioritatis filii sui et regnorum ejus commisisse et ad hoc ipsum animos dominorum esse propensos, tamen quia nos nihil adhuc certi ab illis habemus, nolumus Stes. vras. quidquid de eadem gubernatione seu tutela expresse agere nostro nomine, tum quia nobis non licet ultro nos in illam ingerere, tum etiam, quia nollemus, ut cesarea Mtas. sinistrum animum adversus nos conciperet, quando cognosceret, nos hoc munus absque illa suscipere vel ambire velle. Scit enim Stas. tua, domine palatine, quomodo de hac re inter nos et ejus ces. Mtem. quando una fuimus, erat constitutum. Proinde censemus et volumus, ut si eo ventum erit, quod nobis de communi consilio et consensu ipsa gubernatio deferri deberet, agant Stes. vestre quam maxime fieri potest, quo eadem gubernatio nobis simul cum cesarea Mte. committeretur, esset enim hoc tam ad firmitudinem status dni. regis Ludovici et defensionem regnorum ipsius, quam etiam conservationem amicitie et conjunctionis nostre cum ejus cesarea Mte. valde utile et necessarium. Idque Stes. vre. declarent oratoribus ipsius cesaree Mtis., quos non dubitamus illic futuros, se in mandatis habere, ut mutuis consiliis et intelligentia agerent cum eis omnia, que pertinerent ad bonum tranquillumque statum dni. Ludovici regis et conjunctionem mutuam cum cesarea Mte. conservandam, et quod nos nollemus quidquid contra voluntatem cesaree Mtis. facere. Idque simul declarent vre. Stes. et dominis Hungaris, cum quibus mutuam intelligentiam haberent. Sin vero vellent domini Hungari, et ab ea sententia dimoveri non possent, ut nos soli hanc gubernationem haberemus, et cesaream Mtem. admittere nollent, contra desiderium nostrum et majorem dni. regis Ludovici ac regnorum ejus stabilitatem, et timeretur inde tumultus aliquis aut difficultas suboriri, vre. Stes. id non renuant. Nos enim declarata cesaree Mti. sinceritate animi nostra erga illam, ita nos in omnibus exhiberemus, ut nullam justam causam habere possit nos incusandi. Et quia fieri non potest etiam quoqunque modo munus gubernationis decerneretur, sive cesaree Mti. nobiscum simul, sive etiam nobis solis, ut necessarium non sit, esse aliquos isthic in regno presentes, qui officium hoc administrarent, et difficile fore, ut ad unum aut paucos eligendos unanimis consensus fieri debet, cum inter pares nemo est, qui non preesse velit, videretur nobis, quod etiam prius in conventu Posoniensi declaravimus, prout vobis, dne. palatine, constat, ut sex ex primoribus dnis., qui res omnes administrarent, eligerentur, tres spirituales et tres seculares: vid. rmus. dnus. *cardinalis Strigoniensis,* dnus. *archieps. Kolocensis,* dnus. *cap. eps. Qinqueecclesiensis,* item spectabiles et mgci. dni. palatinus regni, *vojevoda Transilvanie, Petrus* comes alias *Groff Peter,* et dnus. *Moises,* magister curie. Putamus enim, quod prepositis simul istis majoribus ad hanc administrationem, nemo erit, qui se posthabitum existimabit, et difficultas omnis tolletur. Attamen nolumus, ut Stes. vre. eam sententiam et voluntatem nostram exprimant prius, donec vel non convenire possent ad unam sententiam in hac re, vel a Stibus. vris. eandem sententiam et voluntatem nostram exquirerent.

Hec

Hec sunt, que ad presens juxta id quod intelligere possumus, Stibus. vris. declarare voluimus, cetera committimus prudentie et virtuti Stum. vrarum., postulantes ab eis, ut pro temporis et rerum omnium conditione ac etiam consilio eorum, quos nobis et domui nostre fidos et affectos norunt, agant et curent omnia prout honestius et utilius tam nobis quam Sermo. dno. Ludovico, regi, et communibus regnis subditisque nostris ac etiam dignitati domus nostre videbitur expedire. MDXVI.

Supra omnia vero quod iterum atque iterum repetimus, ut ita res dirigant Stes. vre. quo hec conjunctio inter nos et ces. Mtem. inita et amor fraternus aliquo modo non offendatur.

De his etiam, que illa fraterna Mtas. designavit et quasi testamento constituit in tutelam et curam corporis Sermi. dni. Ludovici regis, desiderium et voluntas nostra est, idque Stes vre. pro viribus agant, ut ita fiant, prout Mtas. illius defuncta voluit.

Insuper mittimus vris. Stibus. credentias singillatim ad unumquemque dominorum, quorum benivolentiam maxime captandam putamus, ut seorsum cum unoquoque loquantur id, quod intelligent Sermo. dno. Ludovico, regi, et nobis expedire et secundum quod noverint uniuscujusque erga ipsum dnum. Ludovicum, regem, ac nos domumque nostram affectum et propensionem.

Reliquum est, quia intelligimus Stes. vras. illuc tempestive pro designata die conventus venire non posse propter angustiam temporis, censemus, ut premittant illuc celerem nuncium, quo adventum suum declarent, ut interim illic absque Stibus. vris. nihil in rebus istis arduis constituerent. Dat. Vilne.

XX. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl., Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi.

Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Salvus et incolumis frater meus dnus. Nicolaus huc pervenit, sed attulit tristem novitatem de obitu fratris nostri, judicis Posnaniensis, qui, dum vitare non curavit locum infectum, incidit in periculum, et ob hoc tanto magis mortem illius doleo, quanto minus ille saluti sue consulere studuit. Verum cum non primum sit hoc vulnus meum, nec sum ego unus, qui mortem fratris lugeo, fero hunc casum eo animo, quo debeo, memor humane conditionis et mortalitatis. Cod. R.

Adhuc puerum vre. Mgcie. Cziss apud me teneo, nec eum dimittam quoad literas, quas rescribi vra. Mgcia. voluit, Mtas. reg. subscribat. Non dubito autem, quod illas subscribet et satisfaciet desiderio vre. Mgcie.

Quando Mtas. regia intellexerat de obitu Sermi. olim dni. regis Hungarie, scripserat revmo. dno. archiepo. et dno. palatino Cracoviensi, quos jam pridem oratores in Hungariam designaverat, ut ab expeditione sui se continuisset, verita, ne conventus generalis, qui illic pro f. S. Georgii celebrari debet, longius differretur; verum cum posthac accepit, ita opus videri, ut iidem oratores illuc mittantur, scripsit ejus Mtas. ad eos, ut se quantocius accingerent et summam legationis ex sententia et voluntate sua declaravit, commisitque dno. Boner, dari illis viaticum, credoque jam illos discessisse. Supra omnia autem commisit

 illis

MDXVI. illis Mtas. sua, ut omnia communiter agerent cum oratoribus cesaree Mtis., quos non dubitamus illic futuros, neu aliquid attentarent, quod animum ejus cesaree Mtis. offendere possit. —

Venit jam unus nuncius cesaree Mtis. ex Moscovia, qui nihil aliud attulit preter literas ad eandem cesaream Mtem., in quibus quid contineatur ignoramus. Nuncius etiam penitus nihil referre potest, in tanta habitus custodia, ut id pro singulari sua felicitate reputet, quod illinc incolumis sit elapsus. Restat adhuc illic alter nuncius, qui etiam propediem expediri debuit, quem is, qui hic est nuncius putat etiam nihil relaturum certi, cum mittat secum proprios oratores ad cesarem dux Moscovie. Qui si hac proficiscetur, quodqunque referet, non negligam vre. Mgcie. perscribere per Cziss. — Omnia quieta sunt gratia Dei in finibus. Commendo me etc. Dat. Vilne.

XXI. Sigismundus, Rex Polonie, Ministro generali fratrum conventualium Sancti Francisci.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Venerabilis et religiose devote nobis dilecte. Egimus antehac sepe cum Pte. tua per literas nostras de variis et magnis excessibus fratrum ejus in regno nostro, ut insolentiam eorum coërcuisset eosque sub norma debita regule sue vivere coëgisset, verum id non modo non executum est hactenus ab illa, quod postulavimus, sed videbatur etiam ipsorum insolentium fratrum delationibus majorem quam nobis et episcopis regni nostri fidem adhibere, iisque sepius corrigendorum morum curam committere, qui ipsi scelestiores aliis fuerunt, quo factum est denique, ut frater Fontinus, minister, qui adductis secum ex Italia plerisque bonis fratribus voluit ita, ut de eo sperabamus, etiam inter nostrates hos fratres bonum ordinem restituere et quem nos in ipso ministeriatu libenter hac causa vidimus, cum nemo indigena fuerit ad hanc provinciam obeundam eque indoneus compertus, sit noctu a nonnullis ipsorum in nostra regia civitate Cracoviensi immaniter tortus et occisus. Quod facinus ut insolitum et nefarium nullo modo tolerare volumus, scribimusque ad sanctmum. dnum. nostrum, ut committat de eis dignum sumi supplicium. Tuam etiam Ptem. ut superiorem ipsorum hortamur, quo absque mora huc mittat aliquos bonos viros cum auctoritate dicti sanctmi. dni. ad puniendum tam atrox facinus et reliquos communes tam fratrum quam monialium excessus corrigendum, que etiam sub sacra sua professione et multa scelera publica admittunt et hujus facinoris stimulatrices fuerunt. Alioquin si Ptas. tua noluerit, oportebit nos ipsos hanc tabem, etiamsi tales omnes fratres pelli e regno nostro deberent, penitus abolere; nullo modo enim diutius tantam religionis indignitatem et mendicitatis insolentiam ferre poterimus. Cupimus bene tuam Ptem. valere, que nos in suis et fratrum suorum orationibus habeat commendatos. Dat. in Orany.*

XXII. SIGISM.

XXII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X., Pape.

Sanctissime. Accidit his diebus in regno meo casus insolitus et nefandus a nonnullis fratribus conventualibus S. Francisci, qui sceleribus suis inducti fratrem Albertum Fontinum, Bononiensem, quem pridem Scti. vre. commendaveram et provectum ad eorum ministeriatum cordi habui, sperans doctrina et regimine ipsius eorum ordinem, longi temporis licentia depravatum, ad debitam vivendi normam reductum iri. Dum huic expectationi mee subditorumque meorum satisfacere curaret, adorti sunt noctu in cubiculo jacentem et primum variis tormentis et suppliciis affectum demum laqueo jugularunt. Quod facinus in loco insigniori regni mei ab insolentibus fraterculis adversus superiorem suum causa ipsius boni cepti perpetratum, cum summa religionis indignitate et scandalo, adeo me et universum regnum meum permovit, ut nisi tunc rationem habuissem professionis mee christiane et auctoritatis Sctis. vestre, quam singulari reverentia semper observare consuevi, fecissem extemplo ipsos nefarios parricidas debito modo plecti, et reliquos, quorum magna pars ad hoc facinus connivebat, de regno meo excludi, quandoquidem inter omnes admodum pauci sint, qui frugi alicujus esse videantur. Quare deferendum hunc casum ad Sctem. vram. putavi, quam enixius oro: committere dignetur, primum dictos parricidas, qui capti apud rmum. dnum. episcopum cracoviensem asservantur, degradari et digno affici supplicio simul cum aliquibus eorum monialibus, que suis etiam moribus hujus sceleris conscie et stimulatrices extiterunt, deinde mitti huc per generalem eorum viros aliquos probos et eruditos mandet vra. Sctas., qui ordinem eorum redigant in disciplinam et debitum modum vivendi: idque cum rmis. dnis. archiepiscopis regni mei, qui fratrum istorum mendicantium varios et enormes excessus abunde cognitos habent et illos ob eorum exemptiones coërcere non audent. Alioquin nisi Sctas. vra. huic religionis pesti consulere dignabitur et non admittere episcopis in talium exemptorum facinora aliqua ex parte posse animadverti, nequaquam tanta eorum insolentia a me et subditis meis diutius tolerari poterit. Commendo etiam atque etiam me cum regno et dominiis meis clementie et tuitioni vre. Sctis. quam pro incolumitate sancte fidei catholice et singulariter mea voluptate longe et felicissime valere desidero.

MDXVI. Ex cod. mss. bibl. Korn.

XXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinalibus.

Scribimus Sctmo. dno. nostro de atroci casu, qui nuper contigit inter fratres conventuales Sancti Francisci in regno nostro; nam quidem eorum ferre nolentes, ordinem suum in debitam vivendi normam iri restitutum, fratrem Fontinum Bononiensem ad ministeriatum ipsorum promotum et id sedulo exequi incipientem crudeliter prius tortum, demum in regia nostra civitate tanquam in specula hominum occiderunt. Quod nefandum facinus quam indigno et molesto ferimus animo dici satis non potest. Rogamus vram. rmam. Dtionem. ut agat apud ipsum sctmum. dominum nostrum, quo ejus Sctas. de puniendis hisce parricidis, qui capti apud rev. dnum. episcopum cracoviensem

Ex cod. mss. bibl Ossolin.

MDXVI. *cracoviensem asservantur, et aliis in bonum ordinem redigendis ita facere dignetur, prout illi scribimus; nam nequaquam tantam religionis indignitatem et mendicitatis insolentiam tolerare amplius in regno nostro poterimus. Commendamus nos etc.*

XXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Konarski, Episcopo Cracoviensi.

Ex cod. mss. bibl. Korn.

Rde. etc. Libenter audivimus allatam esse Pti. vre. potestatem a summo pontifice illos fratres parricidas degradandi et seculari potestati tradendi; esset enim res valde indigna apud Deum et homines si tantum facinus impunitum relinqui deberet. Volumus autem omnino, ut Ptas. vra. non permittat aperiri conventum illum et ecclesiam, ubi hoc insigne scelus commissum est, donec illi primum et demum nobis constiterit: alios fratres probos et reformatos et qui ab eo facinore longe voluntate et scientia abfuissent introduci debere. Nam esset nobis ingratum ac minime ferendum, si istic similis prioribus indigni et malefici homines habitare deberent. — Bene valeat Ptas. vra.

XXV. Sigismundus, Rex Polonie, Casimiro, Duci Tessnensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Ill. princeps. Scripsit nobis vra. Illtas., filium naturalem dni. olim ducis zatoriensis non habita ratione ejus quod illi scripsimus, agere contra vram. Illtem. et scribere ad eam literas parum honestas, quas etiam abunde intelleximus. Nos quidem meminimus, quod dudum scripseramus ad illum, ut nihil tale ageret adversus Illtem. vram. donec nos ad regnum reverteremur; verum cum ille hic pridem apud nos fuit, retulerat nobis quomodo esset statutum et consuetudo ducatus Slesie, quod ubi aliquis per tale longum tempus rem suam non repeteret, caderet deinceps a jure illius repetendi, petivitque a nobis, ut eam gravitatem et damnum illi non faceremus. — Nos itaque ne videremur aliquem stringere et prohibere, quominus jus suum, quod haberet, prosequi posset, rem eam ita dimisimus. Itaque vra. Illtas. sciet, quomodo se in ea re gerere debebit. Ceterum scribit nobis: qualiter Sernus. dnus. rex Ludovicus causam illius, quam habet cum duce rathiboriense ratione falcificationis monete ad se advocavit terminumque utrique pro festo S. Michaelis designavit, postulat a nobis vra. Illtas., ut ad illius Mtem. mitteremus cum ea nuncios nostros, qui vel agerent accusarentque nomine nostro ipsum dnum. ducem rathiboriensem de hac falsificatione, vel peterent, hanc causam jure mediante sine omni dilatione determinari. Nos vero scripsimus vre. Illti. dudum: non videri nobis neque consiliariis nostris, ut criminaremur de ipsa falcificatione monete eundem ducem rathiboriensem, verum possemus testimonium facere, quod vra. Illtas. illos maleficos ad postulationem nostram puniri fecit. Quod vero ad missionem nunciorum nostrorum illuc ad dnum. regem Ludovicum pertinet: non ignorat vestra Illtas., quod nos cum ces. Mte. regnum illud in tutores ejusdem dni. regis Ludovici elegit, videturque nobis, quod propterea non deberent domini illius regni facere aliquid tale magni momenti et judicii nomine

nomine domini regis Ludovici sine nobis. Quare vra. Illtas. consideret hoc secum; nam si in ea causa mittere illuc deberemus, videremur et hanc indecentiam comprobare et auctoritati nostre tutorie renunciare. Quod Illti. vre. significare voluimus, ut illa id secum perpendat et nobis significet. Nos enim libenter id omne pro illa faciemus, quod erit citra indignitatem nostram. Abraham Judeum non videtur, ut puniri mandaremus, donec ad regnum revertamur. Bene valeat vra. Illtas. MDXVI.

XXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Luce de Gorka, Castellano Posnaniensi, Capitaneo Majoris Polonie.

Mgce. sincere nobis dilecte. Speravimus hactenus medio nuncii cesaree Mtis. aliquas honestas vel pacis vel induciarum cum hoste nostro conditiones inire; verum cum ille noluit ad aliquid eorum, que per illius cesaream Mtem. sunt proposita, consentire, constituimus nos cum his subditis nostris tueri, jamque nos ad bellum, quantum fieri potest, accingimus, ne hostis, imparatis nobis, aliquod dispendium inferre valeat. Cod. R.

Euntes vero ex regno, constituimus cum consiliariis his, qui penes nos erant, de statu et defensione regni. Nam quod ad suppetias ferendas huic dominio attinet, non ignorat Stas. tua, nihil fieri potuisse, nisi in conventu generali, et in hoc quidem vix reperitur aliquid, quo debite fines regni, non modo aliorum possent defendi.

Oblationem Stis. tue de se et facultate sua in necessitate nostra grato animo suscepimus et gratias illi habemus.

Non libenter vidimus, nobilitatem cerevisiam coquere et ad propinandum subditis suis tradere incepisse in damnum Reipublice et eorum indignitatem. Committimus igitur Sti. tue, ut tales vel prohibeat id facere, vel si facere velint, solvant id a coctione, quod Reipublice debetur. In qua re scribimus etiam exactori nostro posnaniensi. Datum Vilne.

XXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Spitkoni de Jaroslaw, Cast. Cracoviensi.

Mgce. sincere nobis dilecte. Hactenus nobis hic existentibus nulla alia emerserunt in rebus nostris, que significanda essent Sti. tue preter illa, que jam pridem illi literis nostris declaravimus. Pependimus hactenus in perplexitate et spe pacis alicujus cum hoste medio nuncii cesaree Mtis. ineunde; verum ille paucis ante diebus ex Moscovia rediens, retulit, ducem illum nullas conditiones concordie vel induciarum, que fuerunt illi proposite, acceptare voluisse. Itaque cogimur restaurare bellum et tueri subditos nostros et justitiam nostram, damusque operam pro viribus nostris, ne tam a duce Moscovie quam ab ordine Cruciferorum, ubi etiam nonnulli motus et apparatus bellici sentiuntur, aliquid dispendium nobis et dominiis nostris accidat. Cod. R.

 Ceterum

MDXVI. Ceterum quia nuncii nostri, quos apud Tartarum precopensem habemus, nobis significarunt, nullam illic esse obedientiam verendumque, ne pars illorum ab imperatore scissa irrumpat in terras nostras Russie, prout se instruit et parat, scribimus ad palatinos et capitaneos istic in Russiam, ut unacum nobilitate et stipendiariis parati sint ad occurrendum, ubi opus esset, communi periculo et necessitati. Tuam etiam Stem. hortamur et postulamus ab illa, ut cum istic est, commoneat illos et alios, quos potest, ut eo vigilantiores et instructiores sint omnes, ne inopinate aliquod damnum, quod Deus avertat, istic accidat. Factura Stas. tua officium debitum et nobis rem valde gratam. Que bene valeat.

XXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Episcopo Varmiensi.

Cod. R. Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Rediit ex Moscovia nuncius ces. Mtis., sed nihil nobis illinc attulit, nolente illo duce ad eas conditiones pacis vel induciarum consentire, que fuerunt illi per ipsam cesaream Mtem. oblate. Itaque accingimus nos cum subditis nostris ad bellum, ut illius temerarios conatus auxilio Dei et justitia nostra coërceamus et non sinamus nobis vel dispendium vel levitatem aliquam ab eo inferri. Non ambigimus, eum ab ordine Cruciferorum confirmari et incendi. Itaque postulamus a vra. Pte. ut advertat omnia, que agunt et moliuntur, et disquirat, quantum potest, eorum institutum et spes, quibus nituntur, nosque diligentissime reddat certiores. Factura officium suum et nobis rem valde gratam et necessariam. Que bene valeat.

XXIX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Andree de Tanczin, Palatino Lublinensi.

Cod. R. Mgce. dne., amice honorande. Jam pridem rediit nuncius ces. Mtis. ex Moscovia, sed nihil eorum nobis attulit, que speravimus; noluit enim dux ille ad aliquas honestas pacis vel induciarum conditiones accedere. Itaque Mtas. regia, frustrata spe quietis, bellum instaurat cum magna sua gravitate et dispendio.

Accedit ad hoc, quod fiant quidam motus et apparatus bellici in ordine Prussie ad subsidium ducis Moscovie.

Preterea et de Tartaris prout ex literis Mtis. regie Mgcia. vra. intelliget, afferuntur certi et perniciosi rumores, et ita undique angustia et calamitas, quibus Mtas. sua utcumque varie districta non cessat tamen curare et providere, ut ex nulla parte possit illi et subditis ejus aliquod detrimentum inferri, mittitque partem gentium suarum versus fines Moscovie, partem in presidium terre Samogitie reliquit.

Itaque quod ad Tartaros attinet vra. Mgcia. una cum aliis istic dominis curet et provideat in absentia Mtis. sue et tanta ejus difficultate, ne aliquod in Russia damnum ab illis et ignominia patretur.

Dominus

Dominus Koslowski nondum est expeditus, deliberante adhuc Mte. regia, quomodo constituere deberet cameram salis et cere in Rathno; curabo tamen, ut brevi absolvatur. Commendo me vre. Mgcie., quam felicissime valere desidero. MDXVI.

XXX. Sigismundus, Rex Polonie, Maximiliano, Cesari.

Serme. et excellentissime princeps, dne. frater et consanguinee noster charissime. Fuit apud nos Pantaleon, nuncius vre. Mtis. ex Moscovia rediens et retulit nobis ea omnia, que cum illo duce nomine vre. Mtis. egit in rebus nostris et quod ei datum sit responsum, agimusque immensas gratias vre. Celsitudini pro ea opera et cura de ipsis negotiis nostris, quam vicissim vre. Mti. omni studio et officio nostro rependere curabimus. Verum noluit idem dux, prout vra. Celsitudo clarius ex ipso Pantaleone intelliget, ad aliquid eorum consentire, que Mtas. vra. ab eo postulavit. Que res non parum difficultatis nobis ingessit. Nos enim id existimantes, quod stare debuisset admonitioni et arbitrio vre. Mtis., non ita nos adversus eum accinximus, ut opus fore videbatur. Utcunque est, quando ea temeritate fertur, nos incumbemus defensioni nostre et dominiorum nostrorum et speramus in divina clementia et justitia nostra, quod, ut antehac consuevimus, sic et nunc perfidiam et temerarios ejus conatus reprimemus. Cod. R.

Accedit ad hoc, quod nepos noster charissimus, dnus. rex Ludovicus, sit relictus in regnis cum debito ordine carentibus, tum gravi periculo expositis. Intelleximus enim ex ejus Mtis. literis, Turcarum imperatorem accingere se magno apparatu adversus eum et dominia ipsius. Proinde ut illius Mti. una cum vra. Celsitudine commodius pro debito et desiderio nostro adesse possimus et aliis nostris rebus liberius intendere, rogamus vram. ces. Mtem.: dignetur operam facere, ita ut incepit et nobis pollicita est, quo finem aliquem bonum capiamus cum dicto hoste nostro, et interim inducias habeamus ita ut a tempore, quo inciperent, durarent ad biennium. Intra enim hoc tempus possemus cum vra. Mte. tam nepotis nostri bono statui consulere, quam etiam magis necessaria negotia nostra et pacem deinde cum illo conficere. Idque ut vra. Mtas. facere velit quam celerius fieri potest et ceu non postulata a nobis, sed de mera sua in nos benivolentia et motu suo proprio, ut et hostis noster et alii omnes aliter existimarent. Habeatque id Mtas. vra. in pectore secretum.

Ceterum, invictissime cesar, ad postulationem vre. Celsitudinis nihil egimus cum dno. magistro Prussie de jure et debito nostro, verum compertum habemus: illum una cum magistro Livonie dilectum facere gentium suarum, arces munire, pontus versus dominia nostra struere, sicque utrumque esse animatum, ut cum dux Moscorum castra adversum nos moveret, ipsi etiam in has terras nostras irruptionem facerent. Rogamus igitur vram. Mtem., ut cum nos nihil adversus ipsum magistrum Prussie causa Mtis. vre. egimus, abstinuimusque hucusque ab ullo hostili cum eo incepto, retrahere ipsum simul ac magistrum Livonie dignetur a tam indigno ac illicito facinore. Nam si illi bellum nobis inferrent, nobis non licebit nisi armis arma repellere. Et quantum inde detrimentum illis et incendium in

MDXVI. in re christiana accidere posset, vestra Mtas. ut sapientissimus princeps facile perpendere potest. —

Quia vero ignoramus, cum quibus mandatis mittat ad vram. Celsitudinem dux Moscovie oratores suos, rogamus illam plurimum: significare nobis quam primum fieri poterit dignetur, et quid ab eo accipiet et quomodo rem nostram aggredi cum illis instituerit, ut intelligamus, quomodo res nostras statuere et dirigere debeamus et diutius in ancipiti non pendamus. Cupimus vram. ces. Mtem. et optime valere et felicissime de hostibus suis triumphare. Cujus favori et fraterne benivolentie nos commendamus.

XXXI. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Luce de Gorka, Cast. Posnaniensi.

Cod. R. Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Puer vre. Mgcie. Cziss correptus est febre continua satis acuta, qua in tantum est debilitatus, ut aliquot diebus de lecto se movere non potest. Fit diligentia circa curam ipsius, et non dubium est, quod cito, ope Dei et medicorum pristine restituetur sanitati. Jam scripsi literas alias eo modo, quo voluit vra. Mgcia., que tamen nondum sunt subscripte, curabo vero, ut cito subscribantur.

Profecti sunt in Hungariam rmus. dnus. archieps. Gnesn. et dnus. palatinus Cracoviensis et quidem cum tanta festinatione, ut etiam non expectaverint literas et instructiones Mtis. regie; putarunt, credo, regnum Hungarie omni presidio distitutum esse et aliter illius tranquillitati consuli non posse, quam illorum consilio et opera. Certum autem est, illic omnia tranquilla esse, domini enim concordes sunt et omnes propense voluntatis ad constituendas res Sermi. dni. Ludovici, regis, et reducendas ad bonum ordinem.

Hic adhuc pacem habemus, hostis enim quiescit, nos etiam ipsum non multum urgemus. Quid postea sequetur reddam vram. Mgciam. quam diligentissime certiorem.

Ex Prussia qui veniunt referunt: Cruciferos in armis esse, velleque illos conjunctis viribus cum magistro Livonie in terram Samogitie irruptionem facere tunc, cum Moscus exercitum suum ad aliquam arcem hujus dominii admoveret. Majestas regia non facile sibi persuadet, illos id facere debere, providet tamen, ut in eventum, quo aliquid exordiri vellent, tam improbos illorum conatus prohiberet.

Doleo plurimum oppidum vre. Mgcie. Schamotuli igne consumptum esse, cujus calamitati, ut succurratur, fratres mei concedent tantum roborum ex nemoribus bonorum Obrziczko, quantum fieri poterit. Ego enim cum alia bona paterna illis dimisi, ista etiam, que relicta sunt post mortem domini judicis, libens illis condescendo; jam enim dominus Deus ita me providet, ut non cupiam, nec opus habeam, ut accipiam sortem aliquam bonorum paternorum, et licet non dubitem, eosdem fratres meos omnia facturos, que optat vestra Mgcia., ego tamen agam per literas cum dno. castellano Miedzirecensi, ut consentiat et designet, quantum roborum ex eorum paupere patrimonio dari possit pro instaurando oppido vre. Mgcie. predicto. Nam quod attinet ad dnum. Nicolaum, qui hic est mecum, ille ad omnia consentiet, que sunt voluntatis et desiderii vre. Mgcie., domini et benefactoris nostri

tri communis. Cujus gratie me et omnem domum meam commendo et valere illam felicissime desidero. MDXVI

Cum primum Cziss convaluerit, non negligam remittere illum ad vram. Mgciam. Vilne.

XXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. Cracoviensi.

Mgce. etc. Intelleximus, dnum. archiepiscopum secum in Hungariam Czikowski et Wolski recepisse ea ratione, ut eos ad custodiam Sermi. dni. Ludovici collocaret. Scripserat quidem nobis Joannis Karnkowski, videri quibusdam dominis, ut aliqui ex Polonis ad eandem custodiam statuerentur, tamen nos consulte id vobis demandare noluimus, donec intelligeremus ex vobis, quomodo res istic omnes procederent. Volumus igitur, ut Stas. tua, si ipse dnus. archieps. vellet eos ad hoc officium ingerere, id prohibeat, et agat ita, ut cum ad hoc ventum esset, ut vellent domini illi Polonos aliquot habere ad dictam custodiam, rejicerent res ad arbitrium nostrum, ut nos illos, quos ad id idoneos arbitraremur, istuc mitteremus. Preterea volumus, ut Stas. tua diligenter advertat, ne quid contra dignitatem et sententiam nostram committatur a vobis prout illi in schedula scripsimus, et faciat omnia Stas. tua cum consilio et mutua intelligentia Quinqueecclesiensis episcopi, in cujus integritate et affectu in nos singularem habemus fiduciam. Sribimusque ad ejus Ptem. rogantes eam, ut suggereret Sti. tue ea omnia, que actionibus vestris profutura existimabit. — Vilne. Cod. R.

XXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Laski, Archiepiscopo Gnesnensi, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. et Cap. Cracoviensi, Oratoribus nostris.

Significavit nobis Illtris. dnus. Georgius, marchio Brandeb., nepos noster charissimus, non esse in hanc diem concordie satisfactum, quam inter se et spectabilem ac mgcum. dnum. Joannem de Zapola, comitem perpetuum Scepusiensem et vojevodam Transilvanie, affinem nostrum charissimum, pro arcibus Sulmoss et Lipa Posonii constitueramus. Nos vero, cum ab illo tempore a neutra partium quicquam ejusce rei commoniti fuerimus, existimabamus, dictos dominos nostre inter sese conventionis legibus, omni simultatum causa sublata, in gratiam rediisse. Cum tamen secus acciderit ac rebus Sermi. dni. regis Ludovici expedire videatur, ne hoc procerum dissidio illius Mtis. tenero adhuc regimini aliquid dispendii afferatur: committimus Stibus. vris., ut, adjunctis sibi nonnullis dominis regni Hungarie consiliariis, pacem autoritate et diligenti opera nostra inter dictos dominos fundatam firmare studeant, et in summa nobis perspecta earum prudentia ita agere, ne quid detrimenti tumultusve hoc negotio illi regno oboriatur. Facient Stes. vre. ea opera nobis rem acceptissimam. Quas bene valere optamus. Dat. Vilne d. S. Georgii. Cod. R.

XXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Episcopo Quinqueecclesiensi, Regni Hungarie Cancellario.

MDXVI. Cod. R. Rnde. in Christo pater et domine amice charissime. Rediens istinc ex Hungaria venerabilis Joannes Karnkowski, secretarius noster, retulit nobis, quo studio et affectu vra. rma. Ptas. incumbat bono statui et dignitati Sermi. dni. regis Ludovici et domus nostre, que benivolentia illius, licet nobis semper cognita fuerit, tamen eo nunc clarior est et magis nos dedelectat, quo major sit opportunitas et locus illius declarande. Agimus igitur vre. rme. Pti. immensas gratias et rogamus illam, ut commendatam habeat dignitatem et statum ipsius dni. Ludovici, regis, et domus nostre suggeratque istic oratoribus nostris ea omnia, que intelligit illos agere oportere pro commodo et honore illius Mtis. et nostro. Commisimus enim illis, ut nihil absque speciali consilio et sententia vre. rev. Ptis. faciant. Nos vero vicissim, quidquid ad ejusdem rev. Ptis. vre. placitum et rerum ejus commodum et honorem facere unquam poterimus, id semper et gratissimo animo faciemus. Que valeat feliciter et nos diligat. Dat. Vilne IV die Maji.

XXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Domino Naderspan, Emerico de Pereu, Palatino regni Hungarie.

Cod. R. Spectabilis et mgce. domine, amice noster dilecte. Cognovimus semper singularem affectum et propensionem vre. Mgcie. erga nos et domum nostram, nec unquam in ea dubitavimus, verum ea tanto nobis nunc gratior est, quo magis temporis hujus opportunitas illam exigit, prout de illa et studio erga bonum statum Sermi. dni. regis Ludovici, nepotis nostri charissimi, abunde intelleximus tam ex literis Mgcie. vre. quam etiam ex relatione oratoris nostri, qui nuper istinc rediit. Quare agimus plurimas gratias vre. Mgcie. et rogamus illam, ut commendatum habeat eundem statum Sermi. dni. regis Ludovici illumque pro virtute et debito suo complectatur auctoritate et consilio suo, quod rursum Mgcie. vre. omni benivolentia et favore nostro regio volumus referre. Que valeat feliciter et nos diligat. Dat. Vilne IV Maji.

XXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Cesari Maximiliano.

Cod. R. Serenissime et invictissime princeps et domine frater et consanguinee noster charissime ac major honorande. — Accepimus binas literas vre. cesaree Mtis. quibus nos certiores facere dignata est de faustissimis successibus et clarissimis rebus suis gestis in Italia, quibus intellectis,

tellectis, tanta voluptate et letitia affecti sumus ut in rebus nostris quibusvis prosperrimis majori affici non potuerimus. Agimus igitur vre. Celsitudini immensas gratias, quod nos impartiri dignata est tam jucundo rerum et ceptorum suorum nuncio hocque solatio nos in modernis inquietudinibus nostris reficere. Faciat immortalis Deus id, quod nos magnopere optamus, ut adhuc Mtas. vra. ad extremum usque hostes suos devincat, triumphoque amplissimo et illis omnibus, que illi et sacro Romano imperio debentur, pro voto et desiderio suo potiatur. MDXVI.

Ceterum defuncto jam pridem Sermo. olim dno. Vladislao, Hungarie et Bohemie rege, fratre germano nostro desideratissimo, misimus in Hungariam oratores nostros, viros primarios, et nihil ambigentes, quin et vra. cesarea Mtas. mittere suos deberet. Commisimusque illis, ut cum dnis. illis sedulo id omne, quod ad bonum statum Sermi. domini regis Ludovici pertinere videretur, agerent mutuis consiliis et unanimi studio cum oratoribus vre. Mtis. nec minimum quicquam ab illis dissentirent. — Hactenus tamen nihil intelleximus, quid illic sit actum, et non dubitamus omnia prius vre. Mti. cognita futura quam nobis. Que felicissime vincat et valeat nosque fraterno suo amore et benivolentia, qua cepit amplectatur et habeat sibi jugiter commendatos. Vilne.

XXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Andr. Nisczizcki, Pal. Plocensi.

Mgce. etc. Expectavimus a longo tempore, ut Stas. tua jura, que se a nobis ad preposituram S. Michaelis plocensem habere pretendit, coram nobis exhibuisset, et insuper pro benignitate nostra illam adhortati sumus terminumque satis amplum illi prefiximus ad producendum eadem jura cum intimatione privationis bonorum ipsorum, que absque ullo legitimo titulo hactenus violenter et indebite occupavit, nolentes, ut de donationibus nostris aliquis alter arbitrium ferat et illas interpretetur quam nos ipsi. Cum igitur Stas. tua intra terminum sibi assignatum non curavit dicta jura sua, si que habet, coram nobis producere et in iis, que de pietate et beneficentia nostra procedunt, arbitrium et decretum nostrum posthabuit, commisimus dicte prepositure bona ita ut merito facere debuimus nostra auctoritate vendicare pro secretario et presentato nostro Andrea, qui ad eandem preposituram est jam pridem legitime institutus. Mandamus Sti. tue id, quod omnino habere volumus, ne deinceps se una cum filio suo ad eam ipsam preposituram et bona illius quoquo modo intromittat et secretarium nostrum impediat. **Ex cod. mss. bibl. Ossolin.**

Ceterum quia ad plebanatum in Wiskothki, quem ut post mortem vacantem alteri secretario nostro, venerabili Stanislao, contulimus, debuit etiam Stas. tua intra eundem terminum, quem de prepositura illi statueramus, jura sua coram nobis reponere, id quod facere non curavit, deberemus merito plebanatum ipsum illi pariter mandare recipi, tamen ut ampliorem adhuc in se benignitatem nostram agnoscat, prefigimus illi secundum terminum ad festum Sct. N. N. intra quem volumus et mandamus illi districtius, ut jura, si que habet, coram nobis exhibeat, ut nos ipsi differentias in collationibus nostris, quas ab omnibus difficultatibus immunes esse volumus, cognoscamus et interpretemur. Alioquin faciemus similiter bona ejusdem plebanatus Sti. tue aut ejus filio recipi et secretarium nostrum deinceps ab omni impetitione illius tuebimur. Datum Vilne.

XXXVIII. SIGISM.

XXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni.

MDXVI. Cod. R. Fuit non pridem apud nos orator Sermi. olim domini regis Hungarie, fratris germani nostri incomparabilis, qui nobis inter alia nomine illius Mtis. retulerat: imperatorem Turcorum misisse ad eam nuncium suum postulatu inducias ad tres annos, et illius Mtem. nullam habentem spem in aliqua christianorum principum expeditione, ad easdem triennales inducias consensisse atque etiam rationem habendo confederationis regni sui Hungarie cum nostro adjunxisse in responso ac suo oratori, qui illic apud Turcum jam a biennio agit, significasse, ut hoc fedus et inducie triennales una nobiscum et dominiis nostris inirentur, unoque ipsius imperatoris nuncio, qui illuc in Hungariam mitteretur, mutuo firmarentur, ita quod idem nuncius haberet plenariam potestatem producendi nobiscum inducias tam diu, quoad cum regno Hungarie durarent. Proinde voluisse illius Mtem. scire animum et sententiam nostram in hac re. Nos, qui meminimus, extare nobis cum eodem Turcorum imperatore adhuc supra unum annum induciarum, nolentesque inconsulte rem aggredi, respondimus: nos delaturos id ad consiliarios regni nostri et postea voluntatem nostram per literas vel nuncium nostrum declaraturos. Quare significandum id duximus vobis postulamusque: ut nobis sententiam suam perscribatis, quid nobis faciendum censeatis in ea re pro majori tranquillitate et commodo Reipublice, et si nunc una cum regno illo Hungarie easdem inducias conficere et prorogare deberemus vel alias seorsum, quando nostre expirabunt, et si honestius utiliusque videtur Pti. vre. mittere posthac seorsum petitum pacem et inducias, quam nunc mutuo cum regno Hungarie illas prorogare, quia juxta confederationem nostram cum ipso regno Hungarie non liceret posthac longiores petere quam essent illius.

Hactenus nullam habemus difficultatem cum hoste nostro, duce Moscorum, omnia sunt quieta in finibus, idque, ut putamus, non minori angustia et lassitudine hostili quam nostra; fiunt tamen a nobis illuc crebre incursiones et gratia Dei cum victoria semper et preda Moscitica. Nos, utcumque fessi sunt jam et pene exhausti homines dominii hujus Lithuanie, tamen dirigimus et statuimus ita res nostras cum his consiliariis et subditis, qui soli facultatibus et sanguine suo sustinent una nobiscum hoc onus, ut nos hostis noster aliquo modo aggredi aut circumvenire non possit, expectamusque quorsum hec alea convertetur. Interea vero inivimus fedus cum novo imperatore Tartarorum et speramus, quod id erit firmum; pro majori tamen securitate regni conduci fecimus milites mercenarios in fines Russie, et ita non veremur periculum aliquod illinc imminere. Dat. ex Lithuania.

XXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Casimiro, Duci Tessnensi.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Illme. princeps et dne. Accepimus literas vre. Illtis., quibus se graviter ferre scribit, quod per oratores, quos ad ces. Mtem. misimus, nihil de causa false monete illis agere commisimus, petitque,*

que, ut saltem illius demandemus consilium in hac re ipsius cesaree Mtis. exquirere. Nos fuimus semper ejus existimationis, quod Sermus. dnus. rex Ludovicus eam causam nomine suo, ut decebat, agere debuisset, verum cum oratores nostri ex Hungaria redierunt, exposuerunt nobis: dominis illis non videri, neque velle admittere, ut nomine illius Mtis. agi ipsa causa deberet propterea, quod tradito semel ducatu et successione ducis rathiboriensis, alteri non liceret pro eadem successione aliquid deinceps attentare: quare nos existimatione nostra frustrati nescimus, quid ulterius hac in re facere et significare ad ces. Mtem. deberemus; nam explicare illi rem, non visum fuit necessarium, quandoquidem prius per Raphaëlem illi totam declarari fecimus. Verum scribimus ad oratores nostros, ut si illic dnus. dux rathiboriensis aliquid contra Illtem. vram. agere vellet et auxilia aliqua sibi pararet, impedirent ipsam actionem. Nam cum eadem Illtas. vra. ad hortationem nostram hanc causam agressa sit, nollemus eam deserere, sed illi constanter ita ut polliciti sumus assistemus. MDXVI.

XL. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. et Cap. Cracov. et Regni Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. — Accepimus literas cesaree Mtis., quibus humaniter nobis et luctui nostro condolet et consolatur nos subjungens demum, se in hac re et aliis copiosius oratoribus nostris nobiscum agere commisisse, nihil aliud aperte inferens. Scribit tamen nobis eps. vladislaviensis, ejus Mtem. mox intellecta morte Serme. olim conjugis mee, obtulisse se sponte ad procandum nobis, velleque omnino, ut non alterius quam ipsius medio aliud matrimonium iniremus, cum vero et cardinalis dnus. Gurcensis de mente ejus Mtis. scribat itidem Sti. tue nominetque eas, quas nobis in matrimonium ordinare velit, non videtur nobis ad presens aliquid adhuc in ea re inceptare. Volumus igitur, ut Stas. tua hoc sensu ipsi dno. cardinali rescribat: quod videlicet apud nos presens non sit, nec propter viarum longa intervalla tam cito fieri potest aut alio modo commode nobiscum hec communicare, verum quam primum nos convenire poterit, quod omnia nobis declarabit. Preterea, quod Sti. tue adhuc tempus aptum non videtur nobiscum ista tractare, cum vulnus animi adhuc sit recens dumque istis cum hoste nostro difficultatibus distinemur, quod tamen non dubitat, gratam nobis futuram hanc sollicitudinem et benivolentiam cesaree Mtis., quam in ea re adversum nos exhibet. Aliter nunc respondere non videtur nobis decorum. Cod. R.

Habemus hic magnam difficultatem cum militibus nostris mercenariis, qui non habentes rationem necessitatum nostrarum, stare nolunt ea mercede, quam ad presens eis offerimus et qua majorem tam cito conficere non possumus. Demum et alia multa incommoda et sollicitudines sunt ad nos devolute, que nobis magnam molestiam exhibent, nec plane intelligimus, quando ex illis nos explicare poterimus. Bene valeat Stas. tua. — Datum ex Brzescie.

XLI. PETRUS

XLI. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl., Vicecancellarius, Luce de Gorka, Capitaneo Majoris Polonie.

MDXVI. Cod. R. Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Cziss vre. Mgcie. adhuc languet, meliuscule jam tamen valet et spero, quod propediem discedere poterit. Jam Mtas. regia subscripsit se literis vre. Mgcie., quas ego tantisper apud me tenebo donec aliquis se offeret, per quem illas commode mittere possim.

Ex Prussia scriptum fuit nobis paulo ante, utrumque etc. ut supra. Sed rursum nunc scribitur, eos in spe multum decidisse et mitiores esse factos eo quod intellexerint felices successus cesaris et optimum animum erga nos, quodque idem cesar velit nuptum dare Mti. regie neptem suam, dnam. Leonoram, ducem Burgundiensem, deinde, quod dux Moscovie committere vellet arbitrio cesaris causam suam cum Mte. regia et consentire ad inducias. Hec nos adhuc aliunde non intelleximus, verum quando de his facti fuerimus certiores, non negligam vre. Mgcie. perscribere, nam quotidie expectamus nuncium cesaris ex Moscovia. Commendo me etc.

XLII. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl. Vicecancellarius, Spitkoni de Jaroslaw, Cast. Cracoviensi.

Cod. R. Mgce. dne. etc. Ab eo tempore, quo dni. archieps. Gnesn. et palat. Cracoviensis profecti sunt in Hungariam, nihil de eis audivimus preter id quod sunt ab illis dominis honorifice excepti. Speramus tamen in dies eos inde redituros vel saltem significaturos, quomodo constitute sint res et status Sermi. dni. regis Ludovici et regnorum ipsius.

Hic ab hoste adhuc tranquillum est, nihil auditur de aliquo ipsius apparatu, tamen Mtas. sua adhibet bonam custodiam, ne incautos nos quoquo modo possit adoriri, expeditque nunc aliquot milia hominum ad fines in subsidium militum, qui illic sunt, et quia nuncius cesaree Mtis. jam redit ex Moscovia et debet propediem hic esse, cognoscemus ex eo omnia clarius et intelligemus, quid futurum erit de pace aut bello.

Ex Prussia scriptum nobis fuit paulo ante, utrumque magistrum etc. ut supra.

Est hic ad presens, orator regis Danie, qui postulat innovari nomine regis sui antiqua federa cum Mte. regia et ejus dominiis, et ut Mtas. sua prohiberet civibus Gedanensibus, ne habeant commercia cum Swetis, qui sunt a multis annis rebelles ipsi regi Danie. Bene valeat etc. Vilne.

XLIII. Petrus Tomiczki, Episcopus Premisliensis, Joanni Lubranski, Epo. Posnaniensi.

Cod. R. Rme. in Christo pater etc. Quando mihi reddiderat literas vre. rme. Dtionis. dnus. Nicolaus, frater meus, egi cum Mte. regia de his, que in captione beneficiorum nunc Rome aguntur

aguntur et de hujus indigne et perniciose rei suggestoribus. Ejus Mtas. fecit scribere literas ad S. pontificem et dnum. cardinalem S. Crucis, uti voluit vra. rma. Dtio., quas illi jam dudum misissem, nisi Cziss, juvenis dni. castellani Posnaniensis, per quem illas mittere volui, esset hic egritudine correptus, et quia adhuc languet mitto eas per Valkier simul et earum exempla. MDXVI.

Profectus est dnus. archieps. et dnus. palatinus Cracoviensis in Hungariam, ut adessent in illo conventu ordinationi de statu Sermi. dni. regis Ludovici, et facta est certior Mtas. regia, nihil illic neque tumulti neque dissensionis alicujus esse; proindeque spes bona est et ego nihil dubito, quod ita componentur omnia, ut melior ordo fiat quam vivente illius Mte. parente.

Hic apud nos nihil usque huc novi est quod scribam, continet se hostis intra fines suos nihil inceptans, nos etiam expectantes illinc nuncium cesaris, qui gratia tractande pacis illuc esset missus, nihil prorsus agimus, nihil habemus compertum, nec quid novi afferet scire possumus; itaque difficillimum est judicare, quorsum res declinabit, et omnino priusquam finis aliquis fiat cum ipso hoste, nihil poterit determinari de rebus regni et matrimonio regio, quamvis scribat mihi rmus. dnus. cardinalis Gurcensis, venire huc brevi debere nuncium ad Mtem. regiam in eo negotio; et ita spero, quod et hic res tractari poterit. Ceterum scribit etiam mihi secreto ipse dnus. cardinalis, quod etiam rma. Dtio. vra. secretum habere dignetur, egisse diligenter apud cesarem dominam ducem Masovie, ut scriberet Mti. regie suadendo illi, quo duceret ejus filiam uxorem, et cesarem quidem pro conjunctione sua cum illis ducibus non potuisse se honeste excusare; verum se hoc contra sententiam suam scribere, et de hoc non debere Mtem. regiam aliquid inde aliud existimare de illius cesarea Mte., quam quod cupiat, ut neptem suam ducat dominam Leonoram, et voluit ipse dnus. cardinalis, ut id predicerem regie Mti., que et miratur et egre fert tantam importunitatem et impudentiam istius ducis, quasi Mtas. sua cogi deberet ab aliquo ad matrimonium preter suam voluntatem. He omnes sunt artes illius omnifarii artificis (Joannis Laski, archiepi. Gnesnensis) qui humana et divina omnia permiscet.

Scripserat antea dnus. eps. Varmiensis, utrumque magistrum Prussie et Livonie delectum gentium suarum fecisse et parasse se, ut pro concilianda gratia ducis Moscovie vel irruptionem facerent in terram Samogitie vel civitatem Elbingensem obsiderent, verum scripsit deinde alias literas, quarum copiam mittere volui vre. rme. Dtioni., ut ex eis intelligeret, quid cum cesarea Mte. agatur et qualiter illa erga nos sit animata, que denique spes sit ex Moscovia et matrimonio, liquet enim, cesarem jam non dissimulare de ipso matrimonio, quod non solum debilitabit animos et spes inimicorum, sed etiam conatus improborum confundet.

In negotio dni. Swidwe, fratris mei, feci diligentiam apud Mtem., ut fieret satis voluntati illius, verum Mtas. sua respondet, se juste id facere non posse, ut deberet processum cause alicujus in jure vel continere vel retrahere ad se aut ad conventum generalem sine provocatione partis alicujus, nec licere sibi facere alicui prejudicium; itaque obtinui literas ad dnum. palatinum Lublinensem, ut ille dominum Senienski per amicam operam quoquomodo induceret ad id, ut contineret se a processu litis et suspenderet omnem causam ad conventum

MDXVI. conventum generalem, quod itidem rma. vra. Dtio. illi scribere dignetur; scio enim ipsum dnum. palatinum Lublinensem libenter illi servire et morem gerere. Aliud profecto obtinere non potui, Mte. regia se justis ac decentibus rationibus excusante. Alia pro quibus scripsit vra. rma. Dtio. in rebus domini Swidwe, rescribam illi.

LXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Maximiliano, Cesari.

Cod. R. Serme. et excellentissime princeps, dne. frater et consanguinee noster charissime et major honorande. Fuit apud nos spectabilis Bretislaus Swihowski de Ryssenbergk, Sermi. dni. regis Ludovici magister curie, qui nobis nomine vre. Mtis. cum literas aliquot obtulit, tum etiam egit verbis nonnulla ad mutuam benivolentiam et conjunctionem nostram pertinentia, que nos magnopere delectarunt, et quibus itidem nos ipsi verbis respondimus. Verum quod ad ea attinet, que in literis continebantur, fuimus quidem non parvo tedio affecti, nihil a longo tempore intelligentes, quid egerint nuncii vre. Mtis. apud hostem nostrum, ducem Moscovie et item ejus apud vram. Mtem.; tamen quando Pantaleon illinc rediens apud nos fuit et responsum, quod ab eodem hoste nostro accepit, nobis declaravit, scripsimus per eum vre. Celsitudini, id quod tum ex re nostra censuimus faciendum. — Cum vero, antequam ille ad vram. Mtem. pervenisset, dignata sit oratorem suum insignem, rev. dnum. epum. Laibacensem, principem et consiliarium suum forte cum aliis nonnullis ad nos et dictum Moscovie ducem gratia pacandarum rerum nostrarum designare, est id nobis multo gratissimum, ac vre. Celsitudini pro hac sollicitudine et fraterno benignoque officio plurimas agimus gratias. Quando vero idem orator ad nos applicuerit, instituemus cum eo modum, quo id ipsum munus obire debebit, quantum rebus et dignitati nostre expedire videbitur.

Ceterum quod ad statum regni Bohemie attinet, plurimas etiam gratias habemus vre. ces. Mti., quod mittens ad idem regnum oratores suos commiserit illis, partes nostras una cum suis simul agere, quam benivolentiam et favorem vre. Mti. pari et omni alio gratitudinis et integritatis officio rependere curabimus, et misissemus quidem nos etiam illuc proprios oratores, si de conventu statim ipsius regni quidquam comperti habuissemus, sumus tamen non pridem edocti, peractum esse jam illic conventum ipsum, vestramque Mtem. et nos una in tutores Sermi. dni. regis Ludovici et ejusdem regni ipsius susceptos esse deputatosque singillatim ad utrumque nostrum oratores insignes, qui id denunciarent peterentque hanc provinciam a nobis suscipi. Non dubitamusque illos apud vram. Mtem. vel fuisse jam vel brevi futuros. Nos etiam eos, qui ad nos designati sunt, in horas expectamus; qui cum primum ad nos venient, tractabimus cum eis ea omnia, que ad officium nostrum mutuum et bonum felicemque statum prefati Sermi. dni. regis Ludovici pertinere arbitrabimur id quod et vra. Celsitudo pro se facere et non deesse illius commodis dignetur.

De rebus suis Italicis et urbe Brixia intercepta, quod nobis Mtas. vra. daclarare voluit, id nos tanto dolore affecit, ut eam jacturam juxta atque nostram propriam estimemus, tamen perpendentes

perpendentes nobiscum prudentiam et dexteritatem vre. Celsitudinis, nec non rerum omnium, presertim bellicarum vicissitudinem, facile speramus illam et eam urbem et reliqua, que illi debentur, brevi cum amplissima sua gloria et dignitate reipublice christiane vindicaturam, idque, uti spem habemus, in dies audire pro summa consolatione nostra vehementer optamus. MDXVI.

Valeat et sit felix vra. ces. Celsitudo, cujus favori et fraterne individueque benivolentie nos plurimum commendamus.

XLV. Responsum Nuncio Cesaree Majestatis a Sigismundo, Rege Polonie.

Legatio vre. Dtionis., quam nomine ces. Mtis. egit coram sacra reg. Mte., hec summatim continebat. Retulit primum: se missam esse ab ejus ces. Celsitudine ad tractandam et conficiendam pacem et concordiam inter suam regiam Mtem. et ducem Moscovie, et conditiones modosque, quibus id agere debeat, declaravit. Cod. B.

Similiter habere se dixit in mandatis de re Pruthenica perquirere et tractare, quodque cesarea Mtas., intellecta negotii ratione, haberet certa quedam media dissensionem inter ejus Mtem. et dnum. magistrum tollendi et negotium componendi.

Ceterum retulit: dominos regni Hungarie recusare, ut consiliarii utriusque Mtis. nec non et regni Bohemie apud Sermum. dnum. regem Ludovicum presentes essent, de quorum mutuo consilio status et negotia illius Mtis commodius dirigerentur, sed solis sibi omnem gubernationis potestatem vindicare.

Postulavit deinde nomine illius cesaree Mtis.: ut sacra Mtas. sua ordinari faceret celeres postas hinc usque Vratislaviam et quod idem ces. illius Mtas. a se facere vellet, quo absque mora litere ultro citroque inter utramque Mtem. perferri possent.

Postulavit etiam: ut sua sacra Mtas. Dantiscum, nuncium suum, apud illius ces. Mtem longius manere permitteret, nec illi imputaret, quod tantisper apud eam sit immoratus.

Retulit preterea vra. Dtio.: quendam Moscum Juden, qui cum Pantaleone proficisci debuit, egritudine fuisse in terra domini magistri Prussie correptum, et dum in Moscoviam rediret in securitate salvi conductus esse a subditis Mtis. sue captum.

Postremo petiit vra. Dtio.: ut Mtas. sua regia ocius illam expedire dignaretur, vel si id fieri commode non posset, nuncius ducis Moscovie, qui cum illa vadit, celerius precedere permitteretur et conduceretur per dominium sue Mtis.

Et hec summa fuit eorum, que Dtio. vra. egit. Quibus sacra Mtas. sua dignata est mihi committere ita illi suo nomine respondere.

Imprimis vero s. Mtas. reg. agit et habet summas gratias Serme. ces. Celsitudini de hac illius Mtis. tanta in se benivolentia et amore, quod non gravatur tot nunciis et tractatibus agere et contendere, quo Mtas. sua in pace et tranquillitate regno et dominiis suis fruatur et difficultatibus, quibus distinetur, honestis mediis exolvatur. Quam curam et sollicitudinem vult et pollicetur Mtas. sua illius Celsitudini vicissim omni benivolentia, studio et facultate

MDXVI. facultate sua, quoad vixerit, semper referre neque unquam aliquid pretermittere, quod rationibus et glorie illius ces. Mtis. sua opera et cura conducere posse putabit.

Et probat quidem Mtas. sua, suntque satis ex ejus sententia conditiones et media hec, quibus illius Celsitudo edocuit vram. Dtionem. rem cum duce Moscovie aggredi et agere; verum id non videtur rei et dignitati Mtis. sue congruere, ut mittere nuncios suos ad hostem deberet, qui contra omne fas et jusjurandum Mti. sue bellum intulit et multa damna perpetravit, ne Mtas. sua censeretur ab illo jam eo loci esse redacta, ut pacem ab eo petere cogeretur, cum ad id nulla necessitate stringatur. — Contenta est tamen Mtas. sua, mittere nuncios cum sufficienti instructione et potestate vel ad civitatem Rigensem, ut illic unacum nunciis illius convenirent, vel ad fines separatim in locum aliquem commodum sue cujusque ditionis, inter quos vra. Dtio. commeando tentaret rem aliquo honesto et equo modo nomine illius ces. Mtis. componere et determinare. Quod si dux Moscovie utrumque facere recusaret, Mtas. sua consentit, ut vra. Dtio. agat, quo fiat compromissio in cesaream Mtem. et mittantur ad illam a singula parte tres nuncii, qui, facto jurejurando equi et justi consilii, rem inter se tractarent et expedirent. Quam ubi diffinire et coequare non possent, illius Mtas., in quam compromissum esset, diceret et pronunciaret id, quod ei justum et congruum videretur, et ut interim inducie alique firme et convenientes statuerentur.

Hec utcumque vra. Dtio. cum ipso dno. duce Moscovie constituet, postulat Mtas. s. reg., ut eam quam celerius certiorem faciat missis ad fines aliquo cito modo literis, que, ut inde huc absque mora perferantur, a Mte. sua providebitur, ne Mtas. sua per longam expectationem tempus et occasionem rebus suis consulendi pretermittat.

Quod vero ad rem Pruthenicam attinet, causa una est duntaxat et ea quidem non difficilis hujus omnis dissensionis: vid. juramentum, quod dnus. magister Mti. sue prestare debet, quod quare hactenus facere recuset, Mtas. sua satis mirari non potest, et presertim, quod ad evadendum hoc suum debitum, implet querimoniis universum terrarum orbem cum magna injuria Mtis. sue, et multas ac varias difficultates etiam sue professioni et necessitudini non congruas Mti. sue et dominiis ejus ingerit. — Tamen quia hoc negotium non adeo est urgens, ut id, quod furore bellico estuat, et vra. Dtio. duo obire simul non potest, censet Mtas. sua, ut prius rei Moscitice toto studio incumbat, et nihilominus optat Mtas. sua, ut ei referat hos modos et conditiones, quibus ces. Mtas. differentiam ipsam inter ejus Mtem. et dnum. magistrum tollere vellet, ut interim, priusquam id agatur, possit Mtas. sua illas secum perpendere, utrum ex usu suo et regni sui forent, nec ne.

De voluntate dominorum Hungarorum in gubernatione status Sermi. regis Ludovici jam pridem etiam sua Mtas. intellexit et multum indigne tulit, putat enim itidem ut ces. Mtas., autoritati utriusque non modicum detrahi, et proinde vult de hac re cum illius ces. Mte. opportunum capere consilium.

Postas celeres hinc usque Vratislaviam, ita ut illius Celsitudo postulat, Mtas. sua disponi mandavit.

Dantiscum etiam Mtas. sua tam diu relinquere dignetur apud illius ces. Mtem. quamdiu libuerit, et gratum est sue Mti., quod ejus servitia placeant et sint ex sententia illius ces. Majestatis.

De

De Mosco autem Juden, quod in securitate prestita capi debuerit, non constat Mti. regie, meminit quidem, datum a se fuisse nuncio ducis Moscovie, Basilio Teterin, qui cum Pantaleone profectus fuit, et ejus familie, eunti cum eo et redeunti salvum conductum; deinde vero captum fuisse a speculatoribus Mtis. sue et custodibus finium Moscum quendam, habitu Germanico, clam terram Mtis. sue penetrare volentem, qui tamen eo ipso die, quo ad eam perductus fuit, ferro sibi mortem conscivit, et hec res non aliter se habuit. MDXVI.

Expedire vero hinc vram. Dtionem., quamvis tam cito non placuerit Mti. sue regie, ut que honoris gratia Serme. ces. Mtis. habet ejus presentiam apud se multo gratissimam; tamen quia et vra. Dtio. id optavit et Mtas. sua intelligit, celeritatem tam negotiis suis quam itineri vre. Dtionis. expedire, noluit illam diutius remorari et cupit, ut rursum ad se salva et incolumis revertatur.

XLVI. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Christophoro Schidlovicio, Cancellario.

Mgce. dne., dne. et fautor honorandissime. Fuit hic his diebus nuncius a ces. Mte. dnus. Bretislaus Swihowski, qui exposuit ejus ces. Mtis. mandata de iis, que dux Moscovie per nuncios suos ad eam pluries significavit, quod videlicet nollet alicubi mittere ad pacem tractandam, sed ut Mtas. regia mitteret ad eum oratores suos, ut antehac consuevit, propter quod mittere cesaream Mtem. huc solennes oratores, quorum primarium erit dominus Christophorus, eps. Laibacensis, ut si Mti. regie videretur illuc in Moscoviam suos nuncios mittere, consuleret et eligeret tempestive ipsos nuncios, qui una cum dicto domino epo. et ejus collega proficiscerentur, et agerent ita omnia, ut Mtas. sua instrueret pro commodo et dignitate sua. Et hec fuit summa legationis sue, quam egit publice. Cod. R.

Postea habuit audientiam secretam cum sola Mte. regia de matrimonio et id, quod dixit et quomodo illi responsum sit, intelliget vra. Mgcia. ex literis secretis Mtis. sue, quibus respondebit id, quod honestius et utilius pro Mte. sua et Republica factu putabit.

Nostri, qui ad expugnandam Homle, arcem hostilem, missi fuerant, redeunt infecto negotio, non parvo tamen detrimento hostibus illato; sed ita successum esse absque Polonis non est mirum, nolunt tamen credere, se absque eis nihil esse. Commendo me etc.

XLVII. Sigismundus, Rex Polonie, Maximiliano, Cesari.

Serme. et excellentissime princeps. Admonent nos sepius cum per literas tum per nuncios suos consiliarii tam regni Hungarie quam etiam Bohemie, ut ageremus cum vra. Mte., quod postquam longe jam terminus est elapsus, quo Illma. dna. Anna, neptis nostra, certum et firmum conjugem habere debuit et id hactenus factum non est, parvaque sit spes, ut ea res cum aliquo nepotum Mtis. vre. effectum sortiri possit, forte propter nonnulla alia pacta matrimonialia, Cod. R.

MDXVI matrimonialia, quibus uterque fertur esse multifariam involutus, ipsa Mtas. vra. cum eadem Illma. dna. Anna confirmare matrimonium juxta pacta et conventus inter nos mutuo factos dignaretur. Urgentque nos eo acrius, quo nos soli sine illis cum Mte. vra. hoc negotium conclusimus, unde si quid in eo — ut solent per tales dilationes multi intervenire casus — preter spem et sententiam, quod dnus. Deus avertat, accideret, in nos omnis culpa dirivaretur. Quare vram. Mtem. Sermam. omni cura et studio rogamus et obtestamur, ne diutius hanc rem in ancipiti esse patiatur, sed uti est inter nos conventum, ipsam Illmam. dnam. Annam in conjugem recipiat; quo faustissimo matrimonio multo major accedet benivolentie et conjunctionis nostre communiumque regnorum et dominiorum nostrorum cumulus et proinde universe reipublice christiane commodum et ornamentum, nobis vero singillatim vra. Mtas., qui nunc illius consilio et arbitrio uxorem ducemus, meritam referat gratiam, cui vicissim interventu nostro tam egrigium et se dignum opus perficiet, quo nos perpetuo faciet sibi devinctissimos. Cupimus cesaream Mtem. vram. ex animi sententia longe et felicissime valere etc.

XLVIII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Matheo, Cardinali Gurcensi, Cesaris Maximiliani in Italia Locumtenenti.

Cod. R. Rme. in Christo pater et dne., dne. colendissime. Post servitutis et observantie mee commendationem. Ab eo tempore, quo cum vra. rma. Dtione. digressus sum, nihil illi scripsi partim variis occupationibus partim nulla rerum et nunciorum opportunitate, tamen pro concepta fide et studio meo erga illam paratus fui, semper omnia ejus mandata et nutus ipsos obire, expectoque si quando mihi aliquid negotii sui injungere dignabitur. — Idque loco muneris alicujus habebo, cum mihi promerende gratie sue occasionem prebebit.

Sacra Mtas. dni. mei licet cum nonnullo adhuc merore, tum bellicis inquietudinibus districta sit, tamen clementia Dei optime valet degitque nunc in dominio isto expectans, quid responsi nuncius cesareus ab hoste referet.

Habuit ejus Mtas. literas vre. rme. Dtionis., quas dno. palatino cracoviensi in re matrimonii scripsit. De quibus Mtas. sua fuit plurimum grata, et respondebit ad eas ipse dnus. palatinus cracoviensis vre. rme. Dtioni. — Ego nihil ambigo, ejus Mtem. secuturam in hac re, ut in aliis facit, consilium et voluntatem cesaree Celsitudinis. Verum in hac moderna ejus Mtis. status inquietudine videtur mihi opportunum, ut vel ipsa cesarea Celsitudo vel rma. Dtio. vra. illam specialibus literis clarius adhortaretur. Quanto enim hec res celerius confici posset, tanto magis expediret. Solent enim varii variis rebus principum aures sollicitare et tantas eorum conjunctiones impedire. Commendo me gratie vre. rme. Dtionis. et rogo illam plurimum, ut me ac opera mea qualicunque non secus uti velit, quam cujusvis sibi addictissimi. Valeatque optime letosque et felices agat dies.

XLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Palat. et Capit. Cracoviensi et Regni Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. — Licet nobis nec cesarea Mtas. nec dnus. cardinalis Gurcensis aliquid eorum significaverit, que ad Mtem. tuam de matrimonio perscripta sunt, tamen, ne qua parte benivolentia et sollicitudo ejus cesaree Mtis. videantur a nobis parvi pendi, deliberavimus, ut Stas. tua scribat ad dnum. cardinalem in hunc modum, qui in schedula continetur, ut mittat literas in manus Boneri, ut ille eas cum aliis, quas in negotio Gedanensium ad cesaream Mtem. mittimus, curet perferendas. MDXVI. Cod. R

Cum ea, que mihi vra. rma. Dtio. de cura cesaree Mtis. in re matrimonii Sermi. dni. mei scripsit, non potui ejus Mti. coram declarare, agente nunc illa in magno ducatu Lithuanie et me negotia publica in regno obeunte, reddidi ejus Majestatem nuncio et literis meis secretis de omnibus abunde certiorem. Que demum mihi dignata est respondere, plurimum sibi gratam esse tantam affectionem et sollicitudinem de se cesaree Mtis. et pro ea se amplissimas ejus Mti. simul et rme. Dtioni. vre. gratias habere; verum partim in dolore suo nondum extincto partim in presenti summa inquietudine et occupatione bellica non potuisse adhuc animum suum inducere ad cogitandum aliquid de re uxoria, que non bene cum armis congruit; tamen, quando tempus et cogitatio quietior subiret et fieri aliquid in ea ipsa re Mtas. sua vellet, nihil se facturam incepturamve sine scientia et consilio cesaree Mtis., cui semper in omnibus placere cupit et quam ut consanguineum et majorem suum benivolentia et studio suo complectitur et observat.

L. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lubbrancz, Epo. Posnaniensi.

Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Est nobis non vulgariter grata hec cura et sollicitudo, quam vra. Ptas. habet de valetudine et rebus nostris, semper enim cognovimus sinceram ejus erga nos fidem et affectionem. Cod. R.

Valuimus hucusque gratia Dei recte et deinceps ut fatales comminationes evitemus curabimus; et licet non possumus non esse solliciti in his bellorum motibus et decessu tam charissime conjugis nostre, quam etiam unici et optime de nobis meriti fratris, tamen ferimus illa eo animo, quo nos decet, dirigentes, ut melius fieri potest, res nostras, et reliqua dno. Deo commendantes.

Quod vero ad rem matrimonii nostri attinet, vidimus eas literas, quas scripsit dnus. cardinalis Gurcensis mgco. Christophoro de Schidlowyecz, cancellario regni nostri, in quibus nominavit easdem, quas et Ptas. vra. latius nobis descripsit. Quod fuit quidem nobis auditu gratum. Verum ut Ptas. vra. intelligere potest, tante nobis ad presens difficultates et co-

MDXVI. gitationes incumbunt, ut nequaquam ullas alias admittant. Proinde id, quod nobis visum fuit nunc respondendum, edocuimus ipsum mgcum. Christophorum, cancellarium, ut rescripsisset. Quod, ut remur, cum Pte. vra. communicavit. Nos vero, quando animum nostrum ad eam cogitationem flectere poterimus, nihil agemus absque scientia et consilio vre. Ptis. et aliorum consiliariorum nostrorum. Et de hoc nihil omnino dubitari debet. Mittimus Pti. vre. exemplum brevis apostolici etiam in ea re nuper ad nos scripti. Valeat feliciter Ptas. vra. — Datum Vilne.

LI. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis suis in Regno Polonie. Unicuique seorsum.

Cod. B. Mgce. sincere nobis dilecte. — Per id tempus, quo in dominio hoc agimus, Serma. cesarea Mtas. pro eximia sua erga nos benivolentia et conjunctione nostra mutua sepius nos cohortari dignata est, cum medio rmi. dni. cardinalis Gurcensis, tum etiam suis literis, ut rationem habentes venturi status regni et dominiorum nostrorum ac Sermi. nepotis nostri dni. Ludovici, regis, cum masculina prole careamus et una duntaxat in utroque nostrum spes posteritatis superest, animum ad ineundum alterum matrimonium induceremus. Proposuitque nobis Mtas. sua inter alias neptem suam, Illustrissimam dominam Leonoram, principem Burgundie, virginem annorum decem novem, et aliam, que cum matre sua, domina Isabella, filia Alphonsi, regis Aragonum, degit in regno Neapolitano, offerens Mtas. sua, intellecta voluntate nostra, omnem suam operam, quo ipsum matrimonium quam maxime ex re et dignitate nostra conficeretur. Nos usque huc cesaree Mti. nihil certi respondimus, suspendentes rem, partim gemino luctu et modernis difficultatibus nostris, partim etiam, quia inconsulta Ste. tua ac aliis consiliariis nostris nollemus tale negotium aggredi, quod ad bonum statum Reipublice augendum vel diminuendum plurimum habet momenti, donec his diebus Mtas. sua cesarea misit ad nos oratorem suum insignem, mgcum. Bretislaum Swiechowski, ex proceribus Bohemie, per quem nos itidem de ipso matrimonio ineundo admonet, et ut se hinc ad festum S. Martini proximum de instituto animi nostri certiorem faciamus, propterea quod predicte ambe virgines in connubium ab aliis poscuntur et res longius differri nequit, declarans nobis ejus Mtas.: prefatam Illmam. dominam Leonoram, neptem suam, habituram dotis tercentum milia aureorum, et si fratres ejus, Sermi. Carolus et Ferdinandus, reges, sine masculina prole, quod absit, decederent, ipsa, ut senior, in principatum Flandrie et Burgundie succederet. Alteram vero Illmam. dnam. Bonam habere dotis ducenta milia parata, post mortem vero matris sue accessura adhuc ei quingenta milia aureorum, promittens insuper ejus cesarea Mtas., quo testatior esset ejus erga nos benivolentia et affectus, quod cognita voluntate nostra, et si animus nobis esset, secum Vienne aut alibi conveniendi, et id alioquin negotia Sermi. dni. Ludovici, regis, et nostra mutua valde exigunt, se effecturam esse, ut ambe predicte virgines illic constituerentur et nos coram, utram vellemus, eligere possemus. Id Mtas. sua vehementer cupiens, ut nuptias in presentia

presentia ipsius et de manibus ejus auspicaremur, in quibus ipsa adhuc hastis concurrere vellet, et id genus stratagemata sua hoc jucundo fine concludere. MDXVI.

Nos itaque cognita Mtis. sue cesaree tanta in nos affectione et quod hujus rei deliberatio diutius produci non potest, ut coram cum Sinceritate tua et aliis consiliariis mutuum caperemus consilium, decrevimus voluntatem nostram sue cesaree Mti. per nuncium vel literas nostras, cum id tantopere a nobis exigit, declarare, ne per longiorem cunctationem tantam rei bene gerende occasionem amittamus et tam favorabile ejus Mtis. erga nos officium negligere et parvi pendere videamur. Priusquam vero id faciamus, voluimus ante cum Ste. tua et aliis consiliariis nostris, quibus ad presens visum fuit, rem communicare, quam enixe hortamur: ut imprimis consulat, si nobis uxor ducenda sit nec ne? Deinde, cum in matrimonio tractando quemadmodum in omnibus principum actionibus, duo precipue sunt consideranda, honestum nostrum et utile Reipublice, perpendat secum diligenter pro prudentia et fide sua erga nos, que nobis potissimum his rationibus sit ducenda, et si, ut cesarea Mtas. optat resque nostre mutue exigunt, convenire cum illa debeamus, perscribatque nobis quam celerius suam sententiam, ut ad tempus, quo res exigit, ejus cesaree Mti. respondeamus, et quoad id fieri potest, habeat id Stas. tua secretum. Nam adhuc quibusdam de causis ita opus est facto, et cesarea Mtas. arcano hoc nobis significavit. Datum Vilne XI Octobris.

LII. Petrus Tomiczki, Vicecancellarius, Matheo, Cardinali Gurcensi, Cesaris Maximiliani in Italia Locumtenenti.

Reverendissime etc. Post servitutis et observantie mee in gratiam vre. rme. Dtionis. commendationem. Reddite sunt jam litere ille Mti. dni. mei, quas Celsitudo cesarea scripsit ad illam pro filia ducis Masovie. Et quia ego premonitus literis vre. rme. Dtionis. retuleram ante Mti. sue, id futurum aliudque esse propositum cesaree voluntatis, plus quam momenti alicujus habuerunt, sed profecto nisi tempori id vra. rma. Dtio. declarasset, adducta fuisset Mtas. regia in magnam admirationem et animi perplexitatem. Grataque est vehementer ejus Mtas. de tanto studio et cura vre. rme. Dtionis. de se et rebus suis, et nullum est dubium, quod ut in aliis omnibus sequi instituit voluntatem et arbitrium cesaree Mtis., sic et in matrimonio ineundo nihil faciet, nisi quod ejus cesaree Mti. placebit. Sed in hac re quanto mora longior, tanto deterior est, et Mtas. sua in his bellicis suis difficultatibus nequit vel cogitare quidem de matrimonio, ne dicam aliquid agere. Cod. B.

Proinde rogo plurimum vram. rmam. Dtionem. ut pro sua erga Mtem. suam benivolentia et voto omnium nostrorum subditorum Mtis. sue operam faciat, quo istud ss. matrimonium, quam celerius conficiatur pro majori conjunctione et vinculo ejus amicitie et federis, quod vra. rma. Dtio. cum summa sua laude inter tantos principes sola effecit. — Sed imprimis omnino necesse est, ut vel pax, vel inducie alique fiant cum duce Moscorum, nam durante bello, Mtas. sua hinc nullo modo discedere potest. Itaque hoc ante omnia efficere dignetur vra. rma. Dtio. Nam cesaree Mtis. sententiam et voluntatem dux ipse utcunque temerarius

MDXVI. temerarius sit et ventosus, haud dubie sequetur. Commendo me gratie vre. rme. Dtionis., quam dnus. Deus sanam et sospitem ad longos annos conservet. Datum Vilne.

LIII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. et Cap. Cracoviensi, Cancellario Regni.

Cod. R. Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Tametsi nihil intelligam de reditu vre. Mgcie., tamen eunte istuc in Hungariam famulo meo, volui illam certiorem facere de his, que ad presens apud nos aguntur.

Rediit nuncius cesaris ex Moscovia, nihil attulit eorum, que expectavimus. Nam dux ille consentire noluit ad ullas vel pacis vel induciarum conditiones, inquiens: videri sibi indignum, ut cum antehac consueverint Lithuani pacem apud eum petere et nuncios ad tractandum de illa in Moscoviam mittere, nunc id regi Danie deferre, et se ad eum mittere debere; verum si Mtas. regia vellet, mitteret ad se pro salvo conductu oratoribus suis, idque adhuc esse ambiguum et arbitrium in suo pectore si eum concederet nec ne. Preterea non videri sibi congruum aut factu facile, ut renunciet patrimonio suo, his scilicet arcibus, que sunt adhuc in potestate Lithuanorum.

Hec fuit summa responsi illius. Cetera, dixit, se commisisse oratoribus suis, quos unacum eodem nuncio ad cesaream Mtem. mittit.

Regia Mtas. spe pacis frustrata accingit se ad bellum cum his subditis suis, nam facultas non est mercenarium militem conducendi. Decrevitque ejus Mtas. se tantisper tueri, donec et hostem ludi hujus aliquando pertedeat.

Fuit etiam hic nuncius dni. regis Danie postulans renovari illa federa, que inter Mtem. regiam et parentem suum, dominum olim Joannem, regem Danie, fuerunt. Quod Mtas. sua fecit. —

Cetera cum vram. Mgciam. intellexero rediisse describam illi latius aut ipse coram referam, si huc visendum Mtem. regiam venire non gravabitur. Cujus solite gratie me interim commendo et felicissime illam valere desidero.

LIV. Petrus Tomiczki, Eps. Premisliensis, Vicecancellarius Christophoro de Schidlowyecz, Cast. et Capit. Cracovien. Cancellario.

Cod. R. Mgce. domine. Multis diebus dnus. archiepiscopus post suum adventum dissimulavit, qua causa impulsus huc venerat texens hec atque illa, postremo tamen declaravit. Nam collaudata imprimis multifariam filia ducis Masovie, suadere cepit Mti. regie, ut vel illam vel matrem uxorem duceret, utque reginule nostre illis pueris ducibus locarentur, proponens inde magnum Mti. sue et regno emolumentum, quod videlicet tanta illic dos accipi posset, quanta fuit defuncte regine, demum hanc futuram potissimam occasionem incorporandi regno ducatum

ducatum Masovie. Cum vero illi Mtas. regia de his, quas dnus. cardinalis Gurcensis vre. Sti. nominavit, retulit, dixit: se compertum habere de illa, que est Neapoli, nepte ex sorore regis Catholici, habente annui proventus LXX milia aureorum et que etiam prius cesari fuit in matrimonium secreto ordinata. Preterea neptem ipsius cesaris, que est in Burgundia etiam laudavit et asseruit ambarum esse honestissimum connubium, tamen nullius utilitatis regno. Idque modo cum Mte. regia non mecum pertinaciter agebat, non alia puto persuasione, quam quod Mtas. sua majorem utilitatis sue, ut prius, quam honestatis rationem habere deberet; que tamen ex Masovia, qualis esse posset, maxime tam arcto vinculo, ut ipse vellet, pueris illis cum sua Mte. conjunctis, vra. Mgcia. plane intelligit. Hec quantum ex ipsa Mte. regia cognoscere potui, summa fuit tractatus ejus de matrimonio cum sua Mte. MDXVI.

Ceterum communicavit mecum et hanc majorem causam adventus sui esse, dixit, quod nunc debitor existens supra XII. milia aureorum, rogavit adhuc Cracovie a Mte. regia, ut in hac summa creditoribus tam in regno quam hic in Lithuania, bona aliqua sua inscriberet et loco istius inscriptionis clavem Skwierniewice teneret usque ad recuperationem ipsius summe, sed Mtas. sua id facere recusavit.

Petiit etiam marschalcatum magna cura pro Volski suo, commendavit dominum Miedzileczki ad coadjutoriam episcopatus chelmensis, ut futurum illic utilem episcopum propter sacras literas.

Me quoque tentavit episcopum titularem facere, ut meum episcopatum resignarem dno. Latalski et in compensam acciperem bona aliqua in archiepiscopatu usque ad pinguiorem fortunam, loco quorum bonorum acciperet ipse tantundem in beneficiis ab ipso dno. Latalski

Narravit insuper mihi, velle se, ut filius naturalis Mtis. regie crearetur episcopus in Hungaria dixitque, se jam fundamenta hujus rei bona istic jecisse, et si adhuc eo ire debebit absque dubio confecturum etiam reliquum; quod totum non alia ratione fit, nisi ut beneficia omnium intercipiat.

Habebat primum huc veniens animum episcopatus hos visitandi, demum mutata sententia profectus est in Camieniecz, iturus demum Leopolim, ut synodum illic celebret et petat a clero illo subsidium pro impensis suis romanis. Quod etiam est in synodo sua facturus. Promisit tamen, se huc in vere rediturun, si in Hungariam non mitteretur, sed quantum intelligo necessarium erit, ut vre. Dtiones. illuc mittantur quando generalis conventus celebrari debebit.

Nunc quod matrimonium Mtis. regie attinet, quia nihil certi dno. archiepiscopo respondit promisitque sibi, nihil in hac re sine consilio ipsius et aliorum dnorum. aggredi, reliquit ei et duci nonnullam spem locumque dedit variis artibus et modis fabricandis, quos licet procul dubio credam nullius momenti futuros, quantum nunc ejus Mtis. animum intelligo. Tamen ne quid preter spem accidat, quod dnus. Deus avertat, curavi sedulo, ut Mtas. sua misisset nuncium ad cesaream Mtem., agendo ei gratias de benivolentia et sollicitudine, quam de matrimonio suo haberet, referendo id ad relationem vre. Mgcie. Et quod polliceretur ipsi cesaree Mti. nihil se facturam absque scientia et consilio ipsius, sed excusante se Mte. sua eo, quod ei singulariter nihil est vel scriptum vel significatum, effeci tandem, ut vra. Mgcia. suo nomine, quasi edocta a Mte. sua responderet in hanc sententiam, quam ex literis

MDXIV. ex literis regiis intelliget, fecique id partim, ut ista significatione aliquo modo stringeretur animus Mtis. sue nihil agendi sine voluntate cesaris, partim ut auctoritati vre. Mgcie. consulerem. — Que cum fidem et observantiam meam erga se nunquam alienam intellexit, quam alioquin in omnes semper integram et immaculatam gessi, queso ne vel minimum dubitet in me et constantia mea. Novi ego jam pridem hos, qui una manu panem ostentant altera occultant lapidem. — Itaque frustra me in viam aliam flectere niterentur et ducere me aliter, quam incedere consuevi.

Et quod ad id attinet, ut aliqui aliter interpretari deberent coram me affectum et favorem vre. Mgcie. erga me, adhuc nihil quidem memini mecum actum esse, tentatum me tamen memini, sed frustra et fortasse ii, qui hoc fuerunt agressi, cum me a tenore meo seducere non potuerunt, aliquid eorum coram Mgcia. vra. locuti sunt, que mecum etiam prius loquebantur, ut est mos eorum, qui se perfidia magis quam industria faciunt prudentes curie practicos, a quibus utcunque familiaritati mee se insinuantibus, semper mihi cavi, nec aliquod eorum verbum in animum meum admisi. Et credat firmissime vra. Mgcia., quod ut antehac consuevi, sic et nunc quecunque ad dignitatem et res ejus simul ac fratris ipsius pertinere intelligo, ea non minoris studii et cure mihi sunt quam mea propria, nec aliter unquam comperiet.

Hic usque huc nulla spes apparet pacis vel rei bene gerende, sed ne cogitatio quidem est ulla, proinde scire non possum, quando futurus est finis malorum istorum, vel quomodo illa deinceps propulsare debeamus. Milites etiam nostri non contenti de eo, quod actum est cum rotmagistris, magnam inter se seditionem fecerunt. Obligarunt primum rotmagistros ac demum se invicem sponsione fidei et honoris, ut nullus, nisi exoluto eorum stipendio, audeat ad Mtem. regiam in quacunque ipsius necessitate venire, preterea ut omnes huc rursum post festum S. Joannis Baptiste in quatuor hebdomadis conveniant ad reliquum stipendii sui exigendum. Que res ut turpis est sic Mti. regie longe molestissima.

Nuncii domini ducis Trencinensis qua causa huc venerint non incognitum est vre. Mgcie. Decrevit Mtas. regia ad illam fraternam Mtem. mittere demum Karnkowski in his rebus quasi patrocinatum dno. vojevode; nihilominus tamen vult, ut declaretur soli illi Mti., ideo fieri, quod se Mtas. sua honeste excusare non potuit. Tamen, quod nequaquam vellet rebus et dignitati sue fraterne Mtis. deesse. Dominorum nulli id significare voluit, ne quo pacto dnus. vojevoda intelligeret.

Nos jam hinc versus Vilnam soluimus, jam procul dubio tantisper acturi donec pax aliqua se offeret. Interim agat vero vra. Mgcia. id, quod expedire arbitrabitur in rem matrimonii Mtis. regie. Scit enim, quod interdum male artes sint potentes.

Regina Francie vidua, que est in Anglia, non videtur etiam pretermittenda, quod connubium esset valde et honorificum et utile, nec cesarea Mtas., ut puto, contraveniret.

Alia, que hic acta sunt, dicet abunde Vitchwienski. Commendo me gratie vre. Mgcie. Quam optime valere desidero.

LV. PETRUS

LV. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Luce de Gorka, Cast, Posn. et Cap. Majoris Polonie generali.

Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Hactenus tenui apud me hunc puerum vre. Mgcie. timens eum nisi bene in sanitate confirmatum dimittere, ne in itinere aliquod illi pejus accidens contingeret, per alium vero non ausus fui vre. Mgcie. quidquam scribere de liberorum ejus matrimonio propter multos viarum eventus et incertam hominum fidem. Itaque non egre ferat, me de hac re serius illi respondere. Cogitavi mecum diligentissime, quod salubrius consilium prebere possem de ipso matrimonio vre. Mgcie., cujus beneficentia adeo sum devinctus, ut plus illi debeam, quam ulli homini qui vivat. Sed profecto in tanta re comperire non potui, quid auderem illi suadere, cum et illa prudentissima sit, et ego, qui liberos nunquam habui, recte de eorum commodis nequeam consulere; verum tamen explicabo vre. Mgcie. rationes meas, ex quibus, quid potissimum sit, ipsa eligat. MDXVI. Cod. R.

Primum non potest non placere mihi, ut dnus. Andreas, filius illius, bona Rithwiani, que sunt non parvi momenti, assequeretur, hoc enim precipuum esset in hoc matrimonio commodum. Nam sublato e medio dno. archiepo., quid aliud in eo laudis et utilitatis esset non video. Pulchra res est igitur dos ampla, sed a sapientibus in ultimo prospectu semper habita. Cogitare imprimis vra. Mgcia. debet, se unicum habere filium tantis a Deo immortali facultatibus provisum, ut nihil aliud desiderari videatur, quam ut illis bene perfrui possit; matrimonium vero, quanta sit res in humanis facile exemplum olim dni. thesaurarii et multorum aliorum, quos videmus, nos docet. Irretire autem unicum filium propter bona temporalia, et ea quidem quam bene parta norunt omnes, uxore adeo tenera, ut qualis futura sit adhuc dignosci non possit, immo parentum et majorum virtutes non possunt aliud quam malum de illa polliceri, rursus mihi non placet. Preterea, ut confidenter cum vra. Mgcia. loquar et debito meo erga illam perpetuo satisfaciam, si hanc conjunctionem cum dno. archiepo. iniret, nullo modo posset malam de se et bonorum hominum et Mtis. regie existimationem evadere. Quis enim est adeo rationis et virtutis expers, qui non intelligat, qui non execretur mores illius: quippe qui nunquam esse potest quietus miscens divina et humana omnia nullo alio studio quam privati commodi, propter quod audet indignissima et damnosissima queque agere et consulere. Nam ut hoc unum exemplum adducam, quo etiam intelligere possit vra. Mgcia., quid agatur in matrimonio regie Mtis.— Venerat ipse in Brzeszcie ad Mtem. regiam conductus parvo emolumento ducis Masovie et summa importunitate suadere cepit Mti. sue, ut filiam ipsius ducis in matrimonium duceret et cum tam egregia familia et puella tam pudica matre prodita se conjungeret. De qua re fuit Mtas. regia valde mirata, tantam esse illi insitam avaritiam, ut propter eam illius Mti. suaderet, quod hostis pejus non posset. Et quia intellexit, dnum. cardinalem Gurcensem scripsisse: cesarem velle Mtis. sue procum esse, et nominasse tres, quas illi collocare vellet, inter easque magis suaderet ducendam neptem cesaris, dominam Leonoram virginem, principem Burgundie, non solum est conatus id improbare et dissuadere, sed curavit insuper, ut impetraret dux Masovie a cesare literas, quibus suaderet regie Mti., ut ejus

MDXVI. ejus filiam duceret, et sunt jam iste litere Mti. sue misse. — Verum scripsit ante ad me dnus. Gurcensis, non potuisse cesarem se honeste ipsi duci excusare, tamen habere eum hoc propositum et desiderium, ut locet neptem suam ejus Mti. hortatusque est me, ut de hoc certiorem facerem Mtem. suam, ne miraretur aut dubitaret de animo cesaris, quod itidem ipse cesar confirmavit literis suis ad Mtem. regiam allatis modo post quam ille, qui pro filia ducis erant scripte. Mtas. regia tacet quidem de ea, quam velit ducere, tamen certissima sunt indicia, illam cesaris neptem accepturam. Que res quanta in se commoda haberet, quantum honorem, longum esset explicare. De filia ducis Masovie tantum abest, ut illam ducere cogitet, ut etiam mirari satis non possit tantam eorum impudentiam, qui id illi consulere audent. — Mihi etiam per dnum. palatinum Vilnensem commendavit hoc suum negotium dux Masovie, quando literas cesaris misit Mti. regie et promisit mille florenos aureos. Ego vero Mti. regie omnia dixi, que valde ridens jussit, ut operam meam itidem pollicerer ut alii. Mitto copiam utrarumque literarum cesaris vre. Mgcie. Et hec est summa ejus, quod agitur de matrimonio Mtis. regie.

Nunc igitur penset vra. Mgcia. si conjungeret se cum eo homine, qui cum omnibus aliis, tum Mti. regie notus est suis moribus et virtutibus et de quo omnium est mala existimatio. Quidquid pro more suo ageret, ad id vel traheret vram. Mgciam. vel trahere ab omnibus existimaretur, unde et conciderent multorum bonorum animi, et vra. Mgcia., quod dnus. Deus avertat, optimam de se hominum opinionem amitteret et profecto Mtas. regia admiraretur et indigne ferret.

Hec igitur omnia ponat vra. Mgcia. ad libram cum Rithwiani. Nam que alia ratio hujus matrimonii fieri deberet, non reperio. Defuncto enim dno. archiepiscopo, quid est, aliud quod laudem aut commodum facere posset vre. Mgcie. in hac affinitate? Sententia igitur mea est: ut vra. Mgcia. bene super hac re deliberet, nam omnino non parvi est momenti, agitur enim de bona existimatione vre. Mgcie. et illius unici filii felici vel misera vita.

Nam quod ad filiam attinet, facile quidem illi vir reperiri potest, qui facultatibus et dignitate domui vestre Mgcie. melius respondeat quam filius dni. Laski: si dilegere sibi vellet vra. Mgcia ex multis nobilissimis juvenibus, qui nunc sunt in regno nostro et non ponderare exacte omnia. Nemo enim sine crimine vivit et suum cuique natura vitium indidit. Sit modo fama immaculata, ut ratio bona virtutis et rerum suarum fiat quisque in aliis ut velit. Sed ut de nostris taceam, nemo est etiam externus adeo insignis, qui cum uxorem ducere vellet, non libenter ducat filiam vre. Mgcie. ex tanta domo et dignitate, presertim cum ea sit, ultra amplam dotem, et juvenis et optime educata. Nihilominus censeo non simpliciter rejiciendum dnum. archiepiscopum, sed si fieri potest negotium suspendendum usque ad reditum Mtis. sue in regnum, ut mutuo de hac re melius consultare possemus. Et interea querendus est tamen maritus alius filie vre. Mgcie., ut in hac etate magis grata omnibus edi posset, qui, ut dixi, facile reperiri potest.

Sunt autem multe cause, que confingi potuerunt, ad suspendendam rem utcunque dnus. archiepiscopus est homo importunus et sollicitus. Nam profecto non videtur mihi tutum, aliquid ei ad finem nisi cum summa deliberatione respondere.

Habet

Habet vra. Mgcia. sententiam meam non odio ullo aut aliquo alio respectu scriptam quam mera ratione utilitatis et honoris vre. Mgcie. liberorumque ipsius. Nam non faciat dnus. Deus, ut aliquid in hac re videre deberem, quod esset penitendum. MDXVI.

Rediit ex Moscovia cesaris nuncius et vadunt cum eo oratores illius ducis. Fuit hic apud Mtem. regiam, relictis illis in Livonia, sed nihil nobis retulit de pace. Ita enim sibi ipse dux Moscovie respondit: nolle se legatos mittere ad regem Danie, consuevisse Lithuanos in Moscoviam semper pro pace mittere, et nunc si vellent, mitterent ad se pro salvo conductu oratoribus suis, quem an dare vellet, esset adhuc dubium in pectore suo arbitrium, viderique sibi grave, si renunciare deberet patrimonio suo, his videlicet arcibus, que sunt adhuc in potestate Lithuanorum. Itaque considerare potest vra. Mgcia. nihil tendi ad pacem et nos hinc discedere nisi illa facta non posse.

XVI. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl., Vicecancellarius, Joanni Bonero Zuppario Cracoviensi.

Spectabilis domine, amice charissime. Misit nuper ad me domina dux Masovie literas cesaree Mtis. scriptas Sermo. dno. nostro, quarum exemplum mitto vre. Dtioni., rogavitque me, ut illas Mti. sue redderem tanquam missas non ab ipsa, sed ab aliquo mercatore cracoviensi vel posnaniensi et adjecit, se delegisse me sibi, cui omnes actiones suas liberorumque et subditorum suorum committere vellet. Et quia aliqui domini primarii consiliarii e regno suggessissent ei, ut adniteretur, quo filiam suam Mti. regie in matrimonium collocare posset, rogavit me magnis precibus, ut ego quoque simul cum aliis dominis, qui eam facerent bene sperare, in ea re adjicerem stimulos Mti. regie et operam omnem facerem, quo ejus Mtas. id faciat, quod illa optat. Promisitque mihi satis magna premia pro sollicitatione et diligentia mea se daturam. Ego quoniam aliter non licuit pollicitus sum operam meam quantulacunque esset impendere, ut illius desiderio satisfiat literasque cesaree Mtis. predictas reddidi et legi Mti. regie et omnia, que ad me intimavit domina dux ordine narravi Mti. sue; que risit vehementer audiens tantam hominum ambitionem putantium, se ad cujusque persuasionem uxorem ducturam et non id sequuturam quod sua et regni sui dignitas requirit; et retulit etiam mihi tunc Mtas. sua ea omnia, que vra. Dtio. illi scripsit de domina Leonora, et que ex suo servo, quem in Burgundiam misit, accepit: hoc est de statura et corporis dispositione ipsius virginis. Nunc vero Paul Roth attulit alias literas Mtis. cesaree in eo negotio, quibus denunciat omnia, que ante hac scripsit rmus. dnus. cardinalis Gurcensis domino palatino cracoviensi, de mente et voluntate Mtis. sue cesaree processisse. Sed et nunc quoque scribit Mtas. sua cesarea, commisisse se eidem domino cardinali aliqua, que scriberet ipsi dno. palatino cracoviensi in ea re, per ipsum Mti. regie communicanda, prout id clarius ex copia literarum Mtis. sue cesaree, quam etiam cum presentibus mitto, cognoscet vra. Dtio., quam rogo plurimum: non desistat facere diligentiam, ut intelligat formam et omnium membrorum dispositionem prefate virginis. Nam ego spero in dno. deo, quod hoc sanctum matrimonium veniet ad effectum, quo nec nobilius nec dig- Cod. R.

 nius

MDXVI. nius nec quieti regni dominiorumque ac subditorum Mtis. regie ac totius rei christiane utilius esse posset. Consulant et agant alii quidquid velint, qui querunt in hoc suas privatas utilitates non autem regni familieque ac domus Mtis. regie dignitatem, certo enim spero, quod non potientur desideriis suis.

Rediit orator cesaree Mtis. ex Moscovia, qui retulit: ducem Moscorum nullas pacis aut induciarum conditiones suscipere voluisse cum Mte. regia, sed misisse oratorem suum secum ad cesarem et per eum mentem suam significasse. Et sperabamus nos quidem hoc anno a bello vacuos fore, sed quoniam aliter evenit ad bellum nos accingimus. Narravit enim idem orator cesaris: ducem predictum exercitum parasse XII aut XIII milium hominum, quem ad expugnandum castrum Poloczko mittere deberet. Quare Mtas. regia fecit omnes subditos suos insurgere ad arma vultque constanter et animose defendere fines suos, licet non sine magna sua et eorundem subditorum suorum gravitate.

Fuit hic nuper orator regis Danie, qui optavit renovari ea federa cum Mte. regia, que cum ejus parente et aliis predecessoribus suis icta fuerunt; et ut Mtas. suo prohiberet subditos suos, presertim vero cives gedanenses, commercia aliqua mutua cum Suecis habere, quibus se illius Mtas. bellum indicere destinavit, propter eorum contumaciam. Alia nova ad presens hic nulla sunt. Commendo me vre. Dtioni., que valeat et felix sit. Datum.

LVII. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl. Vicecancellarius, Thome, Archiepo. Card. Strigoniensi, Sedis apost. Legato.

Cod. R. Reverendissime in Christo pater et dne., domine colendissime. Post servitutis et observantie mee commendationem. Speramus hactenus, quod nuncius cesaree Mtis. debuisset nobis ex Moscovia vel pacem aliquam honestam vel inducias afferre. Verum noluit ille dux ad aliquas conditiones sibi per illius Mtem. oblatas consentire. — Itaque cogitur Mtas. regia bellum cum illo prosequi et temerariam illius pertinaciam evertere, quandoquidem post ingentem acceptam cladem, post tot cedes et vastationes, quas nostri per continuas excursiones in terram illius ediderunt, intelligere non vult, bellum esse rem non expetendam. Fit ea res maxime instinctu Cruciferorum nostrorum in Prussia, qui nihil minus videre optant, quam pacem nostram, adduntque animum et spem auxilii sui hosti temerario, ac his indignissimis modis prebent causas Mti. regie cum variarum difficultatum, tum etiam more hujus tam longe et ingrate. Nulla enim alia res majorem in hac inquietudine Mti. sue molestiam exhibet, quam quod appropinquare nequeat regno Hungarie et Sermo. dno. nepoti suo vestrisque Dtionibus. adesse, quia nullis modis hinc vel latum digitum discedere potest infecta pace, alioquin ageretur de statu hujus dominii. Sperat tamen Mtas. sua, quod ipsius Sermi. nepotis sui res ita nunc ordinabuntur consilio precipue et cura vre. rme. Dominationis prout status et dignitatis illius amplitudo postulare videtur. Expectatque ejus Mtas. in horas a dnis. oratoribus suis hoc felix nuncium, quo intelligat, se hac sua spe non esse frustratam. Nam quod Mtem. suam attinet, illa quidem utcunque vel bello vel negotiis

negotiis quibuscunque occupata nunquam illi Mti. regnisque ipsius deerit cura et viribus suis omnibus. MDXVI.

Vadit ad vram. rmam. Dtionem. iste servus meus pro literis provisionis ad quendam plebanatum, quas illi apud eam adhuc Posonii impetraveram. Supplico vre. rme. Dtioni.: dignetur ei et in hac causa et aliis negotiis meis favorem et benignitatem suam exhibere, quam illi volo meis deditissimis obsequiis demereri. Cujus bone gratie me commendo et felicissime valere illam desidero. Datum Vilne.

LVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Lubbranski, Episcopo Posnaniensi.

Rev. in Christo pater. Ea, que nobis Ptas. vra. de ineundo matrimonio jam secundo scripsit, fuerunt nobis non vulgariter grata, cognoscimus enim omnia hec, que nobis consulit cum dignitati nostre regie, tum statui regni et dominiorum nostrorum expedire, et proinde consilium illius in optimam partem accepimus et illud inter alia illius in nos fidelia et grata officia reponimus. Verum ut prius Pti. vre. scripsimus, non potuimus profecto in tantis difficultatibus et inquietudinibus nostris hactenus in hac re quidquam vel constituere, vel etiam cogitare, et subinde compertum habentes, fuisse quasdam legationes istic in Polonia apud consiliarios nostros, quibus ab illis id persuadebatur: nos ad partem unam animum nostrum inclinasse et jam voluntatem nostram aliquibus declarasse, valde miramur et molestum est nobis vehementer, tanta quemque esse impudentia et temeritate, ut asserere audeat, de quo nos nunquam cogitavimus et presertim in tanto negotio quod ad agendum alterius conditionis homines requireret. Itaque si ad vram. Ptem. prout censemus hec nebulonum commenta devenerint, illis fidem non adhibeat. Nam nos cum divina erit voluntas et de hac re matrimonii constituere aliquid voluerimus, nihil faciemus absque consilio vre. Ptis. et aliorum consiliariorum nostrorum, idque abunde intelligimus, quod statui et dignitati regie congruere videbitur. Cod. R.

LIX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Joanni Boner, Consuli Cracoviensi ac Zuppario.

Spectabilis dne. amice charissime. — Scripsi paulo ante per Paulum Roth vre. Dtioni., que aguntur in matrimonio regie Mtis. et exempla diversarum literarum cesaree Mtis. misi. Scio autem Stanislaum Puklerz multos dominos circumiisse illisque persuasisse, Mtem. regiam habere animum ad ducendam uxorem filiam ducisse Barensis, quod tamen longe a veritate est alienum. Novit enim vra. Dtio., quam tacitus sit Sermus. dnus. noster et quod non facile declarat animum suum, presertim in rebus, que magna egent deliberatione. Quare vra. Dtio. sit bono animo et non sit de hac re sollicita. Nam ausim hoc affirmare, quod Mtas. sua ducem illam nunquam ducet. Et licet promittantur aliquibus multa florenorum milia, Cod. R.

MDXVI. milia, ut eam rem promoveant, nec desint, qui forte id suadere velint Mti. regie propter sua privata commoda; spero tamen in dno. deo, quod in hac re nil efficere poterint. Nam Mtas. sua id non faciet et vehementer miratur audaciam illorum, qui audent tantas res contra voluntatem suam tractare et in vulgum spargere.

Scripsit mihi non pridem literas dnus. Lucas, castellanus posnaniensis et capitaneus Majoris Polonie: quibus declaravit, que apud eum acta sunt nomine illius ducis et que apud alios dominos, qui etiam miratur tantam hominum audaciam et improbat multum ejusmodi illorum conatus, et legi literas ipsius Mti. regie.

LX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Palatino Russie.

Cod. R. Mgce. dne. amice honorande. Meminisse optime potest vra. Mgcia. quod sepius scripserit et Mti. regie et mihi ut litere restium mitterentur, et terre moverentur; Mtas. vero regia sciens, esse magnam inobedientiam in regno, continuit se ab eis mittendis, quoad cognovit aliter quieti dominiorum suorum consuli non posse, quam per generalem nobilitatis motionem, presertim cum captivi Tartari asseverent, hostes rursus redituros esse. Et ecce, audio, quod earundem restium publicatio, que ex evidenti et necessaria causa facta est, non placet communi nobilitati, que innitens juribus et libertatibus suis non vult ferre onus defensionis, potiusque vastari se pateretur per hostes, quam quod contra jura sua ad arma insurgat, sed certe, nisi nos istas nostras libertates ad partem seponemus et arma contra hostes nostros capiemus, multum atterentur vires et facultates nostre; quare et vigilandum et cogitandum nobis esset, ut dum vires nobis adhuc sunt et alique opes, queramus modum defensionis et vastari nos et bona nostra non permittamus.

Quod scribit mihi Mgcia. vra. paucas me restium literas misisse ad districtus palatinatus sui, scire velit, me illas celeriter et tumultuarie scripsisse, et ob hoc non potuisse tot ad omnes districtus mittere, quot vra. Mgcia. scripsit mitti debuisse.

Quod etiam adjecit de titulo palatinatus sui, quod illi per notarios meos detraheretur, ego habeo aliquos, qui domino Wladislaviensi servierunt, et illi ita scribunt titulos omnium prout ante scribebantur, ego vero eos non doceo, quomodo illos scribere deberent, nam de illis minor mihi cura est, cum nulla sit lex, que informet cancellariam, qualiter titulos palatinorum scribere debeat, immo statur in hoc stilo et consuetudine cancellarie. Quare si quid erratum est per notarios meos in scribendo titulo vre Mgcie. mihi non velit imputare, nam ego certe ad ista, que sunt minuta, non adverto, nec tempus habeo ut singula examinem, cum sint alia majora, quibus distineor. In hoc autem vra. Mgcia. male est informata, quod alique litere emanassent unquam ex cancellaria mea, in quibus prepositum est nomen palatini Lublinensis nomini et titulo palatini Russie; novit enim vra. Mgcia., quod non solemus scribere nomina consiliariorum, nisi in literis perpetuis, et eorum tantum consiliariorum, qui nunc sunt presentes apud Mtem. regiam, vra. vero Mgcia. ab eo tempore, quo

quo ego creatus sum vicecancellarius, nunquam fuit apud Mtem. regiam et ergo in nullis literis ejus nomen scripsi, et si error commissus sit, libenter illas viderem. MDXVI.

Scripsi forte diffusius quam opus erat de rebus istis levibus, sed ideo id feci, ut ad omnes articulos literarum vre. Mgcie. responderem, cui me commendo etc.

LXI. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Varmiensi.

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Multis indiciis et argumentis apparet, dnum. magistrum Prussie quiddam hostile adversum nos et subditos nostros moliri, id vero, qua spe fretus, ignoramus; nam metientes vires illius, non putamus, eum tam incogitantem esse, ut tantam belli molem subire velit ni aliquibus externis viribus adjuvetur. Utcumque est expectamus, quid inceptare voluerit providemusque, ne quod dispendium nobis aut in dominio hoc aut istic in Prussia inferat vel illatum impune ferat. Postulamus itaque a vestra Pte., ut ea omnia, que agat, queve struat quam diligentissime divestiget et nos certiores reddat, multum enim hac re nobis gratificabitur et officio suo fungetur. Nunc hoste nostro, duce Moscorum, renuente his conditionibus pacem nobiscum inire, que fuerunt illi per cesaream Mtem. oblate, bello nos accingimus, dabimusque operam, juvante nos Deo et justitia nostra, ut temerarii et improbi conatus inimicorum nostrorum illis ad vota non succedant. Valeat feliciter etc. Cod. R.

LXII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Episcopo Varmiensi.

Rme. etc. Que aguntur hic, scripsi paulo ante vre. rme. Dni. — Nuncius regis Danie fuit hic non pridem apud Mtem. regiam petitum renovari federa, que inter Mtem. suam et illius parentem dnum. Joannem, regem, icta fuerunt, ac interdici Swetis mutuis commerciis cum subditis Mtis. sue, ejusque rei gratia fortasse etiam apud dnum. magistrum fuisse et ad alios dominos finitimos profectum esse, nec ambigo, quin nihil aliud tractet, cum a Mte regia tam amice optarit, nomine illius regis sui, federa cum illa inire, et confecerit. Cod. R.

Non ignorat Mtas. regia ea omnia, que magister moliri et apparare videtur, tamen illa nihil incipere vult, expectat id, ut si bellum cum eo agendum erit, fiat excusata apud Deum et homines in eo, quod illi accidere poterit.

De predonibus, quos fovet adversus terram Mtis. sue, facile quidem illi, cum id magis constabit, poterit par pari his vel aliis modis referri absque magno tumultu, que omnia vra. rma. Dtio. dignetur accurate investigare et Mtem. regiam semper facere certiorem, multum enim hac re illi gratificabitur.

Posita sunt presidia in terra Samogitie, ut si quid magister inceptare vellet, resisti illi possit, alii vero omnes subditi Mtis. regie hujus domini bello se accingunt et versus fines hostiles proficiscuntur. Quid deinceps futurum sit, incertum habeo.

 De

MDXVI De Italia nihil magis novum est, quam summum pontificem, cum extra Urbem venaretur, pene captum fuisse a piratis Mauris, vixque cum paucis fuga evasisse. Habebunt alii prelati venatores exemplum hoc non vulgare, qui se capiundis feris nimium oblectant. Commendo me etc.

LXIII. Petrus Tomiczki, Epus. Prem., Vicecancellarius, Episcopo Varmiensi.

Cod. R. Rme. etc. Doleo plurimum, ita angi et perturbari Ptem. vram. rmam. et ejus ecclesiam maleficiis grassatorum, optavique dudum, ut domini officiales seculares istius terre Prussie suggessissent regie Mti. id quod esset huic rei opportunum et expediens, jam mihi ex professione mea tantum non licet Mti. sue consulere, quantum opus videtur, puto tamen quod jam hac provisione facta, quam ex domino Eberhardo Feder intellexit, continebuntur ipsa maleficia, et si quid adhuc magis facere oportebit, Mtas. sua libenter faciet, utcumque nunc alia magni belli occupatione et difficultate districta.

Narravi omnia Mti. sue que mihi scripsit vra. rma. Ptas. de nunciis, quod dnus. magister mittit in Moscoviam et alibi, ac de conventu illius cum magistro Livonie, quem propter egritudinem magistri Prussie intelligimus non futurum, et grato animo suscepit Mtas. sua sollicitudinem et observationem rme. Ptis. vre., commisitque, ut in omnibus locis terre Prussie fieret diligentia, quo possit nuncius ducis Moscovie comprehendi.

Cum Petro Moldavo non licet Mti. sue quidquam agere absque mutua intelligentia et voluntate dominorum Hungarorum, alioqui federa et jusjurandum suum infringeret, tamen libentius illum vojevodam videret quam alium, persuasum habens, illum ejus Mtis. et regni observantiorem futurum.

Vult Mtas. sua, ut Slesitam, quem tenet captivum vra. rma. Dtio., simul cum illo priore predone in Marienburgk mittat. — Ceterum Mtas. sua scripsit non contemnendum numerum mercenariorum militum, et cum primum hic applicuerint, movebit se cum his omnibus subditis suis adversus hostem suum. Commendo me etc.

LXIV. Sigismundus, Rex, Polonie, Alberto, Magistro in Prussia.

Cod. R. Illtris. princeps etc. Accepimus literas vre Illtis, quibus nobis commemorat, se questum fuisse sepius nobis adversus capitaneum nostrum Samogitiensem, quod ille vel ejus officiales deberent multa gravamina et molestias hominibus indis trictu Ragnet ordini illius subjecto inferre et quod nimis coarctaret fines, quos eadem Illtas. vra. habet circa villam Koadiuten appellatam, que antiquitus communis fuisse debuit inter Mg. ducatum Lithuanie et terram ordinis, ac utrimque ex ea proventus capi solitos. Nunc vero dictum capitaneum Samogitiensem eandem villam a nobis impetratam occupare et multas adversitates Illti. vre et subditis

ditis ejus facere, propter quas, cum ipse villam hanc teneat et suam esse asserat, videri MDXVI
id ad nos non attinere, quod cum eo de illa et aliis injuriis ageret, optatque a nobis, ut quod inde inter se et illum accideret, id non ad contumeliam nostram vertere et nec Illti. vre. sed illi imputare deberemus. Nos in memoria non habemus, vram. Illtem. unquam de hisce finibus vel villa ipsa Koadiuten aliquid nobiscum egisse aut questam esse, nec de hac re nobis quidquam constitit, alioquin pro nostra modestia et equitate, qua cum omnibus vicinis nostris semper usi sumus, misissemus libenter illuc ad fines juxta consuetudinem vicinorum inter se christianorum principum, et federa Mg. ducatus nostri Lithuanie cum terra Ordinis, consiliarios nostros, qui facile una cum deputatis a vestra Illte. composuissent omnes differentias et dissensiones inter illam et ipsum Capitaneum Samogitiensem, quandoquidem satis manifeste distincti sunt limites et sufficienter denotati literis antiquorum federum inter hoc dominium nostrum et terram vre. Illtis. Nam nos nihil alieni petimus, sufficiunt nobis abunde nostra, que benignitate Dei possidemus, sed quemadmodum aliena non libenter usurpamus, ita nostra ab alio vindicari vel violenter opprimi nec ferre possumus, nec consuevimus; proinde cum capitaneus Samogitiensis sit subditus noster et ejus bona nostre subsunt ditioni, nosque cum eo aliis, non alii cum eo sibi justitiam jure facere debent, postulamus a vra. Illte., ut si ratione ipsius ville Koadiuten vel cujuscunque alterius rei se vel subditos suos ab eo injuriam vel gravitatem aliquam habere pretendit, non absit ab eo, quod equum et congruum est ad pacem et bonam vicinitatem conservandam, ut per missos illuc ad fines utrinque consiliarios nostros conspiciantur ea, que cujusque sunt, queque ab aliqua parte commissa sunt aliter quam inter bonos vicinos fieri deberet et mutua moderatione ac justo arbitramento omnes differentie pensentur et componantur. Alioquin si vra. Illtas. vult via aut modo aliquo minus equo et decenti cum capitaneo nostro agere, non poterimus aliter existimare et accipere, quam illam constituisse nobiscum sine ulla legitima causa bellum ordiri et cogere nos denique adversum se aliter gerere, quam et voluntas nostra unquam fuerit et vinculo mutue necessitudinis nostre convenire videretur. Bene valeat etc. Vilne d. Veneris XXVII. Junii.

LXV. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Kosczielecz, Pal. Junivladislaviensi et Joanni Balinski, Cast. Ripniensi.

Mgce. et generose. Probamus id, quod salvum conductum nuncio ducis Moscovie cum nun- Cod. R.
cio dni. magistri eunti non dedistis, non est enim officii vestri, salvos conductus hostibus nostris dare, nec hoc a nobis in commissis habetis, quod dno. magistro sine relatione ad nos intimare potuistis et utcumque est factum ita intimetis. Nam si cesarea Mtas. voluisset, ut daremus eidem nuncio hostis nostri salvum conductum, significasset id nobis aut ejus Mtis. orator, qui est in Moscovia. Itaque volumus, ut et nullos talibus hominibus salvos conductus concedatis, et curetis, ut eos et presertim istum nuncium Moscum comprehendere possitis.

De

MDXVI. De difficultatibus, quas patitur dnus. Eps. Varmiensis et ejus ecclesia a predonibus, jam te, domine palatine, edocuimus, qualiter agere debeas; itaque id diligenter exequatur Stas. tua, nam nollemus pati, subditos nostros premi.

Id quod nobis scribitis de Petro Moldavo, nos libenter videremus eum illius terre vojevodam, sed non licet nobis quidquam in ea re facere nisi mutua intelligentia cum dominis Hungaris, cum quibus specialia federa habemus de ipsa terra Moldavie; etiam non possumus permittere, Petrum in dominio nostro existentem aliquid in eadem terra perturbationis facere. Nam in concordia juravimus, eum hac ratione non fovere, sed cogitabimus, ut aliquid cum dominis Hungaris facere possimus citra offensam federum et juramenti. Et Petrus a nobis non exigat, quod aliter facere deberemus quam fides et dignitas nostra postulat.

LXVI. Petrus Tomiczki, Vicecancellarius,

(Desideratur cui.)

Cod. R Orator cesaree Mtis., qui est in Moscovia fecit certiorem Mtem. suam: ducem illum nolle tractatus aliquos pacis ingredi, nisi nuncii hinc ad se mittantur, que res, quia Mti. sue gravis et indigna est visa, ut quasi mendicatum pacem ad hostem suum mittere, et subdere se et hoc suum dominium huic indigne consuetudini deberet, scripsit ad illum, ut ageret, quo ipse hostis mitteret oratores cum plena potestate vel ad fines sui dominii, vel ad civitatem Rigensem, et Mtas. sua itidem suos mitteret. Ubi autem neutrum horum perficere posset, mitteret ab illo salvum conductum pro nunciis Mtis. sue, ita videlicet, ut simul pertentata voluntate arcis Smolensko, certiorem faceret Mtem. suam, ut, quasi ad rem paratam, nuncios aliquos leviores mitteret, prescripta illis cum debita dignate actionis facultate, ostenderetque cesaree Mti., se non detrectare, quo equa pax medio et opera illius Mtis., ut id valde studet, conficiatur, alioquin sine restitutione ipsius arcis Smolensko, se nullo modo neque posse neque velle pacem inire aut nuncios mittere. Parum vero spei habens Mtas. sua quod istis tractatibus aliquid boni perfici deberet, nisi arma accedant, suscepit non contemnendum numerum militum mercenariorum equitum et peditum et recta jam adversus illum freta auxilio divino et justitia sua proficiscitur, ubi qualiter nobis successerit, reddam deinde rmam. Dtionem. vram. certiorem, que sit incolumis et felix et cui me plurimum commendo. Vilne III Julii.

LXVII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Palatino Sandomiriensi.

Cod. R. Mgce. dne. amice honorande. — Significavit dnus. capitaneus Camenecensis Mti. regie: post mortem olim Bohdani, vojevode Moldavie, Stephanum ejus filium, undecim annos natum, omnium illius terre consiliariorum et nobilium consensu ad vojevodatum esse ascitum, qui jam de assumptione sua ad sedem paternam, Mtem. suam per literas suas fecit certiorem, et

et oratores insignes se huc propediem missurum promisit. Petrus ille noster Moldavus, qui asservatur in Prussia supplicat plurimum, ut cum venia Mtis. sue ire ad fines regni possit; sperat enim se facile, dum illic esset, benivolentiam hominum de terra Moldavie sibi conciliaturum, et brevi eadem terra potiturum; verum Mtas. sua memor federum, que illi sunt cum regno Hungarie, et que etiam juravit, non servare eundem Petrum in damnum terre Moldaviensis, non vult permittere illi, ut faciat aliquid turbationis in terra illa. Veretur enim, ne ea causa excitet contra se et dominia sua Hungaros et Moldavos. MDXVI.

Ex Moscovia venit nuncius oratoris ces. Mtis., qui refert, ducem illum nolle tractatus pacis aliter ingredi, nisi ad eum nuncii a nobis mittantur. Mtas. regia nescio quid faciet, dubitat enim, etiamsi mittere vellet, ut aliquis dominorum audeat illuc ire, et non sperans eundem ducem, hostem suum, aliquid boni sponte sua facturum, accingit se ad bellum. Magnam vero habuit difficultatem cum militibus stipendiariis, qui nuper Cracovie sunt suscepti, eo quod noluerunt monetam Lithuanicam minori numero capere quam nostram, cum illa tamen sit majoris valoris. Que res fecit Mti. sue et huic dominio magnam difficultatem et damnum, estque una causa inter alias, quam sibi domini Lithuani pro injuria a nobis acceperunt et graviter queruntur, quod non alias equata sit eorum moneta nostre leviori, quam in hac eorum summa necessitate et discrimine, hesitque adeo hoc vulnus in eorum cordibus, ut vix unquam sanari possit. Nos speravimus, quod domini consiliarii regni nostri in conventu Piotrkoviensi preterito saltem in hac re levassent hunc gravem conatum eorum, ut ad annum vel duo statuissent eorum monetam hoc pretio, quo prius in nulla eorum necessitate est habita. Verendum erit omnino, ne et ipsi postea studeant sub occasione difficultates nobis ingerere, ut per Tartaros vel bellum Pruthenicum, si nobis incumberet.

Retuli Mti. regie de ruina muri in castro Casimiriensi et rogavi, ut pro instaurando illo aliquod subsidium vre. Mgcie. prestare dignaretur, que respondit, ut ad presens lignis seu sepimento claudi faceret vra. Mgcia. ruinam illam, cum vero in regnum feliciter redibit Mtas. sua, tum constitui vult cum vra. Mgcia. de sumptu ad instaurandum castrum predictum necessario. Valeat etc.

LXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni.

Mgce. sincere nobis dilecte. Reddidit nos his diebus certiores Illtris. dnus. Casimirus, dux Tessnensis, se non pridem quosdam homines cepisse et in vinculis habere, qui tormentis affecti confessi sunt, se falsam monetam sub nomine et signis nostris in multa quantitate excudisse, idque in bonis Illtris. dni. Valentini, ducis Ratiboriensis, et de consensu ac voluntate ipsius, suasitque nobis, ut contra eundem ducem Ratiboriensem de hoc crimine et excessu in nos et regnum nostrum, causam institueremus et culpam hanc ab eo juris ordine, quod ipse opera et impensa sua traducere vellet, exigeremus, addens, se de hac re cum rmo. dno. archiepiscopo Gnesnensi et mgco. palat. Cracoviensi in eorum ex Hungaria Cod. R.

 reditu

MDXVI. reditu clarius egisse et illos consilium suum probasse. Nos licet plane cognoscamus, magnum fieri hac falsificatione monete detrimentum regno nostro, hocque nefas indigno et molesto ferimus animo, tamen, ne quid temere contra dicti ducis Ratiboriensis conditionem vel etiam dignitatem nostram regiam facere videremur, presertim in eo, quod ad statum communem regni nostri attinet, communicare id prius cum tua Ste. et aliis consiliariis nostris voluimus, quam prefato dno. duci Casimiro de voluntate et instituto nostro responderemus. Postulamus igitur ab illa, ut, re secum perpensa, nobis consilium suum perscribat, si ipsius domini ducis Casimiri suasum sequi deberemus, vel quid nos aliud censet faciendum; factura debitum suum et nobis rem gratam.

Status noster in hoc dominio est non minus difficilis et inquietus quam fuerit a principio, recusante hoste nostro ullas conditiones bonas pacis vel induciarum nobiscum inire et consentientibus adversum nos cum illo aliis vicinis nostris, seque ad invadendum nos simul parantibus; contra quos, quantum nos possumus cum hac gente nostra nimium jam attrita et fessa, vicissim nos instruimus, curamusque, ne quod hostium nostrorum desiderium effectum capiat et presertim, ut arci nostre Vitepsko suppetias feramus, que ab ipso duce Moscovie novissime est obsidione cincta.

Admoverat etiam magister Prussie exercitum suum ad fines Samogitie, sed cum sensit, illic presidia nostra esse, continuit se et continet hucusque in quiete. Missus erat ad eum nuncius per ducem Moscovie secreto una cum illis, qui ad cesaream Mtem. sunt missi, quem nos scientes inde rursus clam rediturum, adhiberi fecimus custodiam, ut caperetur. Qua re optime per capitaneum nostrum Samogitiensem executa captus est et huc nobis adductus, homo confidens et vafer, ex quo procul dubio omnia intelligere poteramus, et de conatu hostis nostri et etiam artibus Cruciferorum, quibus varie et indecenter in nos et perniciem regni dominiorumque nostrorum utuntur, verum ille ethnica usus fortitudine, cultello sibi mortem conscivit et nihil dicere voluit.

De discessione Tartari a federibus nostris, licet rumores aliqui sint, nihil tamen comperti habemus, et omnino, si quid esset, nuncii nostri, quos illic habemus, nobis significarent. Quod autem aliquoties tam in regnum quam et hoc dominium insiluerunt, fieri putamus id a nonnullis latrunculis, quos ille imperator continere non potest, maxime hunc cum ob pestilentiam omnes ex Thaurica et sedibus suis discesserunt et per campos libere vagantur. Dat. Vilne fer. VI. festi S. Jacobi, apostoli.

LXIX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Dno. Castellano Vojnicensi.

Cod. R. Mgce. dne. etc. Rediit ex Moscovia nuncius cesaris et vadunt cum eo oratores illius ducis. Fuit hic apud Mtem. reg., relictis illis in finibus Livonie, sed nihil nobis retulit de pace, ita enim sibi dux ipse Moscovie respondit: nolle se legatos mittere ad regem Danie, consuevisse Lithuanos in Moscoviam semper pro pace mittere, et nunc, si vellent, mitterent ad se pro salvo conductu oratoribus suis, quem an sit daturus, esset adhuc in suo arbitrio, viderique

viderique sibi grave, si renunciare deberet patrimonio suo, his vid. arcibus, que sunt adhuc in potestate Lithuanorum. Preter hoc dixit, se mittere nuncios suos ad cesarem et alia illis commisisse. Itaque considerare potest vra. Mgcia., nihil eum inclinare ad pacem et nos hinc discedere, nisi illa facta, non posse. MDXVI.

LXX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Stanislao de Chodecz, Cast. Haliciensi, Capit. Leopoliensi, Marschalco.

Mgce. dne. etc. Scripsit non pridem dnus. palatinus Cracoviensis rediens ex Hungaria regie Mti. querelam vre. Mgcie., quam fecit ipsa apud eum per literas suas contra illum dnum. et adjunxit preces suas commemorans fidem et jugem servitutem vre. Mgcie. et ejus totius familie, rogavitque Mtem. suam, ne se flecti permitteret ad detrudendam vram. Mgciam. de officio capitaneatus Leopoliensis. Ego qui legi easdem literas coram Mte. sua dixi ea, que ad rem pertinere videbantur et manifeste cognovi, Mtem. suam non esse ejus voluntatis, ut id faciat, quod forte ab ea optabatur. Quare vra. Mgcia. nullam habeat de hac re sollicitudinem et secura in utramque aurem dormiat, nam Mtas. sua nemini levitatem absque legitima causa facere solet, plusque apud eum valet concepta de alicujus fide bona opinio quam quorumcunque persuasiones; novit enim ipsa optime uniuscujusque servi et subditi sui observantiam in se et merita, et si aliquis esset, qui aliter sentire vellet de virtute vre. Mgcie. quam re ipsa cognoscimus, aut contra ipsam aliquid moliri auderet, ero ego bonus custos et defensor illius, quominus prevalere possint contra ipsam et statum ejus communes virtutis omnium bonorum inimici. Cod. R.

Nunc supervenit hic nova difficultas, obsessa per Moscos arce Vitepsko et nobis ad resistendum non satis copias habentibus, quo fit, ut valde timeam successibus nostris cum gente ista, que neque auxilii neque consilii alieni patiens est, sui autem penitus expers. Mtas. tamen regia dat omnem operam, ut et arci obsesse suppetias ferat et obsistat conatibus hostium suorum.

Cetera que hic aguntur ex literis ejus Mtis. Mgcia. vra. intelliget, cui me commendo etc.

LXXI. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Nicolao Schidlowyeczki, Cast. Sandomiriensi, Regni Thesaurario.

Mgce. dne. etc. Versamur hic in magnis difficultatibus et periculis, hostes enim obsederunt arcem Vitepsko, cui valde timemus, tum quia parvo commeatu et modicis copiis militaribus est provisa, tum quia exercitus nondum est paratus, qui illi tempestive suppetias ferat; dat tamen operam Mtas. regia, ut quam primum illi succurratur. Verum omnia sunt ei difficillima cum gente ista Lithuanica, que neque auxilii neque consilii alieni patiens est, sui autem penitus expers, cujus teterrima avaritia et rapacitas, nec remissior in his discriminibus Cod. R.

minibus

MDXVI. minibus quam in pace esse consuevit, omnes has parit difficultates. Orandus esset enixe dnus. Deus, ne Mtas. sua aliquod vel rerum vel fortune sue patiatur detrimentum. Reliqua vra. Mgcia. ex literis regiis cognoscet etc.

LXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Immerito queritur de nobis communis nobilitas, vel quisque est alter, quod nos regnum necessariis presidiis et cura destitueremus, quandoquidem et tempestive mercenarium militem conduci fecimus et omnia, que intelligebamus a Tartaris vel aliunde imminere, non neglEximus capitaneis et aliis primoribus declarare, ultra quod etiam si in visceribus regni essemus. Quid magis facere deberemus, non comperimus. — Cum enim nobilitas habet suas immunitates, nobis ei, nisi quatenus ille sinunt, imperare non licet, verum hortati sumus per literas eos, qui proximiores sunt periculo, ut tam pro virtute quam necessitate sua accurrerent communi dispendio. Que nostra exhortatio cum parum proficiat, non possumus jure accusari.

Literas vero restium, ut etiam Stas. tua nobis scribit, non visum fuit in tumultario periculo emittere, quandoquidem terre Minoris Polonie non moverentur absque illis remotioribus, et si universum regnum moveri deberet et sera res omnis esset et majoris detrimenti quam utilitatis. Utcunque est, si tua Stas. unacum aliis consiliariis et nobilitate in conventu, quem nunc simul agere debuerunt, constituerunt, ipsas literas restium emittere, reddat nos certiores; et quidquid aliud putabunt, a nobis posse commode et ex re fieri, nihil pretermittemus.

Hostis noster Moscus discessit ab obsidione arcis Vitepsko, apud quam triduo duntaxat jacuit et nihil ad presens aliud agit.

Magister Prussie etiam a finibus Samogitie discessit re infecta, misitque ad nos legatos, purgando se et pernegando omnia, que struebat.

Permittimus libenter, ut Stas. tua ad uxorem descendat, verum quod ad sororem ejus attinet, nolumus ut nunc a liberis nostris discedat, partim ob infectionem aure, que multa loca occupavit, partim quod non deceat, ipsas filias nostras cum una solum matrona degere, quas non est visum nobis transferri; frequens enim mutatio fit plerumque exitiosa. Maneant itaque in Niepolomice, ut nemo extraneus ad eas mittatur.

LXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Mittimus hunc cubicularium ad invisendas charissimas natas nostras, quas vellemus quidem jam ad alium locum transferri, sed veremur, ne illic, ubi manere deberent, satis salubris esset aura. Credimus tamen in Chęczin nullum esse periculum

culum, quod Stas. tua perscrutari poterit. Et si comperiet, non esse aliquid metuendum, faciat, ut illuc traducantur, videtur enim nobis ille locus salubrior et commodior esse pro mansione ipsarum. MDXVI.

Nihil scripsimus hactenus Sti. tue de rebus et successibus nostris, quia nihil tale evenit, quod scribendum esset Sti. tue et aliis consiliariis nostris. Omnia sunt quieta in finibus. Idque, ut putamus, non minori angustia et lassitudine hostili quam nostra. Fiunt tamen a nostris illuc crebre incursiones, et gratia Dei cum victoria nostri semper ac preda revertuntur.

Id vero, quod Stas. tua scribit, ducem Constantinum esse a Tartaris profligatum, nobis aliter constat; nam utcunque aliquos ex suis amiserit, victoriam tamen obtinuit et predam omnem abegit.

Litere omnes, quas nobis Stas. tua scripsit, nunc nobis reddite preter eas, quas adferre debet Jastrzębski, adhuc enim non venit.

Mittimus quittantiam ad mgcum. Andream de Radziejowicze, palat. plocensem, pro ea pecunia, que dari debet matronis et puellis illis, que sunt circa filias nostras, ut secundum ordinationem nostram illis distribuatur. Bene valeat.

XXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Sophie Schidlowyeczka, Castellane Sandomiriensi, Elisabethe Sborowska, Cast. Zamocziensi.

Matronis circa filias regias manentibus.

Mgce. sincere nobis dilecte. Mittimus ad invisendas charissimas natas nostras hunc nuncium, de quarum valetudine vos diligenter nobis significetis. Scribimus etiam mgco. Christophoro de Schidlowyecz, cancellario, ut, si ibi ab insalubri aura nullum esset periculum in Chęczin, illuc ipse filie nostre transferrentur. Qui secundum instructionem nostram vos deinde collocabit, ita ut melius et tutius videbitur. Cod. R.

LXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneo Plocensi.

Generose etc. — Contulimus jam pridem preposituram S. Michaelis plocensis venerabili Andree Krziczki, secretario nostro, qui hactenus possessionem bonorum ejus per violentiam aliorum occupationem habere non potuit. Committimus Fti. tue et mandamus: ut ipsa bona omnia ad eandem preposituram pertinentia recipiat pro dicto Andrea, secretario nostro, et tueatur autoritate nostra, detque operam, ut nullum illi ab aliquo in eis bonis et proventibus damnum inferatur. Pro gratia nostra. Ex cod. mss. bibl. Korn.

LXXVI. SIGISM.

LXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao de Schidlowyecz, Thesaurario.

MDXVI. Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Quando ex regno discedere debuimus, edocueramus Stem. tuam, quamdiu solvere deberet stipendium his militibus, quos ad Russiam conduci fecimus. Et ita non visum fuit opus istud repetere. Volumus itaque, ut Stas. tua solvat illis ipsum stipendium et in servitio illos manere permittat ad medium tertii quartalis anni, ut est de constitutione communi. Et si necessitas postularet, ut diutius computari eorum servitium deberet, redderemus de hinc Stem. tuam certiorem, cujus profectio ad occurrendum publico discrimini non mediocriter grata, et volumus ejus inter alia Stis. tue merita equam et benignam habere rationem.

LXXVII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Domino Palatino Russie.

Cod. R. Mgce. dne. etc. Scripsit vra. Mgcia. Mti. regie, declarando illi consilium suum de literis restium mittendis in isto presertim disturbio et frequentibus hostium incursionibus in regnum; verum Mtas. sua cognoscens, quanti ponderis sit vocare nobilitatem ad exercitum et bellicam expeditionem, nisi in summa necessitate Reipublice, cui aliter provideri non possit, hactenus id facere distulit, maxime cum non dubitet adhuc de fide imperatoris Tartarorum erga se. Si tamen cognoverit urgentem aliquam necessitatem, faciet id quod factu erit opus. Interea vero ad prohibendas leves hostium incursiones vre. Mgcie. erit opus providere una cum aliis dominis, ne quod detrimentum Respublica ex eis accipiat; nam satis negotii hic habet Mtas. regia cum Moscis, in quorum gratiam et Tartari et Cruciferi cornua adversus illam erigunt.

Quod etiam scripsit vra. Mgcia. de disjectis scopulis et limitibus a se factis reputatque id factum esse in levitatem suam, memoria teneo, dnum. Maldrzik scripsisse Mti. regie de quibusdam limitibus, quos factos asseverat cum magna injuria Mtis. sue et Reipublice, ex eo quod commissarii secuti tenorem cujusdam privilegii et non antiquam possessionem et testimonia senum, prout statuto regni cavetur, facere illos debuerunt, et ob hoc fassus est: se nonnullos scopulos erectos demoliri jussisse. Cui Mtas. sua rescripsit, ut hanc rem ita esse sineret usque ad suum in regnum reditum. Cum vero Mgcia. vra. functa sit officio suo, curare non multum debet, si quis temere ejus decreto contradicit, nam cognita rei veritate posthac id, quod ille minus consulte et improvise fecit, emendari facile poterit. — Dat. Vilne.

LXXVIII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Dno. Palatino Sandomiriensi.

Mgce. dne. etc. Jam hic apparet hostilitas ducis Moscoviensis. Admovit enim nuper exercitum suum ad arcem Vitepsko ejus expugnande gratia, nactus occasionem ex discessu inde omnium fere nobilium et civium, qui dum ferre ulterius non possent nimiam avaritiam et rapacitatem palatini sui Janussii Koscziewicz de Vangrow, omnes huc concesserunt questum contra ipsum, et quoniam diu hic retenti sunt defendentibus dominis eundem palatinum, hostis, cognita eorum ab arce discessione, exercitum suum illuc misit, que res tanto magis nos deterruit, quanto melius cognitum habemus, illic neque commeatum neque copias militares esse, que hostes arceant. Accedit ad hec, quod exercitus hujus dominii nondum est congregatus, et timendum est, quod ad alias quoque arces oppugnandas accedent copie hostiles. MDXVI. Cod. R.

Magister etiam Prussie stat in finibus cum gente sua, licet non multa, tamen bene instructa et armata, et jam dudum in terram Samogitie insiliisset, sed compertum habens, parata ibi esse presidia, continet sese.

Preterea Tartari ex alia parte sunt nobis infesti et non pridem populati sunt in finibus, et magnas predas egerunt. Itaque angustie sunt nobis undique nec restat aliud quam orare Deum, ut tanta mala et pericula, que undique imminent huic dominio, procul hinc avertat. Utcumque tamen est, adhibet omnem operam reg. Mtas., ut arci obsesse suppetias ferat et non permittat sibi ullam levitatem aut detrimentum ab hostibus suis inferri.

Nondum huc venit dominus Czikowski, qui mittitur a dominis, qui in Hungaria munus legationis obierunt, ut referat ea, que illic acta sunt.

In Masovia excitatus est tumultus nobilitatis contra dominam ducem, cujus imperium ulterius ferre non possunt nec volunt et utraque pars confugit ad regiam Mtem. Quid inde sequetur postea perscribam.

Non dubito Tartaros toto hoc anno regnum nostrum infestaturos in gratiam ducis Moscovie. Itaque provideat vestra Mgcia. una cum aliis dominis, ne quod majus damnum facere possint.

Si certum esset, imperatorem eorum a federibus cum regia Mte. initis discessisse, literas restium jam dudum misissemus, sed ad leves illorum incursus non visum est Mti. regie illas mittere. Cetera, que hic aguntur, ex literis Mtis. sue cognoscet vra. Mgcia. — Cui me commendo etc.

LXXIX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Andree de Tanczin, Palat. Lublinensi.

Mgce. dne. etc. Que hic aguntur ex literis regie Mtis. abunde vra. Mgcia. cognoscet. Hoc tamen sciat, causam omnium malorum, que hic fiunt, esse nimiam negligentiam hujus gentis, Cod. R.

MDXVI. tis, que dum privatis suis commodis plus quam satis intendit, de iis, que ad salutem sue Reipublice et boni communis spectant, cogitare et providere non curat, quo fit, ut in dies in majori discrimine et periculo versetur et dum nec militem mercenarium habere vult aut forte conducere et sustinere non potest, nec ipsa sola sufficiens est suis propriis viribus tante hostium multitudini se opponere, conjicit se et Mtem. regiam in graves curas et pericula. — Accedit ad hec, quod in tanta ejus difficultate nec querere quidem modos vult, quibus sibi aliena auxilia comparet aut saltem arces suas bene provideat commeatu et presidiis militaribus, quod si faceret, prout facere posset si vellet, servare easdem arces optime posset; sed cum neutrum horum facit, et subditos ac miseros homines magis in dies gravat et despoliat, timeo, ne illas amittat, aut ne ipse sole arces pertese tam diuturni belli et nimie rapacitatis et injustitie, ad hostes deficiant. Orandus esset enixe Deus, ne Mtas. regia, aliquod vel rerum vel fortune sue patiatur detrimentum, que omnibus viribus nititur tamen, ut suppetias arci Vitepsko ferat et obsistat conatibus hostium, qui undique illi imminent. Commendo me etc.

LXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Laski, Archiepiscopo Gnesnensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rme. in Christo pater etc. Displicet nobis non mediocriter motus et dissensio intestina Masovie et presertim id, quod erga ducem suam subditi perpetrarunt, cujus nunciis, cum huc ad nos questum venerant, respondimus id quod nobis consultum factu videbatur; tamen grata est nobis Ptis. vre. cura, quam adhibet, ut ipsum motum sedet eritque adhuc gratior, cum intelligemus, ejus opera composita et pacata esse omnia. Solent enim tales motus et discordie domestice omnibus regnis et dominiis magnum afferre detrimentum.*

Magister Prussie comperiens, presidia esse in terra Samogitie, discessit a finibus re, ut proposuerat, infecta, misitque ad nos nuncios purgatum se de suspicione hostili, quam nos de eo habere et intelligere ejus conatus cognovit, quos in omnibus benigne absolvimus et non veremur ad presens illinc aliquid adversi emersurum.

Tartarus violatis federibus et jurejurando fecit, ut Ptas. vra. jam intelligere potuit, ingens damnum in Russia. Nos quidem freti federibus et jurejurando, quibus res et actiones omnes humane firmantur et consistunt, hec solum discedentes a regno presidia illic reliquimus, que sufficere possent ad clandestinos insultus reprimendos, queque consiliariis nobiscum Sandomirie existentibus necessaria videbantur; tamen cum intelligimus, Tartarum fidem mutare, nec satis suo imperatori obedire, admonuimus sepe omnes primarios et officiales terrarum Russie, ut diligentem prestarent de se et reliquis custodiam essentque ad resistendum hosti parati. Commovere regnum ad arma non fuit visum, quippe talis motio plus semper offert detrimenti quam utilitatis, presertim contra Tartaros et incerto tempore irrumpentes et expeditiones nostras non expectantes. Utcumque est, ferimus gravissimo animo hanc perfidiam et damnum, quod nobis ipsi Tartari intulerunt et cum suspicio est, illos adhuc redituros, in tam subido vero discrimine presentius remedium non videtur afferri posse, quam communis ad bellum expeditio, misimus in terras Minoris Polonie literas restium, milites

lites etiam mercenarios, ultra eos, qui fuerunt, quadringentos conduci fecimus et quidquid ulterius erit factu possibile, nihil pretermittemus. MDXVI.

Hic etiam, quoniam veremur, ne ab hoste nostro, duce Moscovie, iterum adoriamur, mittimus has gentes nostras ad bellum utcunque jam fessas ac attritas, dabimusque operam pro virili nostra, ne quid hostes nostri nobis dispendii inferre valeant.

Ex Bohemia oratores ad nos insignes mittuntur et itidem ad cesaream Mtem., postulatum utrumque nostrum, ut simul tutoriam regni illius suscipiamus. Intelleximus ipsum regnum Bohemie intra se jam esse pacatum et constituta ea omnia, que pertinent ad quietam conservationem et elevationem bonorum regalium. Cetera que ex ipsis oratoribus cognoscimus, reddemus vram. Ptem. certiorem. Que bene valeat.

LXXXI. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Marschalco Regni.

Mgce. dne. etc. Molesto fero animo, quod Tartari violatis federibus et jurejurando fecerunt ingens damnum in terris Russie; sed in Moscovia quoque feruntur magna damna fecisse, nam avocate sunt omnes gentes ducis Moscovie a finibus et converse contra illos. Et hec est fides Tartarica, utrobique stipendia accipiunt et munera et tam nos quam Moscos decipiunt. Reliqua ex literis regie Mtis. cognoscet etc. Cod. R.

LXXXII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Stanislao Kosczieleczki, Palat. Junivladislaviensi.

Mgce. dne. etc. Tartari vastarunt nuper terras nostras Russie et predas magnas inde egerunt. Convenerat satis tempestive non parva manus procerum et nobilium illarum terrarum, que tamen metiens vires suas non ausa fuit cum numeroso hostium exercitu congredi; verum milites mercenarii cum Podolitis tribus particularibus preliis nonaginta hostium equites profligarunt et non parvam predam illis ademerunt. Mosci etiam imminent huic dominio, stant parati cum valido exercitu. Perturbatus ex tam magna clade et vastatione terrarum Russie plura ad presens scribere non possum. Commendo me etc. Cod. R.

LXXXIII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Constantino, Duci in Ostrogk, Campiductori Lithuanie.

Preclare princeps etc. Plurimas ago et habeo gratias vre. Preclaritati, quod me literis suis invisere et de statu valetudinis sue dignata est reddere certiorem; dominum Deum oro, ut prosperet iter et actiones illius et ut cum ampla victoria et opimis spoliis cum universo exercitu sibi commisso felix ad nos cito revertatur. Tartari populati sunt nuper in regno nostro Cod. R.

MDXVI. nostro et magna damna fecerunt longe lateque vastantes ac villas omnes et oppida cum frumentis igne cremantes, magnamque predam hominum et pecorum inde abduxerunt, quod non sine magno dolore scribere possum. Et quod magis dolendum est, impune egressi sunt de regno. Collecta quidem fuerunt circiter tria milia hominum subito in terris Russie poterantque illos optime insequi, sed cognoscentes ex captivis illorum, numerosum esse exercitum, suas vero parvas vires et illis impares, mesti retrocesserunt; nam ubi fuerint Volhinenses collecti, quos etiam non leviter attigit hec calamitas, scire nullo modo potuerunt. Si fuisset illic vra. Preclaritas cum Dei auxilio hostes illi penas debitas sue perfidie persolvissent. Sed Deus nos castigare voluit, qui nimium confidimus genti illi, que nunquam federa nobis servavit. Consideret nunc vestra Preclaritas, quam utilis sit nobis Tartarorum amicitia et quam constans eorum fides — auro nos continue exhauriunt, et falsis juramentis suis nos decipientes, cum maxime putamus, nos esse ab eis securos, ex improviso in nos insiliunt et hostiliter populantur. Forte inspirabit nos aliquando Deus eam mentem, quod post tot damna, que ab eis perpessi sumus, consulere aliter studebimus tranquillitati et securitati nostre, et deinceps nos decipi non patiemur.

Mtas. regia gratia Dei est bene sana, apud quam est nunc hic orator domini magistri Livonie, qui queritur de damnis et injuriis in finibus subditis suis illatis. Speramus etiam, post aliquot septimanas venient huc quatuor insignes oratores de regno Bohemie. Commendo me etc.

LXXXIV. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Dno. Capitaneo Samogitiensi.

Cod. R. Mgce. dne. amice et fautor honorandissime. Plurimas ago et habeo gratias vre. Mgcie. quod me literis suis invisere dignata est; curabo ut illi hanc benivolentiam mutuis officiis et pari gratificatione rependam.

Apud nos hec nova sunt, quod Tartari nuper populati sunt in finibus hujus dominii et magnas predas egerunt, Mosci vero cinxerunt obsidione arcem Vitepsko, nacti occasionem et opportunitatem ex discessu inde nobilium et civium, qui ferre ulterius non valentes nimiam avaritiam ac rapinam palatini sui, dni. Janussii Kosczewicz, omnes huc venerant questum contra ipsum, dumque hic retinentur per multas septimanas, defendentibus dnis. eundem palatinum, qui eos expilavit, id quod eis supererat amiserunt, nam hostes et civitatem imprimis Vitepscensem et deinde villas omnes vicinas igne cremarunt, segetesque in campis conculcarunt et equis ac jumentis suis depasti sunt. Itaque it clamor in celum, ipsique miseri nesciunt, quid ulterius facere, aut quo se convertere debeant. Ita hoc dominium perit nimia avaritia et injustitia presidentium. Accedit ad hec, ut valde timemus, ne arx illa per hostes capiatur, pauci enim sunt ibi homines, qui eam defendant, et hi nec commeatum nec pulveres bombardarios habent et exercitus nullus est paratus, omnes enim adhuc manent in domibus suis.

Moscus

Moscus ille, quem captum misit huc vra. Mgcia. ad regiam Mtem., homo vafer et malignus, nolens ut ab eo per tormenta extorqueretur id quod egit cum nostris bonis Cruciferis in perniciem regie Mtis. et ejus dominiorum, nacto cultello se ipsum confodit. MDXVI.

Ceterum mitto vre. Mgcie. exemplum literarum magistri Prussie, quas nuper scripsit respondens postremis literis reg. Mtis., ex quo cognoscet vra. Mgcia., quod jam mitiora cogitat. Spero tamen, quod multum deterrebitur unacum ordine suo posteaquam intellexerit, eundem Moscum, qui ab eo revertebatur, esse captum. Commendo me etc.

LXXXV. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Christophoro Schidlowyeczki, Palat. et Capit. Cracoviensi, Cancellario.

Spectabilis dne. etc. Gravi ac acerbo animo fert Mtas. reg. et nos omnes damnum, quod Tartari nunc in terris Russie perpetrarunt, et non putavit quidem Mtas. reg., quod imperator eorum initam cum ipsa et jurejurando firmatam amicitiam et societatem violare debuisset, verum cum tam insignem perfidiam in Mtem. suam commisit, opus erit, ut de hac re novum adversus illum consilium capiatur, interim vero, quia veretur Mtas. sua, ne in gratificationem hostis regii, ducis Moscovie, iterum terras ejus adoriatur, commisit ad numerum stipendiariorum adhuc quadringentos equites conduci, et insuper ad palatinos terrarum Cracov., Sandom., Lublin. et Russie literas restium misit, ut si illis opportunum videbitur, eas publicari et nobilitatem universam ad arma commoveri faciant; nam nollet quidquam negligere Mtas. sua, quo tam subito et inopinato discrimini occurri possit. Aliud vero nunc presentius remedium huic malo afferre nequit, scribente dno. thesaurario, nullas in thesauro esse pecunias, quod et miratur Mtas. sua et valde est illi molestum, hactenus enim continuit se a dispensatione ipsarum publicarum pecuniarum speravitque congestum iri debere non parvas summas ex fertonibus et Czopowe, que sustinere potuissent onus defensionis Reipublice; que quidem spes illam fefellit. Cod. R.

Magister Prussie, non potitus voto, quod illi erat, discessit a finibus Samogitie, pro quorum presidio coacta fuit Mtas. regia dividere exercitum suum et illic partem ejus locare, sed altera se tardius movente, gentes ducis Moscovie, facto maximo damno circa Vitepsko, impune discesserunt. Nunc tamen nihil ab eis auditur, ferunt, illas contra Tartaros esse conversas, qui etiam terram Moscovie populantur.

Oratores ex regno Bohemie mittuntur ad Mtem. regiam viri primarii, alii etiam ad cesarem, postulatum ab utraque Mte., ut tutelam et gubernationem supremam regni illius accipiant, tamen, ut puto, adhuc tam cito huc non applicabunt. Commendo me etc.

LXXXVI. Petrus Tomiczki, Vicecancellarius,

(Desideratur cui.)

Mgce. dne. etc. — Perturbavit nos plurimum damnum ingens, quod nuper Tartari in terris Russie perpetrarunt, et animo perpendo, quantum adhuc inferre possent — quod Deus avertat Cod. R.

MDXVI tat — in tali ordine et custodia nostra. Mtas. quidem regia, freta federibus et juramento, quibus res et actiones omnes humane firmantur et consistunt, hec solum discedens e regno presidia illic reliquit, que sufficere potuissent ad clandestinos insultus reprimendos, queque consiliariis nobiscum Sandomirie existentibus necessaria videbantur. Tamen cum intellexit, Tartarorum fidem nutare, nec satis suo imperatori obedire, admonuit omnes primarios ac officiales terrarum Russie, ut diligentem haberent de se et reliquis custodiam essentque ad resistendum hosti parati. Commovere regnum ad arma non fuit visum, quippe talis motio plus semper affert detrimenti quam utilitatis, presertim contra Tartaros et incerto tempore irrumpentes et expeditiones nostras non expectantes. Utcumque est, fert gravissimo animo Mtas. sua hanc perfidiam et damnum, quod ipsi Tartari intulerunt. Et cum suspicio est, illos adhuc redituros, in tam subito vero discrimine presentius remedium non videtur afferri posse quam communis ad bellum expeditio, misit in terras Crac., Sandom., Lublin. et Russie literas restium, milites etiam mercenarios, ultra eos, qui fuerunt, quadringentos conduci fecit, et quidquid ulterius erit factu possibile, nihil pretermittet. Hic etiam cum veretur, ne ab hoste suo, duce Moscovie, adoriatur, misit has gentes suas ad bellum, utcumque jam fessas et attritas, datque operam pro virili sua, ne quod hostes illi dispendium inferre valeant.

Magister Prussie, comperiens, presidia esse in terra Samogitie, discessit a finibus, re ut proposuerat infecta, misitque ad Mtem. regiam oratores suos, purgatum se de suspicione hostili, qui in omnibus benigne sunt absoluti, ut non veremur ad presens illinc aliquid adversi emersurum. Commendo me etc.

LXXXVII. Petrus Tomiczki, Eps. Premisl., Vicecancellarius, Capitaneo Samogitie generali.

Cod. R. Mgce. dne. etc. Habeo magnas gratias vre. Mgcie., quod me et literis et nuncio suo invisere dignata est, curabo illi hanc gratiam omnibus officiis semper demereri.

Fuit hic nuper orator magistri Livonie, qui questus est contra officialem domini palatini Vilnensis de Druxen, et postulavit, ut damna non modica per eum subditis dni. magistri illata resarcirentur; questus etiam est et de officiali quodam vre. Mgcie., quod ille diverteret meatum fluminis certi per alium alveum in damnum et detrimentum dominii sui, simul et de nonnullis damnis, que homines, qui nunc erant collocati in finibus Samogitie, in terra ipsorum Livoniensi facere debuerunt. Quomodo autem illi responsum sit ad hec et ad alia, ex responso presentibus incluso plane cognoscet vra. Mgcia.

In finibus hujus dominii omnia gratia Dei sunt tranquilla, ferunt enim et transfuge et Tartari captivi, qui nuper populati sunt in terris nostris Russie, triginta milia Tartarorum terram Moscovie longe lateque non pridem vastasse et cum magna preda hominum et pecorum inde exivisse, et ob hoc ducem Moscovie omnes gentes suas, quas habebat in finibus, contra ipsos convertisse. Si nostri vellent et diu congregati fuissent, possent nunc terram illius multum urgere et libere vastare. Cupio feliciter valere vram. Mgciam. etc. — Vilne fer. II prox. post. f. S. Bartholomei.

LXXXVIII. FEDUS

LXXXVIII. Fedus cum Christierno, Rege Danie.

SIGISMUNDUS I., REX POLONIE etc. Manifestum fieri volumus universis. Quia cum regnorum et principatuum nullus tutior status sit, nulla presidia firmiora quam regum et principum mutue inter se amicitie et societates: intelligentes Sermi. principis et domini Christierni, Norvegie, Schanorum, Gottorumque etc. regis, singularem erga nos benivolentiam et affectum, nec non animum firmum et propensum nobiscum hac societate et federibus his conjungi, que inter nos et Sermum. olim parentem ejus, dominum Joannem, regem, ac predecessores utriusque nostrum Polonie et Danie reges, inviolata extiterunt, decrevimus eadem federa pro felici statu et incremento communium regnorum et dominiorum nostrorum cum ejus Mte. inire et renovare, ac medio oratoris sue Mtis reverendi et egregii Ditleri Smyter, juris pontificii doctoris, canonici Hafnensis, iniisse, renovasse et sanxisse presentibus literis nostris testamur, quorum hic tenor est, qui sequitur. MDXVI. Cod. R.

Imprimis placitum est et sancitum: quod inter nos et prefatum Sermum. dnum. regem Christiernum ac successores, regna, dominia et subditos nostros communes quoscumque, fieri debet perpetua et insolubilis pax, amicitia, conjunctio et societas, et coli a nobis mutuo amore et fidei integritate, nec quibusvis illegitimis causis violari.

Quod subditi regnorum et dominiorum utriusque nostrum habeant liberam et securam facultatem versandi inter se mutuo, et mercimonia ac alia negotia sua exercendi juxta tamen consuetudinem solvendorum theloneorum ac alia jura regni, dominii et urbium uniuscujusque.

Quod in rebus congruis et rationabilibus debemus nos invicem juxta convenientiam et opportunitatem nostram omni favore, auxilio et assistentia mutua juvare, justitiamque et favorem inter nos et subditos nostros pro viribus colere et observare.

Que omnia et singula nos Sigismundus, rex prefatus, pollicemur fide et verbo nostro regio firmiter tenere et adimplere, successoresque et subditos nostros, quantum in nobis est ad eadem tenenda et implenda stringimus et obligamus, conjunctionibus tamen et federibus nostris et regni dominiorumque nostrorum cum aliis regibus et principibus initis semper et omni ex parte salvis. In quorum testimonium sigillum nostrum etc.

LXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Gedanensibus.

Famati, fideles, dilecti. Postulavit a nobis Sermus. princeps dnus. Christiernus, Danie rex, frater, amicus et confederatus noster charissimus, ut quia justum bellum moturus est adversus Swecos, contumaciter se adversus eum gerentes, prohiberemus eos cum subditis nostris mutua commercia exercere. Nos pro eo federe et conjunctione, que nobis est cum illius Mte., cuperemus hac in re illi gratificari. Verum nolentes aliquid insciis vobis facere, quorum id precipue interesse videtur, certiores vos de hac re fieri voluimus et hortamur vos, ut habita inter se mutua consultatione, quomodo nos in ea ipsa re citra dispendium et gra- Cod. R.

MDXVI. vitatem vestram et aliorum subditorum nostrorum prefato dno. Sermo. regi Danie adesse possemus, nobis significare curetis, ut quam maxime fieri poterit, satisfiat voto et desiderio illius Mtis. Interea tamen mandamus vobis, ne per portus et ditionem vram. permittatis vel milites ullos, vel quoscunque alios arma ceteraque belli instrumenta et necessaria in Sweciam ducere. Et in hac re diligentem habeatis custodiam, pro gratia nostra aliter non facturi.

XC. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Joanni Bonero, Zuppario Cracoviensi.

Cod. R. Generose dne. etc. Venit huc orator cesaree Mtis. dnus. Sigismundus de Erberstein, ad conficiendam pacem inter regem et Moscum; venit et orator imperatoris Turcorum petitum inducias. Uterque eorum jam est auditus, et dominus quidem Sigismundus non diu hic retinebitur, Turcus vero expediri non poterit, donec intelligamus, que sit mens et voluntas dnorum. Hungarorum de induciis cum hoste illo ineundis.

Audio designatos esse sex nuncios ex conventu Piotrkoviensi ad Mtem. reg. et miror plurimum, cur tot sint missi, cum ea, que in eo ipso conventu constituta sunt, unus optime referre posset. De rebus aliis scribam brevi vre. Dtioni. per cubicularium, quem propediem in Hungariam expediemus. Bene valeat etc.

XCI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto Magistro.

Cod. R. Illtris. princeps etc. Retulit ad nos mgcus. capitaneus Samogitiensis, quod vra. Illtas. fecerit Jacobum, Gedanensem cauponem seu tabernatorem nostrum, capi et in ludibrium tondi et prius etiam duos illius piscatores officiales vre. Illtis. ceperunt et tondi fecerunt. Que res, ut multe alie, que fiunt istic subditis nostris in terra ipsius Illtis. vre. sunt nobis valde moleste, postulamusque ab illa, ut dimitti mandet eundem tabernatorem et piscatores predictos, et non prebeat nobis occasionem aliter nos gerendi adversum se et subditos suos, quam jus necessitudinis et bone vicinitatis postulat, alioquin deesse non poterimus tam gravibus et frequentibus injuriis subditorum nostrorum, quos ut tenemur gratia Dei sumus sufficientes ab unoquoque tueri et defendere. Si quid autem dictus Jacobus caupo debet cuipiam subdito vre. Illtis., nos cum illo unicuique justitiam ministrari faciemus. Bene valeat etc.

XCII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto Magistro.

Cod. R. Illtris. princeps etc. — Questus est nobis Martinus Zoraw, subditus noster, civis Kownensis, quod ei ad castrum Ragnet in terra vre. Illtis. recepti sunt duo equi, quos secum ad Kowno rediens

rediens ducebat. Miramur tam frequentes fieri querelas subditorum nostrorum ratione injuriarum, que illis in terra Illtis. vre. inferuntur. Itaque postulamus ab illa, ut subditos suos contineat ab iis violentiis et injuriis, quas in nostros exercent et mandet ipsos equos eidem Martino reddi pro mutua vicissitudine; nam nos nollemus violenter aliquid a nostris erga illius subditos agi. Valeat feliciter etc. MDXVI.

XCIII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro.

Illtris. princeps etc. Questi sunt nobis cives nostri Vilnenses, quod cum ceram suam valoris trium milium sexagenarum monete Lithuanice ducerent per civitatem Illtris. vre. Montem Regium, fuerit illis per officiales et servos ipsius Illtis. vre. absque ulla causa recepta, quodque non permissi sunt eandem ceram ulterius vehere aut rursus ad Lithuaniam reducere; de qua violentia nos plurimum miramur, postulamusque ab Illte. vra. committere velit, ut cera ista restituatur idque deinceps subditis nostris fieri apud se non permittat. Valeat etc. Cod. R.

XCIV. Responsum a Rege Nunciis Alberti, Magistri Cruciferorum.

Legatio vrarum. Dtionum. quam heri nomine Illtris. dni. magistri coram sacra Mte. regia obiverunt, hec summatim in se continebat. Queritur ipse Illtris. dnus. magister de dno. capitaneo Samogitiensi, quod multas injurias et damna inferre soleat subditis illius Illtis., quodque ipse dnus. capitaneus rei sue et mansioni domestice consulens et in dissensionem adducere volens ejus Illtem. cum sacra s. Mte. injecerit illi suspicionem hanc, ut Illtas. sua moliri deberet aliquid hostile in terram Mtis. sue Samogitiam, cum illud propositum sua Illtas. nunquam habuerit, petitque ut Mtas. sua huic rei, veluti commento domini capitanei fidem non adhibere dignaretur. Cod. R.

Ceterum, quod intelligat idem Illtris. dnus. magister varias querelas perferri sepe ad sacram Mtem. suam de injuriis et damnis, quibus afficere deberet subditos sue Mtis. et illis ab ejus Mte., ut ex illius literis crebris conjecit, fidem prestari, declarat Illtas. ejus ortum querelarum istarum et se de illis excusat.

Postremo optat ejus Illtas., ut s. Mtas. sua his, que ad diluendas delationes et querelas de se Illtas. sua per vras. Dtiones. declaravit, Mtas. sua credere dignaretur, habereque ejus Illtem. cum Ordine suo commendatam, et de mittendis utrinque nunciis ad fines prestolaretur Mtas. sua ad id temporis, quo ejus Illtas. commode illuc mittere posset.

Non libenter videt sacra Mtas. sua, nec est ejus voluntas, ut dnus. capitaneus Samogitiensis aliquid terre occupare deberet Illtri. dno. magistro et ejus Ordini et subditos ejus premere: ut enim Mtas. sua non indiget iis, que aliena sunt, ita ea non libenter appetit, contenta

iis

MDXVI. iis, que Dei benignitate late et longe possidet, ut illis in diuturna et quieta vita perfrui posset. Et proinde si prius aliquando dnus. magister id Mti. sue declarasset, quod nunc de ipsis injuriis et occupatione per vras. Dtiones. significavit, continuisset dudum Mtas. sua dictum dnum. capitaneum ab iis, in quibus excedere videretur, et curasset: ut omnis differentia et dissensiones inter illum et ejus Illtem. essent composite. Et quod ejus Illtas. commemorat, se fuisse de istis rebus sepe questam, id Mtas. sua meminisse non potest. Utcumque est, Mtas. sua mandare vult dno. capitaneo, ut se deinceps ab omnibus, que essent contra communem pacem et conservationem bone vicinitatis, contineret et in minimum quodque, quod ad ditionem ejus Illtis. et Ordinis ipsius pertineret, se non intromitteret usque ad determinationem omnium differentiarum per missos utrinque nuncios, verum ut et dnus. magister eodem modo se adversus illum et subditos sue Mtis. conservare velit, quo vid. ejus Illtas. ea sibi non usurparet, quorum Mtas. sua et ejus subditi longam et quietam possessionem habuerunt.

De apparatu vero hostili, quo dnus. capitaneus insimulare deberet Illtem. suam rei et commoditati sue consulendo, Mtas. sua aliunde etiam intelligebat et fiebat certior de omnibus, que hoc toto anno dnus. magister pre se tulit. Tamen cum ejus Illtas. se de hac suspicione et fama communi purgat, Mtas. sua excusationem hanc ejus benigne suscipit et boni consulit.

Quod ad communes querelas subditorum Mtis. sue attinet de injuriis, quibus a dno. magistro et prefectis illius affici deberent, id quidem ita est. Queruntur multi continuo tum de damnis et diffidationibus a grassatoribus, qui conservari deberent in terra Illtis. sue, tum aliis multis injuriis, et quod Mtas. sua mirari se de iis scribat, fit eo, quod ante hac nunquam apud illam tot et tante querele de dno. magistro et ejus ordine fiebant, propter quas non licuit Mti. sue nisi moleste interdum ferre et scribere pro subditis suis id quod illis debet, ut ab aliis indebite non opprimantur. Et proinde postulat Mtas. sua ab illius Illte., ut ad quod se per vras. Dtiones. offert, non prebeat deinceps causam subditis ejus Mtis. de se vel prefectis suis querendi et ut non permittat maleficos et hos, qui communem vicinorum pacem turbant, in terra sua conservari contra subditos Mtis. sue, et illis justitiam debitam cum aliquid acciderit ministrari faciat, quod ab omnibus vicinis principibus diligenter et necessarie observatur, qui inter se mutua pace et benivolentia volunt agere. Nam quod ad Mtem. suam attinet, hec et solita est hucusque et in posterum vult providere, ne subditi dni. magistri et ejus Ordinis de se et subditis suis querendi ullam aliquando legitimam causam habeant.

Quod reliquum est: sacra Mtas. reg. dnum. magistrum ordinemque et singillatim personas uniuscujusque illius libenter vult et pollicetur gratia, favore et benivolentia sua regia complecti et ejus Illti. ad omnem honoris et commodi illius amplitudinem non deesse, dummodo ipse dnus. magister et ejus ordo pari ratione se adversus Mtem. suam et ejus subditos conservare studeat, et ita se gerere, ut et benignitas ejus Mtis. erga illius Illtem. ac ordinem ipsius et dni. magistri et ejusdem ipsius ordinis singulare debitum postulare videtur. Productionem autem temporis pro utrinque nunciis ad fines Mtas. regia non detrectat, verum scire velit tempestive, pro quo die fieri deberet ipsa missio, nolens in aliqua re moram

moram et difficultatem a se oriri, que impedire deberet ea, que spectant ad communem pacem et bonam vicinitatem conservandam. MDXVI.

XCV. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro.

Illme. princeps etc. Scripsit nobis iterum Illtas. vra. de injuriis, quas illi et ejus ordini capitaneus noster Samogitiensis inferre deberet accumulando etiam plura et non coherentia cum his, que prius scripserat. Nos antehac Illti. vre. respondimus: non meminimus, illam aliquando de his injuriis nobis adversus dictum capitaneum nostrum questam esse; fecissemus enim id libenter, quod inter alios principes vicinos et dominia fieri solet, ut missis utrinque nunciis et consiliariis nostris ad fines omnis dissensio componeretur, verum miramur, quod vra. Illtas. non attendens, quantam equitatem nos illi pro conservanda pace et bona vicinitate obtulimus, coëgerit exercitum illumque sub fines nostros admoverit, et licet plane intelligimus, quorsum ista vel in cujus fiant gratiam, tamen ea ad presens ita esse sinimus, hortamur autem Illtem. vram.: ne contra capitaneum nostrum aliquid hostiliter agat, cum nos sufficientes esse volumus justitiam unicuique cum illo administrare, paratique sumus consiliarios nostros ad fines mittere, qui omnes differentias determinarent, alioquin, quidquid vra. Dtio. adversus eundem capitaneum nostrum egerit, id aliter existimare non potuimus quam adversus nos agi et rursus vim vi repellere cogeremur. Nec Illtas. vra. censeat, nos coram aliquo judice debere et velle pro bonis nostris aut subditorum nostrorum causam suscipere. Nam quidquid illa nobis violenter adimere vellet eorum, que ad nos pertinent vel quorum longam et legitimam possessionem habuimus, id nos eodem modo defendere et repetere oportet. Et non prebuimus nos quidem usque huc, nec prebere volumus Illti. vre. ullam justam causam hostilitatis alicujus, verum si illa tale aliquid ordiri voluerit, nos nequaquam patiemur nobis vel subditis nostris vim ullam inferre. Quod vero inde commodum vre. Illti. et ejus ordini accedet, eventus declarabit. Ne tamen inter nos et Illtem. vram. aliqua dissensio ob modicum terrarum spatium oriatur, significet nobis, ad quod tempus mittere velit consiliarios, qui id quidquid est differentie componant. Valeat feliciter etc. Vilne. Cod. R.

XCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Prussie.

Illtris. princeps et domine, nepos noster charissime. Jam sepius et per literas et nuncios nostros egimus cum vra. Illte. de variis et multiplicibus gravaminibus, retentionibus et spoliis, que subditis nostris in terra Illius fiunt, que hactenus non modo non cessarunt, sed augeri insuper videntur. Nuper enim spoliati, vulnerati et occisi sunt ex ipsa terra Illtis. vre. cives et mercatores Vilnenses ac jactura et damno non mediocri affecti, et preterea Cod. R.

 quidam

MDXVI. quidam Jacobus de Schlowsse, qui, ut accepimus, in eadem ipsa terra vre. Illtis. degit, illis diffidavit minitans, se illos ferro et igni persecuturum. Que res eo magis est nobis gravis et molesta, quo sit ex ditione Illtis. vre., vicini et necessarii nostri, et proinde postulamus ab illa: ut faciat reformationem ipsis civibus, subditis nostris, a suis, et iis, qui in dominio ejus conservantur.

Nam et nos tanta jam adversa ferre non possemus, et subditi nostri curarent alio sibi ad negotia et mercimonia sua exercenda tutius iter invenire. Exponet nomine nostro reliqua iste nobilis Petrus Gersdorf, aulicus noster, cui vra. Illtas. plenam fidem adhibere velit et bene valeat.

XCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Prussie.

Cod. R. Illtris. princeps etc. Scripsimus jam sepius vre. Illti. declarando illi, que injurie violentie et damna inferuntur subditis nostris in ejus terra, postulavimusque, ut a premendis illis officiales suos contineret, quod usque huc intelligimus non esse factum, nunc enim delatum est ad nos, subditum nostrum Christianum Kolemannum de Gedano, coactum prius per prefectum in Ragnet, se pro alieno debito, quod nihil ad eum pertinebat, obligare, deinde etiam in carcerem conjectum etiamnum detineri exigique ab eo solutionem, ad quam minime tenetur cum sponsione sistendi se in aula vre. Illtis. quandocunque fuerit accersitus et de ea re in perpetuum silendi, prout id ex supplicatione inclusa clarius cognoscet. Nos valde graviter ferimus, ita agi cum subditis nostris, de quibus solitum est aut nos aut officiales nostros unicuique justitiam ministrare. Itaque rogamus et hortamur Illtem. vram., ut dictum Christianum cum omnibus rebus et mercibus ejus istic detentis liberum dimitti et ejus damna Arnoldo Thyle resarciri mandet, quandoquidem nos sumus sufficientes et parati unicuique cum eo justitiam facere, alioquin nos in omnibus terris nostris idem subditis Illtis. vre. fieri permittemus, quod in ejus terra nostris indebite agitur. Bene valeat.

XCVIII. Sigismundus, Rex, Polonie, Alberto, Magistro in Prussia.

Cod. R. Illtris. princeps etc. Reddidit nobis nuncius iste literas vre. Illtis., quas itidem ut alias omnes, quas ab illa accepimus, plene intelleximus, verum nos eidem Illti. vre. nihil temere et precipitanter scripsimus, sed uti ab officialibus nostris, quibus pariter ut illa suis credimus, edocti sumus. Utcumque est, res iste sisti et componi inter nos simplicibus verbis non possunt, intelligimus omnes istas difficultates et differentias propter limites fieri, ob idque volentes nos dudum causas omnes dissensionis inter nos et vram. Illtem. tollere, miseramus insignes et primarios consiliarios nostros ad eosdem limites revisendos, sed oratoribus illius nolentibus eam revisionem juxta inscriptiones antiquas fieri, quas ipsi consiliarii

liarii nostri secum habuerunt, sed juxta testimonium suorum subditorum, cum tamen literis apud omnes gentes plena fides dari soleat eisque regna et principatus in sua pace et tranquillitate subsistunt. Ita rebus infectis utrimque discessum fuit, quare, cum et nunc intelligamus, his controversiis finem imponi non posse absque cognitione limitum, hortamur ac postulamus a vra. Illte., ut aliquos consiliarios suos mittat cum pleno mandato ad eosdem limites juxta veteres inscriptiones revidendos, et pro quo tempore id facere vellet, nos faciat certiores, cui postea nos significabimus, pro quo tempore nostros etiam consiliarios mittere possemus, aliter finem his differentiis imponi posse non putamus. Bene valeat etc. MDXVI.

XCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro in Prussia.

Illtris. princeps etc. Accepimus literas vre. Illtis., quibus nobis declarat, conventum nunciorum suorum cum nostris ad discernendos et metiendos fines inter terram nostram Samogitie et terram sui ordinis, et qualiter nunciis nostris nolentibus de ipsis finibus tractare aliter et constituere nisi juxta inscriptiones et privilegia antiqua federum et limitum descriptorum inter predictas communes terras nostras, suis autem nunciis testimoniis duntaxat subditorum suorum niti volentibus, rebus infectis sit utrimque discessum, petitque Illtas. vra. a nobis, ut id non culpa suorum nunciorum factum putemus, permitteremusque illam ea manutenere et defendere, que ab antiquo possedit. Meminimus, nos quidem id nunciis nostris in mandatis dedisse, ut in definiendis limitibus et differentiis inter ipsas terras nostras, inhererent literis antiquis tam federum quam finium, nam equius et justius est nobis visum, omnia juxta privilegia sigillis et juramentis roborata agere, quibus potissimum divina et humana universa firmantur et consistunt et quod inter alia omnia dominia et regna observatur, quam juxta viventium et presertim unius partis testimonia, proinde nostris justa ratione insistentibus culpam ascribere non possumus, cum nuncii vre. Illtis. suo arbitrio nitebantur, et ad conficiendas res nullum sufficiens mandatum ita uti nostri habuerunt, postulamusque ab illa, ut se et suos subditos intra fines suos contineat, nec ea, que antiquitus ad nos pertinent, usurpare velit, nam ut prius illi testati sepe sumus, nos neque aliena appetimus, nec illis, gratia Dei, indigemus, sed vicissim usurpari nostra ab aliis esset nobis non ferendum. Quod vero Illtas. vra. in eisdem literis suis et plerisque aliis commemorat, has differentias finium et aliarum rerum esse inter se et capitaneum Samogitie, non debet illi incognitum esse, terram Samogitie nostram esse et capitaneum subditum et officialem nostrum et proinde aliter existimare et persuadere sibi nolit, quam id quidquid agi contra illum deberet ratione finium et possessionis terre ac aliarum quarumcunque differentiarum, ad nos totum pertinere, cum nos sufficientes sumus, unicuique de bonis et subditis nostris justitiam ministrare, quod et nunc parati fuimus et commiseramus nunciis nostris facere. Cod. R.

Ceterum reddiderunt nos officiales nostri ex ipsa terra Samogitie certiores, quod invitis illis nonnulli homines vre. Illtis. exciderunt quedam robora ad malos navium in silvis nostris,

MDXVI. tris, nos quidem ad presens id causa ipsius Illtis. vre. remittimus, verum postulamus ab illa, ut id deinceps non fiat, nam et nostri injuria lacessiti temperare non possent, quin et vices referrent et silvas nostras opportuno modo tuerentur. Bene valeat etc.

C. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Capitaneo Camenecensi.

Cod. R. Generose dne. etc. Etsi non dubitem vram. Dtionem, intellexisse ex suis exploratoribus et literis domini palatini Kioviensis, universam Tartarorum ordam una cum suo imperatore relictis sedibus suis versus nos Boristenem trajecisse et non longe a finibus nostris hiemare velle; volui tamen, ut etiam Mtas. regia id vre. Dtioni. et aliis dominis suis literis significaret, quo eo diligentius curarent omnes et providerent, ne hostes tam vicini aliquod damnum inferre valeant in dominiis Mtis. sue. Et certe res hec est nova et seculo nostro inaudita, quod Tartari in locis tam propinquis nobis stationes suas haberent. — Quare opus est, ut omnes simus intenti et consulamus, ne nobis tanta hostium multitudo nocere posset.

Hic gratia Dei est pax ad presens, timemus tamen, ne gelatis fluminibus et paludibus hinc Tartari, illinc vero Mosci dominium hoc invadant, quod ne eveniat Mtas. regia est plurimum sollicita, indixitque generalem conventum hic pro die S. Catharine proximo, in quo cum his subditis suis vult deliberare, quomodo obviandum sit his et aliis periculis, que undequaque nobis impendent. Valeat etc.

CI. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni.

Cod. R. Rme. in Christo pater etc. Post dispendium, quod nuper Tartari preter spem in Russia perpetrarunt, timentes, ne quid aliud vel gravius ab eis committeretur, providimus iis remediis, que presentiora fieri potuerunt; misimus enim literas restium pro communi bellica expeditione, et stipendiarios ultra eos, qui dudum illuc conducti fuerunt, quadringentos addi fecimus. Nunc autem misit ad nos imperator ipsorum Tartarorum nuncium suum, per quem significat, se jam una cum proceribus suis juramentum pro inito nobiscum federe prestitisse, dolereque se de damno per filios suos in terris nostris facto, idque preter scientiam et voluntatem suam et quod in gratificationem nostram miserit grandem exercitum cum filio suo natu majore Bohatir-soltan in Moscoviam, qui, devastata longe et late ipsa terra, magnum in ea detrimentum fecit magnamque predam illinc abegit, et vellet iterum illic majorem exercitum mittere et castra oppugnare, dum, quid animi erga se haberemus, intelligeret, addens pro majore firmitudine federis nostri mutui, se filium suum una cum nunciis nostris, quos illic habemus, pro obside missurum, id quod et ipsi nuncii nostri literis suis sunt testati, denunciantes preterea nobis, magnam in ea orda esse penuriam, adeo ut nec legumina

legumina necessaria, nec gramina illic reperiri possint, quo fit, ut cogantur stationes suas, versus terras nostras proferre et citra Boristhenem apud Nigram silvam hiemare, nec dubium esse, quin interea ob inediam et vicinitatem erumpant levioribus insultibus in ipsas terras nostras, etiam cesare illos continere non valente. Proinde denunciata hac re capitaneo Camenecensi et Joanni Tworowski, ut ad periculum hoc intenti essent et exploratores juges haberent, significare id etiam Pti vre. et aliis consiliariis nostris voluimus, ut, cum presidia, que ad fines Russie conduximus, sufficere forte ad resistendum illis non poterunt, et terrestris expeditio durare per hiemem nequibit, consulant, qualiter huic ingruenti discrimini sit obstandum, nam nos nollemus in aliquo negligentes videri, sed non minus facere quidquam quod esset contra commune decretum, quandoquidem exactiones publice statute sunt ad longiorem defensionem quam unius anni; sed eae et non eduntur a plerisque et tarde ad erarium publicum traduntur, quod valde moleste ferimus et vicem Reipublice dolemus. Nam nos ne unum quidem nummum ex ipsis exactionibus pro privato nostro usu hactenus recepimus nec recipere vellemus, opus autem est, si firma presidia locari in Russia deberent majori impendio, quam sit in conventu preterito perpensum. Nosque inconsulta vra. Pte. et aliis consiliariis nollemus aliter de dispensandis ipsarum exactionum pecuniis quidquam agere quam fuerit in conventu decretum. Perscribat itaque nobis suam sententiam, quidque nos in hoc eventu pro defensione Reipublice facere potissimum censet, an vid. ad omnem pecuniam, que de exactionibus proveniet, debeamus militem mercenarium conducere in quantum ipsa pecunia se extendat et illum per integram hiemem servare aut quid aliud consultius illi videbitur, ne Respublica in aliquod grave periculum incidat. — Debitum suum et nobis rem gratam factura. Que benevaleat. Dat Vilne die dom. prox. ante f. Nativit. virg. Marie. MDXVI.

CII. Sigismundus, Rex Polonie, Summo Pontifici.

Sanctissime in Christo pater et dne., dne. clementissime. Post debitam fidei et observantie mee commendationem ac oscula pedum beatorum. Non incognita est vre. Scti. et fere toti orbi causa mea et regni mei cum ordine Cruciferorum in Prussia et qualiter ille non modo contumaciter se gerat in his, que mihi et regno meo prestare debet, sed insuper cum Schismaticis adversum me conspirando, multifarias mihi difficultates et motus excitat, quam injuriam licet jam dudum et facile potuerim in eo vindicare stringereque illum ad id, quod mihi jure debet, tamen abhorrens a cede et profusione sanguinis christiani, que jam superioribus annis multa est illic in Prussia commissa, perpessus sum usque huc et tuli equo animo ejusdem ordinis iniqua de me merita, sustinens continua bella et impetum Infidelium et Schismaticorum, quo ille non contentus molitur, ut sentio, actionem quandam adversus me istic in curia Romana apud vram. Sctem.. Que res in modernis meis bellicis occupationibus ceu bellum aliud ex adverso non ferenda, opusque esset intermisso cum Infidelibus et Schismaticis quoquo modo negotio, ei rei cum magna status christiani perturbatione insistere. Cod. R.

MDXVI. insistere. — Quare supplico vre. Scti. ut si quid tale ipsi Cruciferi niterentur apud illum adversum me agere, id facere non permittat, ne mihi ac regno meo geminam et omnino non ferendam difficultatem exhiberet, prout in ea re latius aget reverendissimus dnus. Cardinalis Bononiensis, regni nostri protector, et iste venerabilis Stanislaus Goreczki, custos Plocensis et secretarius noster, cui vestra Sctas. fidem et benignas aures adhibere dignetur. Cujus clementie et tuitioni me et regnum meum humiliter commendo. Dat. Vilne d. VII Novembris.

CIII. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Palat. et Capit. Crac., Cancellario Regni.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Intelleximus abunde hec, que Stas. tua nobis et illi generosus Joannes Mrakschi scripsit, et grata est nobis plurimum hec sollicitudo tua de rebus nostris.

De nuncio, quem mittere deberemus ad conventum in Moraviam, non videtur nobis faciendum. Cum enim ad Bohemiam non misimus opus non videtur in Moraviam mittere vel scribere; etiam ex die conventus ipsius designata videtur res serior esse facta. Verum quando huc oratores ex Bohemia venient, quidquid ex eis intelligemus opus esse facto ad rem tutele tam in Moravia quam alibi, nihil facere negligemus. Expectamus vero ipsos oratores grato animo et non minus cesaree Mtis., erga quam nos omni fide et affectione volumus semper conservare et ea omnia facere, que ejus Mti. placere intelligemus.

Quod autem nobis tua Stas. scribit, esse istic in regno quosdam motus et conspirationes adversum nos ob hoc damnum, quod est per Tartaros illatum, id quidem nos nihil sollicitat, cum per nos nihil stetit, quod fieri potuit ad defensionem Reipublice, nihilque egimus inconsulta Ste. tua et aliis consiliariis nobiscum Sandomirie existentibus, et quod illis visum fuit faciendum, nihil pretermisimus. Etiam quid subditi nostri in nos moliri deberent, non videmus, futurumque est brevi, quod clare apparebit, cujus culpa hoc dispendium sit factum.

De natis nostris charissimis, quando circum Cracoviam pestis serpere incipit, nescimus quo alio transferri deberent, nisi in Radom. Itaque Stas. tua perquiri faciat, si ibi sit aura salubris. Nam si in Niepolomice secure manere non possent ipse nate nostre, traduci eas illuc faceremus. Valeat.

CIV. Mathias Drzewiczki, Eps. Cujaviensis, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Sacratissime rex et dne., domine clementissime et gratiosissime. Orationibus et fidelibus servitiis commendatis. Dum heri cum terre Prussie optimatibus de decimis solvendis haberem tractatus, reddite sunt mihi litere vre. s. Mtis. expectatissime cum quia vram. s. Mtem. incolumem,

incolumem, Deo favente, testate sunt, tum quia indicarunt, eandem animum inclinasse in contrahendi matrimonii intentionem. Utrumque enim mihi jucundissimum est, et Deo omnipotenti gratias egi, quod tandem meam expectationem resolvere dignatus est. Nihil enim mihi et cuilibet fideli vre. Mtis. servitori optatius est, quam ejusdem statum incolumem audire, nihilque desiderabilius, quam id, ut ipsa imaginis sue virtutis regno de se bene merito heredem relinquat. Igitur non modo consulo verum etiam plurimum supplex obsecro: ut vra. Mtas. quanto maturius ad contrahendum matrimonium acceleret. Nam cum expectatione diuturna etas labitur. Quod vero s. cesarea Mtas. vre. Mti. duas anteponat virgines, ut unam earundem sibi in consortem deligat, procul dubio ex integerrimo erga vram. Mtem. amore hoc facit. Scripsi namque vre. Mti. alias, me cognovisse, illius Mtem. plus quam integre vram. Mtem. amare et modum querere, ut ipsam sibi alliget et obliget. Modus autem hic honestissimus est et regno suo utilissimus. MDXVI.

De Illri. principe Bona, que sit aut cujus conditionis nescio, dotis tamen plenitudo ipsam insignem facit; sed de principe Leonora laudatissimam famam a plerisque magne conditionis viris audivi. Nam et virtus et forma in eadem eximie laudantur. Preterea ipsius imperatoris neptis est et preter omnes, ut mihi persuasum est, carissima. Eidem duo germani sunt, principes potentissimi, quorum alter charissimi regis filiam et alter neptem vre. Mtis. Sermi moderni regis Hungarie sororem sibi in matrimonium desponsavit. Est etiam eidem soror germana consors s. regis Danie. Sunt preterea tot alii principes magne estimationis sanguine juncti. Sic igitur futurum erit, ut vra. Mtas. cum primoribus christiane reipublice principibus contrahet sempiternam amicitiam feliciter. Hec autem recensui non ob eam rem, quod vram. Mtem. istud cognovisse melius nesciam, sed ut currenti calcar adhibeam. Nec hoc parvi momenti est, quod ces. Mtas. suum erga vram. Mtem. integerrimum affectum declarans optionem deligendi proponat et easdem virgines ad locum propinquiorem deducere intendat. Tametsi vram. Mtem. scio in omni sua actione esse prudentissimam, in hac quoque, Deo opt. max. suggerente, sapientiam non defuturam, tamen judicio meo hoc consilium esset amplectendum, ut vra. Mtas. cum cesare conveniat et virgines conspiciat, atque sub uno et eodem contextu Sermi. regis Ludovici statui prospiciat et tunc procul dubio presenti aspectu, quod dotes omnes superabit, utriusque habitum ad producendam prolem considerabit. Nam hec omnibus desideratissima expectatio est, ut vra. Mtas. dominum et heredem regno tradat, ut hoc genus omnibus amabile per stemmata perpetuo pie regnans permaneat. Fortassis sumptus magnitudo vram. Mtem. deterrebit a conventu cum cesare, sed idem Deus, qui in cunctis providet vre. Mti., et sumptum preparabit, et nos fideles servitores et subditi in tam desideratissimum opus subministrabimus subsidium, et veluti mecum mente revolvens conjicere possum, multo minori sumptu hec res extra domum quam domi absolvetur. Tota enim impensa donariorum et ad nuptias invitandorum retorqueretur in cesarem, restaret duntaxat ea turba, que conductum faceret vre. Mti., expedienda. At cum vra. Mte., favente Deo, convenientes super reliquo consultabimus. Auspicata igitur fronte in nomine domini nostri Jesu Christi vra. Mtas. aggrediatur hoc negotium, ut tanto celerius confici possit. Interea vero etiam consultabimus, quomodo cum perfidis hostibus agendum sit sive qualis modus defensionis constituendus. —

Sed

MDXVI. Sed vereor, quod vra. Mtas. istinc non prius poterit movere pedem, quam aliquid aut de pace aut de treugis constituat de Mosco.

Hic fama est, quod oratores cesaree Mtis. venirent ad componendam eam pacem inter vram. Mtem. et eum hostem temerarium, et ideo vra. Mtas. vix poterit ad celebrandum conventum in regnum venire ante Carnisprivium; dare tamen operam deberet, ut se istinc maturius absolveret et in regnum veniret.

Deus vram. Mtem. per omnia incolumem felicemque faciat et servet semper, cujus gratie me et fidem meam commendo. Datum Derssovie IV Novembris.

CV. Sigismundus, Rex Polonie, Friderico, Duci Legnicensi.

Cod. R. Illtris. princeps et dne., affinis noster charissime. Incredibili dolore nos affecit obitus charissime sororis nostre, conjugis vestre Illtis., quia vita ipsius fuit nobis pro eo ut debuit multum jucunda, tum etiam quod nondum sanato bino animi nostri vulnere, quod non pridem ex defunctione aliorum charorum nostrorum accepimus, id aliud non postremum successerit; quando tamen divine voluntati placuit eam ad se advocare, cui adversari nec potis est nec licet, ferimus et hoc dispendium solatii nostri equo animo, et quod magis in rem illius esse intelligimus, committimus illi per omnes ecclesias et monasteria regni et dominiorum nostrorum debita justa persolvi, vra. etiam Illtas. ut prudens princeps itidem facere velit ferendo hunc casum eo animo, quo et oportet et ejus conditionem decet, quandoquidem ea jactura jam nullo luctu vel dolore potest recuperari. Bene valeat etc.

CVI. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Friderico, Duci Legnicensi.

Cod. R. Illme. princeps et dne., dne. honorandissime. Non dubito vram. Illtem. in maximo dolore esse constitutam immatura et intempestiva morte Illme. olim dne. conjugis sue, cujus singularis virtus et probitas cum mihi abunde cognita fuit, facile mihi persuadeo, vestram Illtem. hanc jacturam eo gravius ferre, quo magnam ex illa capere debuit voluptatem et consolationem, tamen meminisse dignetur vra. Illtas. humane conditionis, ut tantillum vite, quod nobis concessum est, id oporteat ex prescripto Dei immortalis non nostre traducere, cujus arbitrio et potestate itidem ut folium, quod a vento rapitur, omnes agitamur, et proinde, quod prudentem decet principem, moderetur merorem suum, nec se afflictet, sed potius id curet, quod et illius Illtis. anime et sue dignitati expedire videtur. Commendo me et mea propensa obsequia vre. Illti. etc.

CVII. PETRUS

CVII. Responsum Nunciis Illtris. Friderici, D. Legnicensis a Rege Sigismundo datum.

Memoria retinet s. Mtas. regia qualiter cum Illtri. dno. Friderico, duce Legnicensi, de dote Illme. olim dne. Elisabethe, sororis sue desideratissime, illi danda convenerat idque more et consuetudine regni sui, uti ejus Mti. congruebat, que alienis moribus non est astricta. MDXVI. Cod. R.

Sique dicta Illma. olim dna. dux Elisabeth, vel ejus proles superstes esset, Mtas. sua alacri et minime gravato animo totum id adimpleret et solveret, quod erat cum eodem Illtri. dno. duce Friderico conventum et constitutum. Verum cum ejus Illtas. una cum prole sua sublata sit ab humanis et dotes dantur propter onera matrimonii ferenda, non videtur Mti. sue regie et universis dominis consiliariis suis, ut secundum consuetudinem regni sui et meram justitiam id reliquum dotis dandum teneretur, quin etiam id, quod datum est, merito et legitime ad suam redire Mtem. debere censet.

Meminit preterea Mtas. sua Serma., quam amplum et pretiosum mundum et suppellectilem in auro, argento, gemmis, margaritis et vestibus pretiosis secum Illma. soror sua ad eundem dominum ducem maritum suum asportaverit, neque ignorat, illam eundem mundum et suppellectilem suam etiam de more et jure Maydemburgense et ducatus Slesie alienare a propinquis testamento non potuisse; sed et ipse dnus. dux Fridericus circa donationem propter nuptias consentire nullo modo voluit, ut illius Illtas. aliquid pro arbitrio suo testari debuisset. Quare eundem mundum et suppellectilem non dubitat Mtas. sua pleno jure ad se pertinere, de qua repetunda sciet Mtas. sua qualem se erga dnum. ducem gerere debebit. —

De censu vero, quem illius defuncta Illtas. in salinis Mtis. sue habuit, quia proventus iste salinarum est mere erarii publici regni sui, nullo modo domini consiliarii et provinciales regni Mtis. sue censuerunt, ut Mtas. sua illum ad externos usus convertendum admitteret.

Quod reliquum est, Mtas. sua Serma. eodem loco et existimatione habere dignatur Illtrem. dnum. ducem vestrum, quo superstite sorore sua charissima illum merito habere debuisset, quandoquidem ejus Illtas. accepta deinde in matrimonium Illma. dna. nepte Mtis. sue eam affinitatem non modo non amisit, sed etiam congeminavit; polliceturque ejus Mtas. illius Illtem. omni favore, ope et benivolentia sua regia tanquam affinem suum charissimum semper complecti et fovere, cui et firmam valetudinem et optimos quosque successus favet et ex animo videre semper exoptat.

CVIII. Petrus Tomiczki, Epus. Prem., Vicecancellarius, Luce de Gorka, Castell. Posn., Capit. Majoris Polonie generali.

Mgce. dne. etc. — Objecit hic Zakrzewski jam pridem nostro Zamboczki heresim, ignobilitatem et furtum, cumque res diu tractata et prorogata fuisset, ad hoc tandem est ventum, quod Zamboczki provocavit illum ad duellum, et honorem suum defendere se velle obtu- Cod. R.

 lit,

MDXVI. lit, ad quod Mtas. regia consensit. — Qua propter Zamboczki querit suffragia et auxilium apud dominos, et non dubito, quin etiam et vre. Mgcie. imploraturus sit patrocinium. Cum autem sit homo, quo ego valde familiariter utar, rogo vram. Mgciam. plurimum: velit illum favore suo prosequi, nam certe culpatur preter omnem culpam suam, et allevare consilio et clementia sua; cum enim devenit ad hunc casum improba lingua illius rabule, equum est, ut vestra Mgcia. eum non deserat, cujus gratie me commendo et quam valere felicissime desidero. Vilne.

CIX. Sigismundus, Rex Polonie, Achilii de Grassis, Cardinali Protectori.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rme. Quemadmodum sctmus. dnus. noster dignatus est nuper regno et dominiis nostris gratiam jubilei concedere, quo perpetuas excubias assiduamque contra Infideles militiam aliqua ex parte juvaret, licet hanc Sctis. sue beneficentiam non parvi muneris loco accepimus, quia tamen inde propter concessas multis aliis ejusmodi gratias in regno nostro exiguum, vel pene nullum nobis provenit emolumentum, rogamus vram. rmam. Dtionem.: agere velit apud ejus Sctem., ut tales gratias in regno et dominiis nostris cuicunque cencessas, interim quo hic jubileus noster durabit, suspendat, committatque omnibus dnis. episcopis eorumque vicariis in regno et dominiis nostris, ne aliquam alteram ejusmodi gratiam suscipiant et exequi permittant. Deinde quia in executione ejusdem jubilei solent plerumque non pauca dubia emergere, etiam rogamus vram. rmam. Dtionem.: ut quam clarissime fieri possit omnia fratribus minoribus de observantia, quibus executio incumbet, per ejus Sanctitatem declararentur. Faciet nobis rma. Dtio. vra. rem multo gratissimam, quam illi vicissim omni gratificatione nostra referre studebimus et cujus bone amicitie et favori nos commendamus.*

CX. Adamus Gadius, medicus Italus, Erasmo Ciolek, Epo. Plocensi.

Cod. R. Quid sit amor et quotuplex, undeque scaturiat, seu majus dixerim suam primam trahat originem, poëtarum complures nec pauciores philosophi diversa sentientes magnopere dubitarunt, rme. presul ac mi domine observandissime. Non de eo loquor amore turpi et inhonesto, quem Cupidinem, Veneris filium, tradunt et quo se urunt amantes dulci quodam furoris incendio, neque de divino illo igne, quem Christus, humani generis redemptor, in terram misit accenditque et vult, ut ardeat in eternum: hunc enim sacer theologorum cetus charitatem appellat, quo Deum super omnia et proximum veluti se ipsum diligere tenetur, quisquis in salvandorum numerum aggregari cupit. Nec de illo vulgari et improbo amoris genere hic velim intelligas, quo curiales eorum dominos peramare videntur ardua queque tolerantes, ut aliquando, quod optant, ecclesiasticum beneficium sive aliud quodpiam consequantur: sic caseum mures, sic et vilissimum animantium muscarum genus mel, ut id

id comedant et eo se repleant insequuntur; sed de illa benivolentia, qua Lelium Scipionem et plerosque alios se invicem amasse legimus intendo, qui nullo fine turpitudinis aut utilitatis, sed mera sese ea amicitia dilexerunt, quam sola virtus inclita gignit, alit et unit, hoc est illud sincerum amoris genus suave, rarum tamen, sed integerrimum, quo te vel invisum et absentem quasi cognitum et presentem diligere, et ut rectius dixerim, amare, colere et observare, non dicam impellar, quod nolentis est proprium, sed alliciar et quam libentissime faciam. At quid sit in causa foristan requiris, et unde hic amor traxerit exordium scire desideras, paucis accipe. MDXVI.

Dum per urbem Cracoviam uti assolet animi parumper relaxandi causa vagarer edesque ipsas insigniores suspicerem in plateam canonicorum veniens, magnificentissimum vidi palatium sapientissime constructum foribus fenestrisque pulcerrimis ornatum, quod pace aliorum dixerim non solum amplitudine, verum etiam mira quadam fabrice gratia sic reliqua palatia superat et excellit, quantum viburna cupressi. Cujusnam esset tale omni preconio dignissimum opus, et sculpte litere et alii mihi pariter declararunt, quibus dixi: utinam hujus similes essent ceteri prelati et ecclesie bona ad utilia et in exemplum omnibus imitandum exponerent.

Paucos post dies aliquos non a casu sed deo ita volente, cujus nutu cuncta gubernantur, ad manus meas liber quidam cujusdam magistri Leonardi vitreatoris pervenit, in quo complures nobilium et prelatorum geniture suis cum figuris astronomicis erant inscripte, inter quas tue quoque Dtionis. nativitas sese mihi obtulit, qua per me diligenter exscripta diligentiusque considerata, te intus et in cute novi, et quod prius de singulari virtute tua mente conceperam, per ejusmodi faciem plenius agnovi, et illico magis atque magis observare te didici. Accessit ad hec, quod cum doctor Garsias Cracoviam rediisset, quem dudum non videram, dixit: se apud tuam rmam. Dtionem. fuisse, de cujus laudibus tot ac tanta adduxit in medium, ut jam me tibi obsequentissimum servulum reddiderit.

Cum autem, ut scribit Paulus, fidelem suo domino servitorem esse deceat et opporteat, pro mea erga tuam rmam. Dtionem. observantia et sincera fide cepi maturius geniture figuram attendere et illam cum figura nativitatis moderni pontificis comparare, et quantum licuit ex presentia Jovis in sagittario proprio domicilio cum capite Draconis in prima constituti et aliis denique non paucis et bene conferendis testimoniis elicere: si tua Dtio. se in Urbem conferret seque dispositam redderet, posset adhuc et facile ad altioris dignitatis gradum ascendere. Nam fortune pars celebratioris opinionis in eodem sagittarii signo pontificis horoscopo, in quo ut supra et Jupiter ipse constituitur dona grandia a pontifice aut ejus medio pollicentur. De quo cum doctore Garsia, uti fidissimo secretario Dtionis. rme. tue, verbum feci, qui mihi respondit: te ejusdem esse propositi, quandoquidem et ab aliis identidem intellexeris. Cui dixi: tempus esset; quia, ut ille dixit, semper nocuit differre paratis. Cur autem non sit adhuc expectandum, sed potius, ut illi dictum est: Eia age, rumpe moras etc. non audeo neque debeo literis committere. Hoc tantum ex benivolentissimo meo erga te animo in presentiarum admonuisse sufficiat, ut si tibi ipsi consulis ac rebus tuis, ante festum Sanctorum omnium proxime futurum Poloniam exeas et in Urbem gressus dirigas. Quod si feceris, ut spero et opto, meum tibi non erit inutile consilium:

MDXVI. lium: quod etiam si forte neglexeris et procrastinando longiores expectabis inducias, vereor nimis, immo certus sum, quod me non audisse te penitebit. Liber homo sum soli deo subjectus, propterea libere loquor et quod sentio amicis, et his presertim charissimis liberius explano, frequenter tamen non audior quasi altera Cassandra, de qua Maro testatur, quod incassum Trojanorum predixit excidium.

Sepe etenim evenit, ut quod nobis displicet posse nobis contingere minime persuadeamus, immo, quod detestabilius est, mos est dominorum, ut nec id audire velint, cum tamen nil veritate gratius esset habendum. Et ob id si quispiam longius prospexerit et imminens aliquod periculum viderit: ne domini sui indignationem incurrat silentio preterit, et cum ceteris ut gratius habeatur, assentitur blanditurque dicens: vulgatum est et antiquum proverbium: *obsequium amicos, veritas odium parit.* De quorum numero nec sum, nec fui, nec unquam ero. Discant simulare, qui cupiunt per nefas regnare; mihi vero id sufficiat, quod per prophetam consulit altissimus: *scuto te circumdabit veritas ejus.*

Hec pauca cum pro mea fideli observantia, tum pro tue reverendissime Dominationis salute scripsisse volui. Quam longevam in annos, ut ajunt, Nestoreos et valere felicem opto quam maxime. Ex Cracovia.

CXI. Lysth Machmetgireia Czara do Zigmunta Krola.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Bratu nasszemu Wielkyemu Krolowi Zigmuntowi poklon y braterska prziasn y slowo nasse to yest. Isz poslali do nass Poslancza swego Lawasz Chaffyza y znassim Poslanczem Dzyąn Murzą pod pieczęczią z listem brata nassego myssmy wyrozumialy z listu wass brata nassego: ze wy brat nass do panstwa Litewskiego do miasta Wilenskiego prziechaly, y o zdrowiu slyszacz wass brata nassego zadowalissim ssye. I smiercz Krolowey oznajmily, isz ktore ssye na ten swiat narodzili dzieczi Adamowe dla podejmowania smierczy i to ssye nass juz nyedoticze, bo to yest na woley Bozey. — Aby wy brat nass byl zdrow a isz za przodka niebosczika oicza nasszego ktore dokonczenya y braterska prziasn miedzy nami byla. I ya pomagącz na thosz dokonczenye chcząscz z wami bratem nassym takowess dokonczenye myecz.*

Ponowienie prziazni wedle przodków. *I poslalismy wielkiego Posla nassego na ymyę Baszlik Murzę y Czabuk Murzę, nassego y wassego dobrego prziaciela, Augustina Gareya, Gerab, dobrich slug naszich z przisięgą y dokonczenyem prziacielowi prziacielem a nyeprziacielowi nyeprziacielem bycz wyarą y prawdą dzyerzącz y dla braterskyei prziasni poslalismy byli nyeboszczika Czarowicza Selaleddyna dla pewney prziasny przeszley zymy. — My sami w glowach z bracząą naszą y z Czarewiczami synmy nassymy y z Vlanami, Kniazmy, Mursamy nassymy y z welikim woyskem nassym y Panstwo nyeprziacziela nassego W. Kniaza Moskiewskiego zwoyowaly y wyelye szkod poczynily, yako y wam yawno bratu nassemu.*

Spolny nieprziaciel obiema Panstwom *A yesliby byl nyeprziaczielem wam, bratu nassemu, to wlasnym nam yest nyeprziaczielem, y kaszdemu prziaczielowi wassemu będziem prziaczielem y przeczinko nyeprziacziolom bedziem*

dziem nyeprziaczielmy. I polyecziwssi ssye milosczhwemu Bogv kaszdemu nyeprziaczielowi nyeprziasn oddawacz. A isz przaciel yest wy brat nass y przed tym wy brat nass przislaliscie list swoy przess Poslancza swego Murtazę tlumacza y z nassym Poslanczem, ktori byl poslan z radosczyą z woiska. I my przess then list nass byli oznaimily: ze Moskiewski Posel do nass idzye, ze yescze nieprziachal. A gdy prziedzie do nass y sczym będzie y o czo nass będzie ządal, to wsitko poselstwo yego dla prziazney braterskyey. I mozeczie nasse prziasn dobrze vznac, ze tho poselstwo do was odpissuyem. MDXVI.

I ten posel nam powiedzial, y nass ząda i powiada: ze Zygmunt krol z wielkim woyskyem na Panstwo nasse cziągnie zapewne. — I powiada Kniaz Wyelky, ze chcze tobye bycz powolnym slugą, tylko poyednay ssye znamy y pomozy nam, y day nąm czo woyska swego y ktorego syna swego woyowacz Panstwo krolewskie. I wyele tobye krol vpominkow daye, my wąm we dwoy nassob dąmyi. Czar przekłada przi-asn z królem

Iss takowe rzeczy do nas w poselstwie przislal. My Czar brat wass, gnyew swoy nad poslem Moskiewskim na imye Iwanem dwa albo trzy dni w pętach dzierzal. I poki od wass, brata nassego odkaz nyehodzye, tego posla Moskiewskiego bedzyemy dzierzecz.

I poslalissmy do was, brata nassego, Poslancza swego Nikososta, y znym tlumacza wassego na ymye Lawisz Chaffyza z prziasnią braterską, zdokonczenyem y przissięgą nassą y niemieskayąc, byscye wielkiego Posla nieboscziká oyca nassego slawney pamyeczy, do nass byscye odpusczyly. I terazneisse nasse posly nyemieskayącz takze do nass odprawily. I wy brat nass swego wielkiego Posla ze wssitkim dobrym do nas brata swego. I ktore vpominki kazdego roku stym poslem nicz niemieskayącz do nass przislaly. — I czo do nass przess tego Posla wskazeczie y wyrozumyawszy my z pisanya wassego, themu Moskiewskyemu Poslowi abysmy odkazaly y pretkoby posly nasse aby byli odprawyeny, aby dnya XXV Maya aby v nass byly, bo tego pilna nass potrzeba. — A iesli na then czass nyebędą y choczia przładą do Kiiowa abo do Cirkass w skok aby do nass przess czlowyeka nassego y wassego daly o sobye znacz. A jesli nąm na then czass znacz nyedaczye, tedy my tego Posla Moskiewskiego odpusczymy y my do wass brata nassego Posla nicz niemyeszkaiąc odpusczym. Vpominki

A isz wy, brat nass, Poslow nassych dwa roky u syebye dzyerzely y do nass nyeodpusczyly, za tho nyecosesmy wdzyeczny y Vlani, Knaziowie, Mursowye thego wdzieczny nyeprzimuyą, ze omyeszkamy isz ssye ludzie obozną y do znyw tego Posla Moskiewskiego nieodprawym poki poslaniec nass Nikosost y wass poslaniec Lewasz Chaffysz w richle y wsitki posly nasse y swego posla knym przeslawiwssy y the vpomynky do nass wrychle nyeodprawiczie. Toss my wąm bratv nassemu przed tym Poslem wassym twardą przissięgą y dokonczenye vczynim. — A przissięgę vczinywszy będziem na potrzebę wam, bratu nassemu, jeden drugiemu pomagacz, będziem przïacielom przïasn pokazowacz a nyeprziaczielom będziem nyeprziasn oddawacz yedno aby myedzy nami braterska milosсz byla. Pomocz

A isz piszyecie wy brat nass w lisczie swym: ze kozaczy Biallogrodzczy wassym vkraynym zamkom y Syola woyowaly y skodę vczynyly, plyon pobraly abyssmy ten plyon zabrawssy, do wass brata nassego pusczyly, a chociasz kozaczy Biallogrodzczy y ktorzy z nymy Panstwu wassemu szkodę vczinyly, a chociass tess y nassy ludzie, ktorzy do nas przynaleząą, czy ssą nassy y wassy nyeprziaciele. I my brat wass takowich poymawssy bedziem karacz y zywicz ych nyebedziem. Od Biallogrodzkich obrona.

 Alecz

MDXVI. *Alecz ony do Przekopu niejadą z tym plyonem, boyącz ssyę nass, y slissymy ze do Biallogroda yachaly. A wsak wyeczie ze Biallogrod nye nass, przetho nyemozem od nich tego plyonu odyącz. Prawda yesth, ze z laski Bozey na miescu oyca swego nowo zostal, przetom ssye yescze nyeobaczyl, alye gdy dali Bog daley będziem zdrowy, nyetelko Kozakow Biallogrodzkich ale y inssymi nyeprziacziolmi nassymy za pomocą Bozą bedziem czynicz.*

Przestroga. *I teras nass Alyk Czarowicz zly vczynek vczyniwssy od nass vczíekl y do kozakow Biallogrodzkich przistal, y jego sobye starssym obraly; aby wassym Panstwom czego zlego nyevczynil zamkom, miastom y wsiom wassym, aby w ostroznosczi byli. — Bo on yest y wąm y nąm nyeprziacielem. A dla prziasnyei braterskyey o nym wąm przess pisownie oznaymuyem. I wąm, bratv nassemu, ze then zly czlowyek yakoby kolwyek lgal y nass by w nyeprziasn zawodzyl, wy brat nass prziasn braterską, abyscie przecze znamy dzierzely y thakowym lgarzom nyewyerzyly y do nas Lewasz Chaffisza przislaly, y tego zlego czlowyeka bysczie nyesluchaly, y slowom yego nye wyerzyly. My mamy wedle pierwssego dokonczenya braterską prziasn dzyerzecz, prziaczielowi prziasn popelniacz a nyeprziacielowi nyeprziasnią oddawacz. A ktoryby nyeprzyjaciel nass possedssi do was zle rzeczy powiedzial: wibisczie dla nass brata swego przed Poslami nassymi abyscie skaraly. — A iesli wy ich skaracz niezechczeczye, mi go skarzemy: zeby myedzy nami takowy zly ludzie nass w nyeprziasn nyezawodzily. Aby wprzod braczka*

Vpominek lekki od Czara. *prziasn y myloscz mnozilassye. Przeto poslalissmy do wass, brata nassego, tego Lawisz Chaffisza nicz nyeomieszkaiącz z swym poslancem Nikosostą z lekkym vpomynkyem a z wielkim poklonem nassym zdrowye wasse nawiedzaiąc y o swym zdrowiu powyadaiąc. A gdy da pan Bog then Poslanyecz nass do wass brata nassego przíedzie, tedy nicz nyeomieszkaiącz Posly nasse y swego Posla knym przistawiwszy, y ztymi vpominki nicz nieomieszkayącz abisczie przislali: inaczij abisczie nie czinily.*

A gdy ludzie nassi miedzy nami niemieszkaiącz będą chodzicz a milosc braterska miedzy nami

Poslowie *bedzie i samy o them mozeczie wiedziecz: abiscie wy, brat nass, dali do nass znacz, gdy Poslowie do nass poiadą przed Poslami dwa czlowjeka abyscie poslali, abyssmi tess wiedzieli i przeciwko Poslom poslali i nieprziacielowi abyssmi za jedno byli.*

A vstne mowienie przess Poslancza nassego Nikosostą i przess tlumacza Lawisz Chaffisza wskazaliszcie dla prziasny braterskiey. A czo oni będą mowicz tho ssą slowa nasse. — I dalissmi then list nasz pod pieczięczą nassą po smierczi Machometa Proroka DCCCCXXII. roku, od narodzenia Chrystussa r. MDXVI.

CXI. *b.* Literae Rev. domini Mathiae Drzewiczki, Epi. Vladislavien. Legatio ad incolas Pomeranie.

Ex Vladislavia XI Maji.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Salutacione congruenti premissa tam prelatis quam baronibus, nostro nomine dicendum: Nostram esse intencionem, ut omnem amiciciam benivolentiamque erga uos non modo conseruaremus, sed eciam quibuslibet decentibus offitijs faveremus, et presertim ut nos redderemus nostris in spiritualibus*

spiritualibus subditis patrem amabilem, eosdemque itaque paterna caritate et humanitate prosequi constituimus. MDXVI.

Dicetis: Posteaquam deo favente in Episcopum Vladislaviensis ecclesie et diocesis designati et constituti essemus, jura ecclesie nostre pro nostro debito manuteneri quantum esset possibile decreuimus, nosque comperisse ecclesiam nostram enormiter in hoc esse lesam, quod nobis decime in terra Pomeranie nec debite neque ab omnibus contra jus diuinum et positiuum, atque contra priuilegia ecclesie nostre soluuntur.

Dicetis: Nos comperisse in primo aduentu nostro in Episcopatum omnes illos Pomeranie incolas, qui decimas non soluerunt, censuris ecclesiasticis innodatos esse, quas vero censuras nos sicuti expediebat et jure dictante equum erat, nos roborasse.

Dicetis: Eosdem incolas Pomeranie animo indurato, dei timore abjecto, censuras ecclesiasticas in dampnum animarum suarum tolerasse neque curauisse eam mortalitatem, qua deus populum suum affligebat. Quia tamen peticio quorundam interuenit, et subinde etiām postulacio sacre Mtis. regie, nos sustulisse eas censuras usque ad nostrum reditum felicem in diocesim nostram, sub reincidentia, vbi compositio tam de retentis quam de futuris non fieret, quod autem ejusmodi sublatio petita sit ab eorum quibusdam, literas istud testificantes indicabitis.

Item dicetis: Nos decreuisse innouare velle censuras modo premisso sublatas, ex quo hactenus nemo comparuit, qui componere vellet; sed iterum s. Mtem. regiam nos admonuisse literis: ut adhuc aliquamdiu expectaremus. Ut autem credatur: nos esse a sua regia Mte. monitos, literas sue Mtis. ad nos scriptas legendas ipsis offeretis. Et alias literas a Mte. regia communiter ad omnes ipsos scriptas, si ita faciendum censuerint oratores regii, tradatis, dicatisque: nos parendo Mtis. regie admonicioni et precepto, abstinuisse.

Tum eciam eorundem conditioni miserti, ne illo tempore periculoso decederent censuris ligati absque sacramentis ecclesie, censuras sustuleramus modo premisso et ab innouandis adhuc nos continemus.

Quoniam vero benivolentiam et caritatem in omnes exercere cupiamus ad eorum Dtiones., qui ad eum conventum conuenissent, rem hanc deferendam putamus, ut eorum Dtiones. cognoscant, nos nihil cupere iniquum nihilque alienum, sed id quod proprium ac debitum ecclesie nostre est.

Rogare autem eorum Dtiones.: ut tante injurie, qua ecclesia nostra et nos quoque offendimur, componantur et adjuuetur, ut hoc, quod ex equo et bono ecclesie et nobis debetur, nobis benivolenter tribuatur deinceps, et super retentis ut nobis satisfactio impendatur, ne nobis opus sit, nostrum jus prosequi et Mtis. regie invocare tanquam protectoris ecclesie mee autoritatem.

Replicabitur fortassis ab eis:

Se non debere nec teneri ad decimas solvendas, quia ab eorum antecessoribus solute non essent.

Responderi potest: Quod etiamsi nunquam antea soluere obligati fuissent, nunc obligarentur ex multis causis, sed obligati sint, et privilegiis ecclesie id ipsum doceri potest et eciam hoc documento, quod maior pars soluat, immo omnes eosdem teneri ad decimas manipulatas soluendas, sed ab Episcopis temperatum fuisse, dum tot et tam gravia bella in terris Prussie gererentur.

Poterit

MDXVI. *Poterit etiam allegari; quod et Magister seu ordo licet fuerit inuasor et occupator terrarum Pomeranie, decimam ex compositione cum Episcopis facta soluerit et a suis soluere precepit.*

Ipsos admonere: ut considerent Mtis. regie in hoc voluntatem, considerentque admonitionem et mandatum, presertim quod sua Mtas. et bona sua subjecerit ecclesie.

Universis et Singulis, Advocatis,
Scultetis atque Colonis ad Clauem bonorum nostrorum
Sopkouiensium pertinentibus, presentibus requirendis, fidelibus
nostris gratiam nostram et salutem in domino.

Noueritis omnes et singuli, quod hunc nobilem Stanislaum Smogorzewski in Vladarium clauis nostre Sopkouiensis, nobilem Stanislaum Sdzissowski remouentes, constituimus et instituimus; eidem omnem curam et administrationem eorundem bonorum ad nostram utilitatem atque omnium nostrorum subditorum committentes. Vobis itaque omnibus et singulis mandamus omnino habere volentes: quatenus eidem obedientes obsequentesque non secus ac nobis ipsis sitis. Eidem enim contulimus potestatem: omnes rebelles ac inobedientes penis et mulctis castigare et in omnes ea, que iusta sunt, exercere. Sic itaque omnes et singuli facturi pro gratia nostra. Datum d. XVI Maji.

Luce de Gorka, Palatino Posnaniensi.

Mgce. dne., amice carissime et honorande. Salutem in domino et felicitatem. — Ex literis factoris nostri ex Syedlecz accepimus, quomodo quidem terrigene vicini eorundem bonorum nostrorum et ecclesie nostre, sibi et bonis eisdem nostris, immouerius curie nostre, dum inobedientem scultetum puniret, violentiam et iniuriam intulerint ipsumque factorem verberarint et conseruum eius alterum enormiter vulnerarint. Scripsitque idem officialis noster, quod ad vram. Mgciam. ejusque offitium pro protectione confugerit, presertim quod iidem terrigene eo malefitio patrato non contenti, peiora se illaturos eidem et bonis meis comminarunt. Vestra autem Mgcia. veluti nobis de eadem nunquam dubium fuit, tum propter justiciam eundem nostrum factorem in protectionem accepit et pro eius securitate in castro Lanciciensi eidem mansionem et expensam generose dedit. — Quamobrem vre. Mgcie. regratiamur, et confidimus, quod vra. Mgcia. tante nostre iniurie componende nobis iusticiam ministrabit de eisdem terrigenis atque eosdem ita coërcebit, ne ipsi postea tam malo exemplo in officiales nostros et bona nostra seuire et crudelitates exercere valeant. Res certe molestissima nobis est, quod ipsi ausi sunt sine iusta causa tantam violentiam officiali nostro et bonis nostris facere. Tametsi nescimus, quid et quomodo actum est; tamen rogamus: ut vra. Mgcia. in hoc casu nos non deserat, quantum iustum esse putaverit. Et ob eam rem hunc nostrum familiarem istuc mittimus, ut cognoscat quid et quomodo seu ex qua causa hoc maleficium patratum est, ut cognito negotio in veritate, consilio et auxilio vre. Mgcie. eiusmodi malis eciam in posterum

terum occurrere possimus. Habemus enim confidentiam, quod vra. Mgcia. nos hac in re non deseret seque ut amicus auctoritate sua releuabit. Cui nos ob eam rem semper erimus obligati, sicuti semper fuimus. Eundem vero bene feliciterque valere desideramus. Datum XVIII Maji. MDXVI.

Vicecapitaneo Lanciciensi.

Generose dne. amice in Christo. Salutem in domino. Dum bone memorie genitor vester in humanis esset, semper nobis amiciciam exhibere, memor in se nostrorum beneficiorum, paratus fuit et exhibebat, nos autem rogamus, ut idem faciatis, nam id ipsum vobis omni humanitate ac benivolentia refundere poterimus. Et cum aliquis casus adversus officiales vel bona nostra a quocunque exoriretur vos rogamus: sitis bonus fautor et protector, et in hoc casu, qui nuper nostro officiali de Syedlecz accidit, ita consulatis, ut pro tam turpi violentia nobis condigne satisfiat, quodque tam insolentes ac presumptuosi homines castigentur, quibus cum nostro officiali iusticiam fecissemus perlibenter, vbi ad nos recurrissent, possemus fortassis et nos adversum eosdem violentam manum ponere et vim vi persolvere, sed faciemus, quod nos decet, sperantes, quod auctoritate mgci. dni. palatini et vestro consilio pro tam lugubri scelere nobis satisfiet. Et in quibus rebus vobis viceversa gratificari poterimus, libenter faciemus. Cetera is nuncius nomine nostro dicet.

Capitulo Lanciciensi.

Venerabiles dni. fratres in Christo carissimi. Salutem in dno. — Literas vras., fratrum nostrorum, commendationem hujus boni viri ad regimen scole nostre Lanciciensis continentes animo grato accepimus, consentiremusque libenter votis vestris, sed iam alteri viro bono et probato, qui in Walborsz scolam aliquamdiu direxit, contulimus eidemque superiori tempore literas commendaticias ad vos dedimus. Et credimus, quod idem vobis placebit, nam et in artibus et in cantu satis bene peritus est. Vos itaque tanquam fratres rogamus: velitis ita factum esse equo animo ferre. Nam quidquid ad decorem ecclesie et in complacentiam vram. a nobis prestari unquam poterit prestabitur. Deus autem omnipotens vos servet incolumes. Ex Vladislavia.

Stanislao Schanowski.

Generose dne., amice in Christo carissime. Salutem in dno. ac felicitatem. Habemus vobis gratias, quod rebus nostris istic prospiciatis et non permittatis, ut in observandis terminis quicpiam in dampnum nostrum et bonorum nostrorum negligatur. Et rogamus, ut et deinceps ita faciatis, referemus enim vobis gratiam omni benivolentia et liberalitate et cum bonis vicinis bene componemus et paci optate inter nos consulemus. Quod vero nobis a terrigenis istis violentia illata est in bonis ac servitoribus nostris, plurimum dolemus. Cogitabimus autem, ut mediante iusticia vindictam faciamus. Nam et ius iusticiaque satis est severa in violatores. Cum autem hoc tale facinus nobis innotuit, misimus servitorem nostrum et ad mgcum. dnum. palatinum et ad vos, ut prospiceretur tante nostre iniurie, credimusque nostrum servitorem iam apud vos esse. Quicquid tamen feceretis pro assecurando nostro servitore et bonis, ratum habebimus et confidimus,

 quod

MDXVI. *quod ita agetis, ut facinoris patratores sui facti penitere possit, quandoquidem nos istud parvi pendere neque volumus neque possumus. At quicquid pro securitate servitoris nostri feceretis, ratum habebimus. Et bene valeatis.*

Capitulo Premisliensi.

Venerabiles domini fratres in Christo carissimi. — Salutem in dno. Accepimus responsum a vobis super peticione nostra ad vos superiori tempore facta: ut videlicet consensum preberitis, quatenus venerabilis dnus. Stephanus Lochowski, confrater vester, cum venerabili dno. Ossniczki, notario nostro commutaret capellam seu preposituram in ecclesia parrochiali crossnensi iurispatronatus vestri pro alio certo beneficio, responsum siquidem a vobis nobis datum non omnino peticioni nostre repugnat et satis humanum esse videtur. Et ita merito esse debet. Nam quantum potuimus semper studuimus tam de ecclesia ista vestra, quam eciam de vobis bene mereri. In eadem intencione et deinceps permanemus. Freti itaque de vobis confidentia constanti audatia iterum a vobis petimus, ut consensum ejusmodi intuitu nostri prebeatis. Nam preter id, quod nobis rem gratam facietis, habebitis nos vobis obligatos et quicquid et ecclesie et vobis prestare commodi poterimus, id ipsum semper libenter faciemus. Vos autem omnes fratres nostros carissimos bene valere desideramus atque orationibus vris. nos recommendamus.

Sigismundo, Regi Polonie.

Sacratissime rex et dne., dne. gratiosissime. Orationes sedulas et servicia fidelia et promptissima semper vre. sacre Mti. commendamus. Dnus. Stanislaus de Cosczelyecz, Dobrzinensis capitaneus, fidelis servitor vre. Mtis., certum contractum cum fratre suo Venceslao, certas villas ab eodem et a generoso Petro de Sokolowo eliberans, ut capitaneatum Dobrzinensem in multas particulas sparsum reintegrare valeat, fecit, sicque inter se convenerunt, ut Venceslaus interea, donec sibi Stanislaus ad plenum de reliqua summa non satisfecerit, census oppidi Dobrinensis tollat. Quoniam vero ea reintegratio vre. Mtis. bonorum, que dum divisim tenentur desolantur, vestre Mti. utilis futura est, profecto vra. Mtas., cui scimus bonum statum Reipublice esse cure maxime, contenta esse debet. Ut itaque contractus ipse inter eos effectu terminetur, supplices rogamus vram. Mtem., dnum. nostrum clementissimum, eundem censum Dobrzinensem in fratrem Venceslaum tamdiu transferat, quamdiu de reliqua summa sibi non satisfecerit. Faciet enim vra. Mtas. rem sibi ipsi non inutilem et nobis simul et predictis contrahentibus gratiosam et necessariam. Quam Deus semper servet incolumem et felicem atque contra hostes victoria triumphantem.

Palatino Posnaniensi.

Mgce. dne., amice in Christo carissime ac honorande. Salutem etc. Subditi nostri presentium exhibitoris vestre Mgcie. iusticiam commendamus. Hic enim noster subditus comparavit certam quantitatem siliginis et numerata pecunia solvit a quodam cive przedecensi vre. Mgcie. subdito. Idem vero subditus vre. Mgcie. solutione accepta hactenus eidem siliginem non dedit. Equum itaque est, ut ipse solutionem nostro subdito solvat, ex quo pretium paratum recipit. Rogamus itaque

itaque vram. Mgciam.: velit nostro subdito iusticiam facere, ut tandem solutionem a debitore suo consequeretur, quod quidem ipsam etiam sponte non rogatam facturam confidimus. Nos vero vra. Mgcia. habitura semper est ad vota sua, quam bene valere desideramus. Ex Vladislavia XXX Maji. MDXVI.

Andree Krotowski.

Generose dne., amice in Christo dilecte. Salutem etc. Accepimus literas vras., quibus rescribitis nobis, quomodo kmetonem non ad nos sed ad se pertinentem arestaveritis eundem asserendo ex progenitoribus esse vre. hereditatis mancipium; at nos ita informamur, quod eo tempore, dum olim venerabilis dnus. Andreas Laski bona clavis Chelmze administraret, kmetonem eundem aliunde acquisitum in Slawsko collocasset, qui quidem kmeto nescius qua causa adactus transtulerit alio suum incolatum, nunc autem viceversa nostra indulgentia ad nos redire voluit; eam igitur ob rem credimus, eundem esse pertinentium nostrorum. Sumus certi eius intencionis, ut vobis placeamus ipsamque benivoleutia prosequamur, iniquum itaque esset, ut nobis ejusmodi irrogaretur a vobis iniuria. Vos itaque affectamus: velitis tum equitatem tum nostram in se voluntatem ea in re sequi et nobis hominem istum restituere, et ita nobiscum agere, ut ex levi causa eam intencionem inter nos conservande bone voluntatis non repellamus. Confidimus autem ita vos facturos, et bene valeat.

Majestati Regie.

Serme. princeps et dne., dne. clementissime. Orationibus atque servitiis commendatis. Superiori tempore contigit, quod Nicolaus Fridwalt, proconsul Thorunensis, fidelis servitor vre. Mtis versus Nissaw certa vasa salitorum piscium transmisit, dumque pisces per Calisch ducerentur, teloneum nouum ab eisdem piscibus solutum est. Cumque vector iter suum progrederetur venit in Ostrzessow, ubi Cracov. teloneatoris dni. Dunyn officialis teloneum exigit. At vector quittantiam habens teloneatoris calissiensis solvere recusat. Quum vero quittantia fortassis erronee in dato anni fuerit scripta, officialis dni. Dunyn adulteratam et alterius anni quittantiam esse credebat et ita pisces illos omnes recepit. Dumque vector statim in Calisch rdiisset, teloneator calissiensis iterum dedit testimonium, teloneum ab eiusmodi piscibus esse solutum postulavitque ab officiali dni. Dunyn, ut pisces eiusmodi rcceptos restitueret, sed idem officialis nequaquam facere voluit, quam ob rem hoc errore prefatus Nicolaus non modico dampno affectus est. Et subinde recurrit ad me, ut pro eo ad dnum. Dunyn ea in re scriberem, quod quidem libenter feci, presertim cum ex testinonio calissiensis teloneatoris comperi indebite receptionem eiusmodi factum esse. Equidem consuevi utilitatibus vre. Mtis. faventissime prospicere, neque ad eandem scripsissem, ubi iniuriam Nicolao prefato factam non comperissem. Cum itaque officiales eundem errorem inter se fecerunt, non tenetur subditus vestre Mtis. fidelis dampnum eiusmodi pati. Supplico igitur vre. Mti.: dignetur eisdem officialibus ita demandare, quod homines sua ignorantia dampnis non afficiant, et velit scribere, ut eidem piscium ablatorum vel restitutionem vel equabilem satisfactionem impendant; nam predictus Nicolaus gerit se pro fidelissimo servitore vestre Mtis. et promptissimus habetur pro promovendis vre. Mtis. utilitatibus. Deus autem vram. Mtem. felicem et incolumem semper servet et triumphis augeat.

Gedanensibus

Gedanensibus XX. Junii.

MDXVI. *Spectabiles et sapientes viri, amici in Christo dilecti. Salutem in dno. et felices clementia Dei successus. Scribitis nobis intercedentes, ne in eos patratores, qui tum ecclesiam sanctam ausu insolito et temerario profanarunt et ministros dei cum maximo scandalo et vituperio vro. violarunt, tum etiam tam insignis civilis viri bone fame et laudabili notam iniecerunt, animadvertamus, atque ut eosdem a censuris ob eorum contumeliam qua iuste purgari nequeunt in eosdem decretis absolvamus, insinuantes nobis suam intencionem, quomodo vosmet in eosdem pro qualitate facinoris animadvertere velletis, quodque iam unum ob eam rem in carcerem conjecissetis. Scripta vra. pro ea benivolentia, qua vos prosequi consuevimus, bono animo accepimus et desiderio vro. libenter concederemus si id in nostro simul et vestro decore nobis facere liceret, quippe tam ignominiosum facinus, in quo plurima pericula latent, non adeo levipendendum est. Quoniam vero tam erga ecclesiam Dei quam erga decorem vre. civitatis peccarunt, et mulcta et pena afficiendi sunt, ne, dum remissius puniantur, aliis audacia in posterum ad simile facinus patrandum relinquatur. Quapropter vos hortamur paterne, atque amice petimus: velitis non modo equo animo ferre id, quod nos iure adversus tales fecimus et facere intendimus, sed etiam manum apponere pro decoris vri. offensa, ut sentiant, se gravi piaculo deliquisse. Et melius est, ut ipsi penas sentiant, quam quod ob vestram indulgentiam iram Dei in civitatis malum reservetis. Quod autem nos ad decorem et commoda civitatis vre. et personarum vrarum prestare unquam poterimus, ita libenter prestabimus sicuti ex paterno in vos amore debemus, confidentes, quod nostro in vos amori semper, ut carissimi filii nostri, respondebitis. Deus omnipotens vos incolumes servet et in bono augeat.*

Consulibus Posnaniensibus. IX Julii.

Spectabiles viri amici in Christo nobis dilecti. Salutem in dno. et felicitatem. Iampridem civitatem istam vram. favore benivolentie prosequimur. Igitur libenter prestamus quidquid ad ejus commoda et incrementa accessionis facere possumus et deinceps prestare curabimus, cum cognoscamus, nos apud gratos beneficium hactenus collocasse. In hoc autem casu, quem ad nos detulistis, hoc vobis respondemus: quod constitucio solvende civilis exactionis in quinquennium constituta fuit, ut videlicet Regie civitates et ecclesiastica oppida solverent, dni. autem seculares ob tuendam Rempublicam alia onera in se assumpserant. Sic itaque comperimus, quod Regie civitates et nostra oppida in solutionem artantur et dnorum. secularium oppida quiescant. Resignato vero officio dedimus regestra nostra in thesaurum Regni, igitur nos resolvere sufficienter non possumus, si qua conditio interposita sit, que tam regias quam ecclesiasticas civitates ab hoc onere absolvat. Si quid tamen invenerimus inter nostra memorialia, quod ad docendum vos hac in re pertinebit, vobis libenter significabimus. Bene autem vos valere optamus.

Episcopo Pomezaniensi IX. Julii.

Rme. in Christo pater et dne. frater in Christo honorande. Salutem et felicitatem. Positus Dei clementia in hoc episcopatu, vicinus factus sum vobis; vicinie vero bona et tranquilla officia vobiscum tenere intendo, nam ita fraterna nostra professio exigit, sed caritate et fide opus est, si qui

boni

boni fructus per nos operandi sunt. Hactenus vero actum est, quod vos multo in meliorem partem pollicebamini, et maxime, ut inter sacram Mtem. regiam et Illrem. dnum. magistrum interque regnum et ordinem quietus vivendi modus constitueretur; suspicio tamen orta est, vos impedimenta prestitisse, quibus spes omnis bona in nihilum resoluta est. Et quod ita sit indicia quedam apparere videntur, que rumor vulgaris per totum regnum spargit et regnicolarum animos inflammat. Dicitur enim, quod Illris. dnus. magister ita cum duce Moscorum sentiat, ut ipsum in continuando bello erga Mg. ducatum Lithuanie animet, et hoc vro. consilio fieri predicatur. Nam hoc ipsum in ruinam christiane religionis cederet si ita esset, nec sine reprehensione gravi esse posset, quoniam infidelem hostem firmaret. Eam igitur ob rem nedum apud deum, quem nihil latet occultum, sed nec apud sedem apostolicam iustam rationem factorum vestrorum dare possitis. Equidem vos vehementer doleo, quod ab illis bonis exordiis constituende benivolentie inter principes et regna abiisse videmini; nam non pauce utilitates inde proditure neglecte interea sunt. Sed si adhuc aliqua vobis inest cogitacio, abiciantur ea, que instituti temerarii sunt et rationi subiciantur vre. Nihil enim dubito, quod Deus, bonorum auctor, bonis favebit. Equidem jure vicinie non deero, dummodo aliqua fide aliquid in medium offeratur. MDXVI.


In die Alexii alias Julii XVII.

Mathias D. g. Eps. Vladislaviensis. Significamus per presentes quibus expedit uniuersis et singulis. Quod cum controversiam mandato nostro nobilis Stanislaus Sdzissowski, vladarius Sopkouiensis et subsequenter nobilis Stanisl. de Smogorzew, modernus vladarius noster Sopkouiensis, priori et monasterio S. Marie ordinis Carmelitarum in Civitate gedanensi successive propter certas areas ditionis nostre ville nostre Oppenbruch, quas ipsi quomodocunque sine nostro consensu occuparunt, movissent, areas ipsas eisdem recipere tamquam illicite per ipsos occupatas ipsis adimere volentes. Prior vero cum ceteris fratribus ad nos religiosos viros huc supplex transmisit, ut equo animo ferremus, quod ipsas areas tamdiu ad istud tempus tenerent, ut ecclesie sue edificia continuarent et perficerent. Nos vero licet faveamus, ut ecclesiam suam ad laudem Dei et virginis gloriosissimc genitricis prefati fratres edificerent et perficerent, tamen sine iactura ecclesie nostre et nostra eam moram seu dilationem ipsis minime sicuti petierunt concedi posse, nos precepimus. — Ne tamen frustra ad nos venisse videantur, ipsis de benignitate et gratia nostra concedimus, ut in officinis laterum in eisdem areis constituis ad nostrum in Gadanum felicem aduentum materiam pro edificatione ecclesie libere preparent. — Sub felici autem nostro aduentu in Gedanum predictus prior et fratres nobiscum faciant compositionem congruentem, quomodo deinceps eisdem areis, si et in quantum nobis placuerit, eis uti liceat. Quocirca tibi Nobil. Stanislao de Smogorzew Vladario nostro Sopkouiensi mandamus, quatenus ut premissum est ipsos circa easdem areas conserves ad felicem nostrum aduentum.

Ad Thorunenses.

Spectabiles viri amici in Christo nobis dilecti. Salutem in domino. Accepimus adhuc unum servari in captivitate vra. vid. Henricum Schutel, qui eciam ex suspitione, quod Materne predoni favores

 predandi



MDXVI. *predandi prestiterit, in carcerem conjectus est, predo siquidem ille jam meritam vindictam accepit, hic vero qui ex suspitione duntaxat incarceratus esse dicitur, merito liber et emancipatus esse deberet. Scimus etiam in vobis non esse eam impietatem, que innocentes perimeret, nec fortassis istum absque causa servari. Nihilominus pietate religiosa movemur, ut vos rogemus, quatenus eundem captum iam tandem liberum faciatis, presertim quod, ut dicitur culpa in eodem iuste accusationis non reperitur. Quod quidem ut faciatis rogamus, ut nostre pietati satisfiat et misericordia vra. in innocentes laudetur. Si enim metuetis: ne postea ob eum casum ad vindictam faciendam in vestros diverteretur, prudentie vestre ratione congruenti modo malo futuro prospiciatis. Confidimus autem, vos nostre peticioni concessuros. Et bene valeatis.*

Georgio de Baiszen, Palat. Marienburg.,
Nicolao Spot de Crayow, Palat. Pomeranie. XXIX Julij.

Mgci. dni. amici ac filii in Christo nobis carissimi. Salutem in dno. et felices successus vobis favemus. Justiciam dni. nostri. Jesu Christi et eius sancte ecclesie, que gloriosissime virgini Marie in hac nostra civitate dicata est, cuique nos immeriti deo favente presidemus, nos querere, vos iam pridem nosse non dubitamus, presertim quod ea repetimus requirimusque, que ius divinum vel potius ipse deus, creator noster, ab initio generis humani instituti in propagandi sui divini altaris necessitatem instituit, usuque sempiterno confirmavit, et iure positivo successive quo et a quibus et quibus tribuendum est sub anathematis distributione ordinavit. Nemo enim ignorat, decimas iure divino dari debere, nam vetus et novum testamentum dandas precipit et non dantes maledictionibus increpat et minis malorum eventuum deterret. Non est autem existimandum quod principes terrarum Pomeranie fide dni. Jesu Christi suscepta absque devotione in divinum cultum et absque rationabili causa in terris suis decimas manipulares dandas decrevissent, quas successu temporis bellorum strepitus hominumque intentio perversa detinuit et usque hactenus animo incurato detinet et non tribuit. Timendum itaque est, ne verba Dei per prophetam nunciata iram ipsius dei, cuius causa est, excitent, ut hi, qui pietatem subtrahunt ad impietatem tribuere non compellantur. Nostis, qua ratione nos nutui regio obsequentes tum etiam grassante peste permoti nec non vobis optantibus censuras ecclesiasticas ad tempus sustulimus, quas predecessores nostri nos quoque ex iusta causa et rationabili in non solventes decimas fulminatas exemimus. A quibus quidem instaurandis admoniti per Mtem. regiam et per vos petiti hactenus abstinemus, confidentes, quod ad cor sanum redeuntes nobiscum tam de preteritis cum iniuria detentis quam de futuris tribuendis deifice in caritate componetis. Nuncij autem nostri, quos in Elbingensem conventum direxeramus, retulerunt nobis: vestrum esse desiderium nobiscum conveniendi et componendi super hoc decimarum casu circiter festum S. Michaëlis. Et licet nos non prius regiis negotiis pro illo tempore onerati existamus, tum consideremus, quod eiusmodi noster istuc transitus et vobiscum conventio non parva impensa facienda est, tamen convenire vobiscum decrevimus, si et in quantum intencio vobis sit determinata nobiscum componendi et omnino finem faciendi. Nam ubi ista intencio non esset et vestra, cogeremur sumptui et labori parcere et s. Mtis. regie negotiis intendere et non convenire vobiscum, sed procedere censuris sicut ceptum est. Quapropter hortamur et affectamus vras. Mgcias.: velitis de communi intencione et consilio nos facere certiores. Et si conveniendum placuerit, quo in loco conveniendum erit, et si quos mediatores

diatores adhibere velitis, quorum et auctoritate et legalitate negotium compositum inter nos perseveret, ut inter nostros et vros. successores sempiterna caritas cum tranquillitate permaneat, quam nobis deus omnipotens ex sua clementia concedere dignetur. Bene valeatis. MDXVI.

Archiepiscopo. II Augusti.

Rme. in Christo pater et dne. maior colende. Salutem etc. Huic presbitero viro bono et bene circa hanc nostram ecclesiam conservato resignatur certa mansionaria circa ecclesiam gnesnensem, que fortassis absque vre. Rme. Ptis. voluntate resignari non potest. Tametsi mallemus quod hic presbiter circa nostram ecclesiam tanquam probus maneret tamen quia se putat ire ex labore ad requiem, ipsum vre. Rme. Pti. commendo et rogo: velit eidem clementiam facere, ut hujus benificioli quod sibi resignari debet compos fiat. Sicque sine dubio vra. Rma. Ptas. sibi oratorem obligabit et mihi rem gratam faciet. Eandem autem optamus feliciter valere.

Sigismundo Regi.

Falsificacio monete ut mala est, sic detestabilis et perniciosa, multa enim eius deceptione dampnificari possunt, sapientissime itaque vra. Mtas. suorum subditorum, more suo, dampno prospicit sollicita se exhibens, ut subditis suis id ignotum non sit, quod eis dampnum irrecuperabile infligere posset. Quamobrem ego vre. Mti. ago gratias, consilium autem, vre. Mtis. imprimis prudencie deferendo, tale do, ut vra. Mtas. inprimis cognoscat, quo animo Illtris. princeps dnus. Kazimirus, dux Teschnensis istud faciat, quod ad vram. Mtem. rem detulerit, ne aliquo in illum ducem Rathiboriensem odio impulsus ipsum per hunc modum affligere cupiat. Si vero res aliunde quam ex odio procedat, nulli alteri ob eam rem actionem instituendam presertim si civiliter eam aggrediendam non putabit sed criminaliter, quod ipse iure illius provincie, in qua crimen patratum esse comperitur actionem ob eam rem cum vre. Mtis. dignitate et instituet et in finem bonum deducet. Sed judicio meo potius vra. Mtas. medio suorum oratorum ipsi duci in presencia eius optimatum rem ad se devolutam detegeret et sibi comminaretur, vbi emendationem non faceret, quod vra. Mtas. adversus ipsum in tam scelesto crimine instituere vellet, procul dubio autem ipse movebitur tali comminatione, ut aut rem emendet aut facinorosos prodat.

Sigismundo Regi. XVI Augusti.

Serme. princeps et dne. dne. clementissime. Servitiorum promptitudine et orationum assiduitate commendatis. Apud cives Thorunenses tenetur in carcere quidam Almanus, Schutel appellatus, quem Gedanenses ob suspicionem, quod Materne in maleficiis societatem fecisset, incarcerare procuraverunt. Idem autem Schutel, prout ex Thorunensium consulum proborum virorum relatione percepi, eius dilecti innocens est. Cum autem sic innocens esse comperitur, crudele est servare hominem in duro carcere iam satis crudeliter questionibus tortum. Supplico igitur vre. Mti.: dignetur ex pietate sua ad Thorunenses scribere, ut eundem captivum dimittant liberum, provisione tamen facta, ne vindictam in quempiam deinceps exerceret; nihil enim dubito, quod Thorunenses

MDXVI. *ses se libenter liberarent ab eodem servando, nihil culpe in ipso comperientes, sed non audent propter Gedanenses, Gedanenses vero magno atrocitate predonum offensi, quod quidem ipsis imputandum non est, timent, etiam ubi minus timendum esset. Sed confido, quod vra. Mtas. gratiose providebit, ut innocens liber et Gedanenses sint securi. Deus vram. Mtem. semper incolumem ac contra suos hostes victoriosam faciat.*

Gedanensibus. XXVI Augusti.

Spectabiles viri amici in Christo nobis dilecti. Salutem etc. Relatum accepimus, quod in detrimentum bonorum nostrorum, iusticia et usu longo posthabitis, prohibeatis per cedulas ad portas ecclesiarum applicatas vestris concivibus, ne cum nostris subditis Scothis in anteurbio vestro coëmerent. Quod quidem factum vergit ad nostram iniuriam. Quare autem id faciatis miramur. Queritis fortassis occasiones, ut tanto pauciores fautores habeatis. Non est ignotum vobis, quantos favores nos nedum civitatis vre. commodis, sed etiam personis privatis exhibuimus. Equum itaque esset, ut vos nobis officio benivolentie responderetis et eo magis, quia vobis divina favente clemencia in pastorem dati sumus. Hortamur itaque vos in dno. et affectamus benivole: velitis vos erga subditos nostros ita gerere, sicuti a vetustis retroactis temporibus vestri antecessores se gessere, et non detis nobis occasionem eum animum a vobis avertendi, quem revera in vos semper benivolum gessimus. Confidimus, vos ita facturos. Bene valeatis.

Annus Domini Millesimus Quingentesimus Decimus Septimus.

Anni Domini MDXVII.
memorabilia.

Hoc anno actus est conventus generalis Petricoviae ad X diem Februarii, cui rex in Lithuania tum agens interesse non potuit. Quamobrem legationem ad eum ipsum conventum expedivit.

In qua legatione ostendit, se propter multas causas hunc conventum Petricoviae indixisse, praecipua vero et primaria causa haec esset: quod Tartari hoc anno hibernare in citeriore Borystenis ripa decreverant, unde facile praedam ex dominiis regiae Mtis. abigere possent, quomodo itaque propositum hoc illorum reprimendum esset, comitia propterea indicta fuere.

Legatio a consiliariis Lithuaniae ad consiliarios regni ad conventum petricoviensem, in qua petunt consiliarios regni, ut sibi contra Moscum opem et auxilium etiam ferrent, deinde admonent, ut ea munera, ad quae solvenda una cum consiliariis Mg. ducatus Lithuaniae se obligaverunt, caesari Tartarorum precopiensium mitterent.

Consiliarii regni ita responderunt:

> *se subsidium contra Moscum propter magna pericula regno impendentia dare non posse, tamen hos, qui in finibus servantur, se missuros promittunt. Quod attinet impensas tartaricas affirmabant, propterea illis esse concessas, ut pacem cum utroque dominio servarent, sed quoniam ab eis violata est, ideo se ad solvendum non teneri.*

Ad postulata Ludovici, Ungariae et Bohemiae regis, missus est Mathias Drzewiczki, epus. cujaviensis, in Ungariam ad comitia Budae celebranda, ad consultandum de bono statu regni Ungariae et ad persuadendum, ut induciae cum Turca susciperentur.

Actio oratorum caesaris Maximiliani et Sigismundi regis in conventu budensi in iisdem negotiis, in quibus Mathias Drzewiczki fuit missus.

Descriptio disordinationis Ungariae regni.

Gesta inter Zophim, Turcam et Sultanem Cairi, de Sultano devicto, occupata Alepo, Damasco, Hyerusalem a Turca.

XXX Julii Sigismundus rex Vilna discessit cum exercitu ad Poloczko et ibi exercitum in hostilem terram immisit versus arcem Opoczka.

VIII Septembris dnus. Sczyt et Bogusz profecti sunt ad Moscum tractatum de conditionibus pacis, ut satisfieret postulationi caesaris, ubi etiam tum temporis illius nuncius Sigismundus Herberstein fuit, in eodem negotio missus.

Conservatio statuum regni Bohemiae in jure et religione a rege Sigismundo nomine tutorio.

Legatio ad caesarem Maximilianum data Stanislao Ostrorog, castellano calissiensi, et Joanni Conarski, archidiacono cracoviensi, in qua legatione maximae gratiae aguntur nomine Sigismundi regis caesareae Mti. pro singulari constantique affectione et fraterno amore, quem gerebat erga regiam Mtem. Deinde regia Mtas. tanta officia et studia caesareae Mtis. pollicetur pari benevolentia et studio se vicissim relaturam. Ad postremum autem significat, quod ex illius Mtis. commendatione Illmam. dominam Bonam sibi conjugem elegerit, rogatque, ut ea ipsa quam primum

mum Viennam veniret, quo facilius illam per oratores solennes suos excipere domumque reducere possit.

Oratio in postulatione virginis Bonae in matrimonium regi Sigismundo.

Pompae, quae in adventu legatorum Neapoli fuerit ab iisdem legatis regiae Mtis. descriptio missa.

Eodem anno foedus inter Sigismundum regem et Stephanum, palatinum Valachiae, ictum fuit ea conditione, ut si Sigismundo regi contra aliquem hostem arma sumere contingeret, palatinus regi suppetias ferret.

Legatio a Sigismundo rege ad palatinum Valachiae, in qua rex hortatur eum, ut foedus, quod inter eum et Mtem. regiam fuit constitutum, diligenter conservet.

Legatio a rege ad Albertum, Magistrum Prussiae, per Raphaelem Leszczyński, in qua admonebat magistrum, ut subditos suos ab inferendis damnis subditis regiis prohiberet illataque resarciret.

Interdictum regium de non importandis mercimoniis in terras magistri.

Literae Boguslai, ducis stetinensis ad regem, in quibus molimina Prussiae adversus regem et regnum ostendit.

Annus Domini Millesimus Quingentisimus Decimus Septimus.

CXII. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie. Nepoti suo.

Serme. princeps et domine nepos noster charissime. Cum rediissent ad nos consiliarii et oratores nostri, quos anno superiori ad Mtem. vram. pro festo Scti. Georgii miseramus, retulerunt inter cetera nobis: venisse istuc nuncium imperatoris Turcarum, quo significasset ille, se cum Mte. vra. et aliis christianis regibus et principibus inducias accipere velle his conditionibus, que fuerant per Sermum. olim parentem Mtis. vre. proposite. Sed ut hi, qui in illis includi deberent, mitterent ad confirmandas eas intra annum singillatim ad se suos nuncios et non aliter. Cum vero nostri quesivissent a consiliariis Mtis. vre., qualiter eum absolvere statuissent, responderunt: sibi non esse integrum absque consilio summi pontificis eum expedire, sed mittere velle se ad illius Sctem. celerem nuncium in hac re et quod deinde ab illa relatum esset, nos e vestigio fieri a se certiores, tamen hactenus uti et de aliis, que circa Mtem. vram. aguntur, nihil prorsus accepimus. De quo valde miramur. Cum autem ipse imperator misit nunc ad nos nuncium suum nunciatum imprimis victorias et successus suos, et deinde confirmatum predictas inducias, ut vestra Mtas. clarius ex ejus literis, quarum exemplum illi mittimus, cognoscet, addens etiam, ut si placeret nobis, easdem inducias longiores fieri, quam sint designate, se libenter ad omne arbitrium nostrum consensurum. Noluimus illi quidquam respondere, donec cum Mte. vra. rem communicaverimus, habentes rationem federum, que inter nos ac regna nostra intercedunt: et ut intelligeremus, quomodo Mtas. vra. constituerit cum summo pontifice et consiliariis suis de ejusmodi induciis agendis. Quare rogamus Mtem. vram.: ut nos quam celerius de omnibus edoceat, ut scire possimus, qualiter nos in ipsa re nos gerere debeamus. Nam nollemus aliquid facere, quod postea vel statui Mtis. vre. vel mutuis federibus regnorum nostrorum officere deberet. MDXVII. Cod. R.

Videtur autem nobis nunc et Mti. vre. et nobis multum expedire, ut has inducias cum illo ineamus propter multa incommoda, que utrique nostrum incidere possent, que tamen non poterint longiores esse anno sesquialtero, elapso jam uno integro a prefinito tempore et medio adhuc haud dubie elapsuro ante quam res conficietur. Et interim posset fieri commodius a nobis opportuna preparatio ad resistendum tanto periculo imminenti. Quidquid tamen Mtas. vra. decreverit, nos ocius certiores facere dignetur. Que felicissime valeat et nos uti facit et debet mutuum amet. Datum.

CXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Epo. Quinqueecclesiensi.

Rev. in Christo pater et dne. amice charissime. Afficimur magno tedio, quod jam a longo tempore nihil prorsus accepimus de statu Sermi. dni. regis Ludovici, nepotis nostri charissimi. Cod. R.

MDXVII. simi, miramurque quod ejus Mtas. nihil nobis hactenus de rebus suis et regnorum suorum significavit. Mittimus vero hunc nuncium nostrum ad ejus Mtem., ut faceremus illam certiorem de his, que apud nos orator imperatoris Turcarum egit. Et quia sumus adhuc hoc tempore adeo gravi bello cum Mosco hoste nostro impliciti, ut expedire videatur nobis cum aliis ad presens inducias inire, nec minus isti Mti., saltem donec aliquid tandem statuatur a christianis principibus eorum, que ad resistendum tante iamque indies magis impendenti calamitati pertinent, rogamus vram. Dtionem. efficere velit, ut ipse nuncius noster quam celerius cum responso ad nos remittatur, et perscribat nobis statum valetudinis et rerum ejusdem Sermi. dni. nepotis nostri, de quo sumus non minus solliciti quam nostro proprio. Rem nobis multo gratissimam faciet vra. Dtio., quam longe feliciter et incolumem esse cupimus. Vilne.

CXIV. Ludovicus, Rex Hungarie etc., Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serme. princeps et dne. dne. patrue noster charissime. Accepimus literas Mtis. vre. hoc quatriduo et ea, de quibus eadem nobis scribere dignata est, abunde intelleximus. Queritur autem Mtas. vra. imprimis: se per nos esse quodammodo neglectam eo quod neque de responso Sctmi. dni. nostri in negotio treugarum cum cesare Turcarum per nos et Mtem. vram. ineundarum, de quo Mtem. vram. certiorem reddere nos polliciti sumus, neque de reliquo omni statu nostro, qui non minus cure esset Mti. vre. quam suus ipsius proprius, quicquam ab eo toto tempore, quo oratores Mtis. vre. a nobis discesserunt, eidem scripsissemus aut significassemus.

Serme. princeps. Est profecto nobis molestissimum ac minime gratum, Mtem. vram. in eam curam vel potius judicium de nobis incidisse, ut judicaret, se per nos esse neglectam, quum omnem spem nostram, omnem status nostri felicitatem in Mtem. vram. veluti in dnum. patruum nostrum charissimum collocaverimus, et non modo, ut illam negligeremus, quin potius, si per commoditatem liceret, cum eadem dies noctesque constitui et ejusdem sapientissimo gubernamini et imperio morem gerere et ab eo ne momento quidem hore, uti ajunt, avelli et abesse vellemus. Sic igitur Mtas. vra. sibi persuadere dignetur, nos earum rerum, quarum nos nunc commonefacit, memoriam habuisse, sed quod prius de illis Mti. vre. non scripserimus id effecit, quod tarde nimium ab ipso summo pontifice responsum habere potuimus, et illud, quod primum habuimus, curavimus mox Mtem. vram. de illo certiorem reddere et penes hoc etiam speciale breve Sctis. sue una cum literis nostris ad Mtem. vram. direximus.

Scripserat autem Sctas. sua in eodem breve, quod ad nos direxerat, satis perplexe et obscure, quod scilicet consentire cum Infidelibus ad pacem non posset, nec Scti. sue liceret, et ideo optaret quidem summopere, ut aliquas treugas cum Turco, Christianitatis perpetuo hoste, non iniremus, verum tamen minus eidem displiceret, ut per inducias regna nostra conservemus, quam per bellum, quod sustinere non possemus, periremus. Hec sunt verba formalia

formalia totius responsi Sctis. sue. Itaque nihil penitus auxilii aut firme spei nobis circa hoc pollicebatur. Nos usi consilio fidelium consiliariorum nostrorum lateri nostro adhibitorum et continue adherentium visum est propter multas causas, non esse adhuc cum conclusione ejuscemodi treugarum accelerandum, et maxime, quod fortuna et successus ejusdem imperatoris ferebantur varii diversique modo fulctuabant. Nam vel post missum breve Sctis. sue, ac post missas literas rmorum. dnorum. cardinalium proxime ad Mtem. vram. nova ad nos pervenerunt, eundem imperatorem per novum Soldanum cum adjunctis viribus Sophitarum principum esse usque ad internecionem profligatum et suos occidione omnes occisos et ipsam quoque portam seu cohortem pretorianam quam appellant esse disjectam personamque ejusdem propriam in Damasco obsidione cinctam. Hec tamen quamvis ex plerisque hominibus, incerto tamen adhuc auctore habemus. Utcunque tamen se res habeat, potior sententia apparuit, ut cum treugis seu pace concludenda non festinaremus. Forte deus ex sua pietate aliquam occasionem bene gerende rei Christianis aperiet, et ob hanc causam, cum proxime ad Mtem. vram. penes literas seu breve pontificis nostras literas dedissemus, et eandem etiam rogatam habuimus, ut ad proximam dietam, quam ad proximum festum inventionis s. crucis hic Bude celebrare statuimus, oratores suos mittere dignaretur (quod eam facturam minime dubitamus) hoc quoque affiximus et addidimus rogantes eandem Mtam. vram., ne velit accelerare ad faciendas aliquas treugas seu pacem cum Turco, donec nos in prefata dieta festi s. crucis hic cum regnicolis nostris hujus regni nostri deliberaverimus, quidnam et Mti. vre. et nobis utilius foret in hoc agendum. Quas quidem literas nostras non dubitamus jam usque ad hunc diem esse Mti. vre. datas. Quemadmodum igitur in eisdem ita etiam in presentibus rogamus: velit a conclusione aliquarum treugarum seu pacis cum Turco tantisper supersedere, dum hanc dietam, que jam in propinquo est, feliciter perficiemus, et donec per oratores ejusdem, quos huc uti confidimus missura est, eidem significabimus, quid hic in ea re conclusum sit et quid utrique nostrum consultius agendum videbitur. MDXVII.

Agimus autem Mti.vre. singulares gratias, quod ex literis ejusdem cognovimus, se jam statuisse, nihil se velle in hoc negotio treugarum interim concludere, donec a nobis responsum accipiet. Dignetur, igitur uti premisimus, conclusionem ejuscemodi treugarum usque ad deliberationem prefate diete et usque ad reditum dictorum oratorum suorum differre. Speramus autem id communi saluti et conservationi dominiorum et regnorum utriusque nostrum plurimum conducere et proficere.

Ceterum status noster gratia dei omnipotentis cooperante maxime auctoritate vre. Mtis. adhuc in eodem felici statu, quo oratores ejusdem reliquerunt, versatur. Confidimus in dies fore prosperiorem et fortunatiorem precipue si oratores vestre Mtis. ad premissam dietam advenerint.

In persona vero et corpore recte valemus ita quidem, ut indies robustiores evadeamus, id quod ideo a deo optimo ocius fieri potissimum precamur, ut Mtas. vra. imprimis et deinde tota Christianitas ex nobis cumulatiorem fructum capere possit.

Quantum autem etas nostra fert etiam in literis in tantum proficimus, ut propediem excellamus, et neglectum antea studiorum tempus sedulitate atque diligentia nunc videmur resarciri et supplere.

MDXVII. Eandem Mtem. vram. cupimus felicissime semper valere et in omnibus suis actionibus prosperari, cui nos ut patruo nostro amantissimo unice commendamus. Datum Bude II die resurrectionis Domini.

CXIV. *b.* Georgius, Eps. Quinqueecclesiensis, Sigismundo, Regi.

Cod. R. Sacra regia Mtas. dne. mihi gratiosissime. Post debitum servitutis mee in gratiam Mtis. vre humilem commendationem. Litere quas ad me proxime Mtas. vra. dare dignata est, ingenti mihi letitie voluptatique fuere, nec enim parvi decoris atque ornamenti esse puto, eam de me apud Mtem. vram. existimationem habere, ut pre ceteris nostratibus idoneus visus sim, quem suarum literarum scriptione honestaret. Quod est profecto ejus in me gratie ac clementie non vulgare argumentum et quo plurimum Mti. vre. debere me sentio. Pro mea vero tenuitate quibuscunque obsequiis animique propensissimi significatione meam adversus eandem fidem ac servitutem in dies magis patefacere ac illustrare conabor.

Quod vero Mtas. vra. significat, se et molestia et admiratione simul affici, quod tam diu de his, que ad Sermum. et gratiosissimum dnum. nostrum., regem Ludovicum, nepotem ejus amantissimum, pertinent, nihil cognoverit, non aliud fuit in causa, quam quod a summo pontifice super his rebus, quas Mtem. vram. scire intererat, tardissime responsum accepimus. Accedit, quod ego quoque pluribus mensibus a curia abfui, ubi autem primum me curie reddidi, ut bine litere non longo temporis intervallo distantes ad Mtem. vram. mitterentur, curavi. Que licet Mti. vre. quum suas daret, nondum fuerunt reddite, eas tamen jam perlatas esse arbitror. In his illa ipsa continebantur, quorum Mtas. vra. certior fieri cupit. Itaque illud, quod Sermus. dnus. meus a Mte. vra. exoptat, valde sentiunt opportunum esse: ne scilicet properet oratorem Turcarum absolvere, tamdiuque responsum differre velit, quoad conventus, qui jam prope adest, hic in Hungaria peragatur, ut sic communi consilio et pari unanimique sententia id agendum suscipiatur, quod ad christiane religionis tutelam et incrementum et utriusque Mtatum. vrarum. regnorum securitatem propugnationemque magis accommodatum videbitur.

Ceterum de rebus ac statu Sermi. dni. mei id Dei benignitate affirmare possum, res sue Mtis. secundis auspiciis agi et pro tanti principis dignitate succedere et fortunari, idque majori ex parte Mtis. vre. auctoritati est acceptum referendum, que in hac prima crescentis imperii novitate plurimum roboris ac stabilitatis adjecit, quippe omnia hujus Mtis. negotia eum obtinent locum, in quo per Mtis. vre. oratores preterito conventu constituta collataque fuerunt, que etiam in posterum eodem tenore progressura confido, si modo Mtis. vre. oratores ad statum tempus advenerint, qui et jacta regii solii fundamenta Mtis. vre. nomine fulciant, neve per quospiam labefactentur, nova veluti firmitate munient, et titubantium animorum fluctus discordiarumque ut vulgo fieri solet procellas ductu auctoritateque Mtis. vre. sedent et penitus compescant. Nam alioquin, si ad hunc conventum non accesserint, qui negotiis regiis Mtis. vre. nomine robur et stabilimentum subministrarent, non parum vereor, ne prioris anni decreta, quibus subsidia proventusque regii sunt reintegrati, denuo labescant

bescant et quasi pessundentur. Quod ne eveniat Mtis. vre. pro sua insigni in nepotem pietate summopere interrest providere. MDXVII.

Ego pro virium tenuitate eo omne meum studium, industriam curamque convertam, ut Sermi. dni. mei dignitati atque accessioni quam optime consulatur et ad obsequia vre. Mti. prestanda me semper alacrem accinctumque exhibeam. — In cujus gratiam me et servitutem meam etiam atque etiam humiliter commendo. Quam Deus opt. max. diutissime sanam atque incolumem conservare ac in omnibus suis actionibus prosperari dignetur. Ex Buda II die resurrectionis.

CXV. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Hungarie Regi.

Serme. princeps et dne. nepos noster charissime. Ad postulationem vre. Mtis. mittimus ad eam et istum ejus regni conventum rev. in Christo patrem, dnum. Mathiam, episcopum Vladislaviensem, consiliarium nostrum sincere nobis dilectum, ad agendum et consulendum in communi nomine nostro cum dnis. consiliariis Mtis. vre. et ces. Celsitudinis oratoribus ea omnia, que ad decus et bonum statum vre. Mtis. et ejus regnorum concernent. Proinde rogamus illam, ut ei in omnibus, que referet et eget, plenam fidem adhibere dignetur. Et felicissime valeat vra. Mtas. nosque quod facit et debet mutuo amet. — Datum Vilne. Cod. R.

CXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Thome, Cardinali Strigoniensi.

Rme. in Christo pater, dne. amice noster charissime. Miramur quod serius de conventu isto facti sumus certiores; ne tamen in quopiam deesse videremur votis et rebus Sermi. dni. regis Ludovici, expedivimus istuc eo celerius, quo inter modernas nostras summas occupationes fieri potuit, rev. in Christo patrem, dnum. Mathiam, epum. Vladislaviensem, consiliarium nostrum sincere nobis dilectum, ad agendum et consulendum nostro nomine una cum vra. Pte. et aliis dnis. consiliariis regni istius ac oratoribus ces. Mtis. ea, que ad bonum regimen et tranquillum statum ipsius dni. regis Ludovici et regnorum ejus pertinere videbuntur. Commisimus tamen ei: ut in omnibus consilio vre. Ptis. innitatur, freti ejus erga nos integra fide et benivolentia. Quare postulamus ab ea, ut quidquid intelliget expedire, quod quidem orator noster agere deberet, ei suggerere et adesse favore et consilio suo velit. Factura rem suo erga nos studio ac nostra de se fiducia dignam, quam illi vicissim omni favore et benivolentia nostra referre curabimus. Datum Vilne X Aprilis. Cod. R.

CXVII. SIGISM.

CXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Oratoribus Cesaris Maximiliani in Hungaria.

MDXVII. Cod. R. Rev. magistri et nobiles nobis sincere dilecti. Facti nuper certiores per Sermum. dnum. regem Ludovicum, nepotem nostrum charissimum, de isto regni sui conventu et postulati ab ejus Mte., ut nuncios nostros ad eundem conventum mitteremus, expedivimus e vestigio istic rev. in Christo patrem, dnum. Mathiam, epum. Vladislaviensem, consiliarium nostrum sincere nobis dilectum, ad consulendum et agendum nostro nomine una cum proceribus et communitatibus istius regni et vris. Dtionibus. ea omnia, que ad bonum regimen et tranquillum statum ipsius Sermi. dni. regis Ludovici expedire videbuntur. Super omnia vero commisimus eidem oratori, ut nihil neque agat, neque loquatur absque mutuo consilio et scientia vrarum. Dtionum. omniaque cum illis communicet. Et proinde postulamus ab illis, ut pari modo se cum ipso oratore nostro gerere velint. Facture nobis rem eo magis gratam, quo minus optamus, ne in minima quidem re a ces. Mtis. animo et voluntate unquam dissentire. — Bene valeat vre. Dtiones.

CXVIII. Legatio ad Hungariam a Sigismundo, Rege, data Mathie Drzewiczki, Epo. Vladislaviensi, ad Conventum Hungaricum misso.

Cod. R. Post dictam salutem referendum imprimis: Quod licet Sermus. dnus. rex Ludovicus nos serius de conventu regni sui certiores fecerit et simus ad presens aliis nostris summis curis et occupationibus distenti; ne tamen illius Mtis. rebus et postulationibus quoquomodo deesse videamur, curavimus vram. Ptem. quam celerius in ista longinquitate nostra fieri potuit, ad illam expedire, que et nomine nostro unacum oratoribus cesaree Mtis. interesset conventui illius consiliumque et studium opportunum pro bono et tranquillo ejus Mtis. regnorumque ipsius statu in commune conferret.

Quodque pro debito necessitudinis nostre et tutele, nobis cum cesarea Mte. mutuo delate, quam libenter suscepimus, proque mutua sollicitudine, quam de rebus illius Mtis. habemus, venissemus ipsi libenter ad illam, aut saltem nos regno illius Mtis. propius admoveremus, nisi in hoc dominio tum expeditione bellica, tum aliis impedimentis adeo distineremur, ut non sine gravi discrimine subditorum nostrorum hinc discedere possemus.

Postea dicenda omnia, que dnus. eps. Quinqueecclesiensis et alii fautores et benevoli nostri censuerint expedire. Nam ita ipse dnus. Quinqueecclesiensis significavit: non opus esse nuncio nisi credentias mittere, quod illic de omnibus, que agenda per eum essent instrueretur; tamen volumus, ut Ptas. vra. nihil neque loquatur neque agat, nisi mutuo consensu et consilio cum oratoribus cesaree Mtis. hocque commissum nostrum illis declaret.

Significabimus paulo ante ipsi Sermo. dno., regi Hungarie, ea, in quibus missus sit ad nos orator imperatoris Turcarum et suggessimus sue Mti. sententiam nostram de suscipiendis induciis,

induciis, quas ille ultro postulat, cum adhuc nullum indicium sit firmum expeditionis generalis contra illum, ut intra ipsas inducias possemus agere de eadem communi expeditione et consulere tranquillo statui communium regnorum nostrorum, quibus propinquius periculum imminet. Et proinde vra. Ptas. idem suadebit, quandoquidem et omnes consiliarii in conventu preterito ita facere censuerunt, prout ipsa non ignorat, et ut nos etiam interim poterimus fortasse his difficultatibus, quibus ad presens distinemur, nos explicare. MDXVII.

Ad persuadendum vero, quo ipse inducie alacrius suscipiantur, referet Ptas. vra. in secreto tamen, nam ita est opus facto: nos per oratores nostros fidos, quos in curia illius imperatoris habemus, factos esse clam certiores, eundem imperatorem compositis et confectis rebus, quas gerit in Syria et Asia, totam belli molem convertere destinasse ad regnum Hungarie occupandum, et interim aliud propositum pre se ferre, ut insperato accessu facilius votis suis potiatur, que precipua habet, ut devicto regno Hungarie viam sibi per illud ad invadenda reliqua christiana regna et dominia compararet.

Ceterum quia ces. Mtas. nobis significavit: se per oratores suos in Hungaria egisse, ut circa Sermum. dnum. regem Ludovicum essent duo consiliarii sue Mtis. et itidem nostri duo continui, qui communibus consiliis cum consiliariis regni Hungarie de rebus necessariis ad statum et regnum Sermi. dni. regis Ludovici consultarent, et hanc rem fuisse sue ces. Mti. recusatam; postulavitque a nobis, ut pro ea ageremus, ne vano duntaxat tutorie nomine uterque nostrum censeretur. Ptas. vra. et id cure habebit, habito prius mutuo consilio de hac re ut in aliis omnibus cum nunciis ces. Mtis. et si etiam ipsi idem in commissis habebunt.

Terram Colomiensem licet prodecessores nostri et nos in possessione habemus, nolentes tamen de eo in suspenso esse, aget Ptas. vra., quo uti conventum erat, mitterentur ad fines nuncii ex regno Hungarie et terra moldaviensi, qui una cum nostris hanc rem discernerent, et ut tempus missionis ipsius designarent et vojevoda Moldavie certior fieret.

Constituerunt anno preterito oratores nostri cum dnis. Hungarie, ut missi fuissent illinc aliqui nuncii ad fines regni utriusque et tempus conventus, ad quem etiam nos mittere nostros oratores debuimus, uti misimus, erat designatum, in quo fuissent injurie et differentie communium subditorum nostrorum composite. Quia vero non miserunt dni. Hungari, quemadmodum erat conventum, aget vra. Ptas., quo denique mittant et diem certam statuant.

Reliqua committimus fidei et prudentie vre. Ptis., ut quidquid intelliget ad dignitatem nostram et commodum Sermi. dni. regis Ludovici pertinere et quod etiam dnus. Quinqueecclesiensis et alii benevoli nostri suggerent, id sedulo exequatur. Nihil tamen, ut prius diximus et nunc repetimus, absque mutua intelligentia et consensu oratorum ces. Mtis. factura. —

CXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Mathie de Drevicza, Epo. Vladislaviensi, Oratori in Hungariam misso.

Habuimus literas a Sermo. dno. rege Ludovico, quibus nobis significat, se id quod ad ineundas cum Turco inducias attinet ad istum conventum regni sui retulisse: propter quod nos cogimur Cod. R.

MDXVII cogimur oratorem ipsius Turci tantisper tenere, donec istinc certiores reddamur. — Quare Ptas. vra. aget, ut de hac re quam celerius nobis respondeatur. Quod vero nobis scripsit se brevem et minus resolutam instructionem ad istum conventum a nobis recepisse, factum est, quod non nostra causa, sed prefati Sermi. regis Ludovici illam istuc misimus. Et proinde ab illo vel ejus Mtis. consiliariis potius instrui debet: quid illam agere expediat, quam a nobis, qui illa, que nunc istic aguntur, prorsus ignoramus. Et ita nobis inde scriptum fuit, ut non opus esset aliqua instructione, solum credentiis, quia omnia istic suggeri deberent. Itaque erit hoc Ptis. vre. industrie ea, que a nobis illi summatim sunt designata queque etiam istic suggeretur, condire et ampliare prout opus fuerit. Que bene valeat. Datum Vilne.

CXX. Actio Oratorum Cesaris Maximiliani et Sigismundi, Polonie Regis, in conventu Hungarico in secunda audientia.

Cod. R. Quoniam hesterna actio nostra est eo fine conclusa: quod restarent nobis alia, que essent postea referenda. Ad hec ergo nunc explicanda venimus.

Et quia prout diximus heri sacratissima Mtas. cesarea cum Sermo. Polonie rege, prout in ceteris ita in eo quoque, quod ad bonum statum s. Mtis. istius et hujus regni spectant, per omnia unanimes, unaque et uniforma voluntate nos miserunt huc, ideo et nos volumus hic unanimiter agere et utriusque Mtis. nomine meo autem unius ore, que nobis restare diximus pridie, nunc referre.

Imprimis autem id commemoratum esse volumus: quod Sermus. olim rex Vladislaus attendens egritudinem suam, cogitans mortem propinquam, habensque respectum imbecille etatis charissimi filii sui Sermi. dni. Ludovici regis: volens ei et regnis suis bene consulere, in conventu viennensi cum sacratissima ces. Mte. et Sermo. rege Polonie habito id egit, quod Mtes. istas in tutores prefato filio suo, Sermo. Ludovico regi et suis regnis de fide, sinceritate atque etiam necessitudine eorum bene ut par fuerat persuasus fecit et constituit. Ac deinde postea cum morti proximus jam sibi finem videret imminere, hoc ipsum confirmavit et literas scripsit tam ad Mtem. cesaream quam ad Sermum. Polonie regem, hec eadem utrique declarando et prius facta iterum roborando.

Quibus licet predictis interfuerint plures domini et consiliarii utriusque regni sui Hungarie videlicet ac Bohemie, nihilominus tamen Mtas. cesarea simul cum Sermo. rege Polonie volentes id plenius notum esse omnibus, miserunt ad subditos utriusque regni predicti, hec eadem ipsis declarando et explorando mentes eorum super his. — Qui fere omnes pronis animis obtulerunt sese ad suscipiendum tutores, et revera susceperunt et agnoverunt: eos esse veros et legitimos tutores: presertim cum illi principes in hac tutoria nihil aliud cupiant, quam quod cognoverint ad bonum statum hujus regie Mtis. et ad conservationem atque defensionem regni pertinere salva regnicolarum libertate.

Quod ipsum etiam si Sermus. olim rex Vladislaus non fecisset, tamen jure tam pontificio quam

quam civili, ratione necessitudinis, affinitatis et arctissime consanguinitatis hec tutela ad Sermos. principes nostros pertinet et devolvitur, ita ut ipsi de bono statu Sermi. dni. Ludovici regis ac regnorum suorum consulerent et nequaquam eum desererent. MDXVII.

Hoc itaque ducti officio miserunt nos ad hunc conventum, ut simul cum vris. Dtionibus. rmis. spectabilibus et mgcis., qui estis senatores et capita regni, id consultemus, id agamus in idque unum totam operam et vires intendamus, quod ad bonum hujus Mtis. et suorum regnorum visum fuerit pertinere.

Et quia, quod et heri diximus, ordinationes post obitum Sermi. quondam dni. Vladislai regis presentibus oratoribus utriusque Mtis. facte in bonum hujus Mtis. et suorum dominiorum paulo post ipsorum oratorum digressum immutate fuerunt, subsecute sunt quedam animorum alienationes et sententiarum varietates. Unde data est major occasio hosti faciendi multas incursiones, qui non cessat in dies plurima damna inferre, que omnia statum hujus Mtis. regie et sui regni multum labefactant. Quibus predictis s. Mtas. ces. cum prefato Sermo. rege Polonie obviare cupiens hoc infra scriptum consilium et hanc suam unanimem voluntatem vris. Dtionibus. commiserunt declarare.

Imprimis autem de sedandis simultatibus et complacandis dissensionibus ita censent, ita consulunt: ut depositis simultatibus et animis ad unitatem compositis amore domini sui et regni, in quorum perniciem potest vergere hujusmodi dissidentium discordia, sint jam concordes, sintque unanimes.

Et sperat S. Mtas. ces. unaque et S. Polonie rex, quod tales movebit ac trahet ad concordiam et unitatem talium ac tantorum autoritas id consulentium, movebitque res ipsa; quandoquidem hujusmodi discordie sunt regis et regni simulque et ipsorum pernicies.

Quare suadent petuntque etiam: ut quilibet faciat, quod expedit. Curent primum per intraneos, ut intra domesticos parietes suas differentias componere, et si res ita gravis aut implicata videretur, quod non posset complanari inter domesticos: commisit nobis Mtas. ces. una cum S. rege Polonie, demus operam simul cum hujus inclyti regni consiliariis tractando et conferendo has differentias sedandas curemus et animos dissidentium ad unitatem reducamus.

Quod si rem ad votivum effectum deducere fortasse non valeremus et nostram operam frustra impenderemus: rem totam et difficultatem ad notitiam predictarum Mtum. deduceremus.

Quod si autem esset forte aliquis, quod non suspicamur, qui sua pertinacia nollet animum suum ad concordiam inclinare, talis cesaree Mtis. simulque S. Polonie regis et Dominationum vrarum. omniumque proborum recto judicio non posset censeri nisi perniciosus et improbus, dominique sui ac patrie publicus hostis. Jamque ex nunc commiserunt nobis, ut tales, si qui forent, quod procul absit et quod nos minime credimus, ex vestris Dtionibus. cognoscamus et earundem consilio illis Mtibus. declaremus.

Utque similia postea non accidant, cum ob alia negotia regni tum etiam ob id ipsum volunt, quemadmodum etiam antea superioribus conventionibus optaverunt, ut suarum Mtum. oratores et consiliarii sint assidue ad latus hujus Mtis. Qui oratores et consiliarii cum dominis consiliariis hujus Mtis. caveant in posterum talia exoriri, et si acciderint, tollant non tam sua quam hujus Sermi. regis Ludovici et illarum Mtum., quas representabunt, autoritate

ritate

MDXVII. ritate et assistentia ac consilio senatus hujus Mtis. id quod tam ad pacificationem hujus regni, quam quietem et bonum statum hujus Mtis. reddundabit.

Et hec est illarum Mtum. quantum ad tollendas dissensiones et intestina odia sententia atque voluntas.

Quod autem ordinationes consiliariorum hujus regie Mtis. Ludovici post obitum prefati Sermi. domini Vladislai regis facte, fuerint aliquantisper immutate, quodque etiam alia decreta et constitutiones regni forte non ad plenum observantur, unde equitas pessundatur, jus et consuetudo regni perturbatur, quod item ea, que ad publicam utilitatem contribuenda essent non plene contribuuntur: aut que contributa sunt non fortasse legitime dispensantur, non sine regie Mtis. istius et regni injuria, damno atque indignitate factum. Unde accidit, quod justa debita non solvuntur. Propter quod proveniunt publice denunciationes in cedem et direptiones regnicolarum multaque latrocinia et grassationes et cum hoc etiam confiniorum desolationes.

Ad obviandum igitur predictis censent Mtes. ille, ut de medio vrarum. Dtionum. tam ecclesiasticarum quam secularium eligantur certi, qui hec videant et curent ista, curent inquam et videant: ut decreta et constitutiones effectum habeant, jura et consuetudines regni, observata ad omnes equitate, manu teneantur, improborum licentia coërceatur, quilibet ad suum officium reducatur et Sermi. dni. Ludovici regis autoritas custodiatur salva et integra per omnia. Qui etiam superintendendo de regis proventibus et publicis contributionibus recte ac integre exigendis, demumque etiam legitime erogandis superintendant sollicite, prout viderint melius convenire ad commodum ac honorem domini sui et regni.

Quod si viderint quempiam in his adversum sibi et renitentem et viderint, talem esse incorrigibilem, per autoritatem istius Mtis. et predictorum consiliariorum et auxilio ces. Mtis. ac Sermi. Polonie regis, si opus fuerit, poterint in eum procedere tanquam in perniciosum et boni publici turbatorem.

Qui quidem regentes seu superintendentes si inventi fuerint negligentes, habebit facultatem hec Mtas. cum consilio suorum et ces. Mtis. ac Sermi. Polonie regis consiliariorum tales ab officio removere atque alios utiliores substituere.

Et hec est illarum Mtum. sententia de equitate servanda, grassatoribus tollendis, regia dignitate retinenda, proventibus publicis juste exigendis et legitime erogandis idque genus.

Quod est autem ad defensionem publicam, quia Mtes. ille considerant, quod hostis in regno hoc depopulando utitur nunc levioribus viribus per crebras videlicet incursiones prout fecit hactenus, nunc autem, ut est suspicio magnaque indicia, timetur rem velle aggredi majoribus viribus. Quare verendum est, ne post subacta multa dominia auctus viribus, in regnum hoc, deinde in totam Christanitatem toto impetu irrumpat.

Ideo ad obviandum priori modo qui fit per excursiones ita censent ille Mtes., quia sciunt ex ordinatione et consuetudine antiqua hujus regni: quod omnes regnicole tam prelati spirituales quam barones sunt astricti ad servandum certum numerum armigerorum pro defensione publica secundum cujusque facultates. Qui exercitus trifarie divisus ita videlicet quod minori numero hostium minor exercitus, majori major et fortior objiciatur ad prohibendas excursiones si recte pro cujusque facultatibus ista fiant sufficere poterit.

Hec

Hec autem laudabilis consuetudo si forte discessit ab usu, censent revocandam, renovandam et in usum trahendam. MDXVII.

Item ut hujusmodi armigeris preficiantur imperatores seu prefecti prudentes et rei militaris periti, tot quot fuerint necessarii. Quandoquidem non unus fortasse est aditus hosti in regnum nec una porta tenenda presidio.

Item ut arces finitime sint firmis presidiis armisque et commeatibus bene provise, quibus preficiantur capitanei seu bani, viri boni et prudentes, qui sciant eas prout expedit custodire: qui etiam inter alia teneant in locis opportunis assiduos exploratores et continuas excubias, ubi commodius videbitur, qui de apparatu hostis resciant tempestive, explorent itinera, numerum et id genus. Et prefectos militum reddant super his mox certiores, ne hostis imparatos inveniat. Qui bani si fuerint etiam negligentes deponantur, ut de regentibus diximus.

Et quia indigent hec sumptu, ad quem suppeditandum prebent ille Mtes. consilium hoc: ut singuli regnicole, imprimis autem vre. Dtiones., qui estis capita, habito pio respectu imbecille etatis domini sui Sermi. regis Ludovici et imbecillitatis reipublice atque inopie erarii publici, inducant in animos, ut pronos sese ac faciles prebeant ad faciendam contributionem generalem secundum exigentiam necessitatis, ut contribuatur tantum, quo labenti regno succurratur.

Item ut proventus regii et quique alii bene provideantur atque dispensentur. Que si facta fuerint, sperant bene his rebus provideri posse.

Quod si forte consiliarii et oratores utriusque Mtis., qui erunt ad latus hujus Mtis. presentes, ita certum esse cognoscerent, quod neque regnicole possent tantum, nec publici proventus sufficerent: ex tunc S. Mtas. imperialis una cum Sermo. Polonie rege tanquam veri et fidelissimi fratres ac diligentes tutores volunt adhibere omnem curam et studium, ut de aliquo opportuno remedio provideant. Id quod facient non verbis tantum, sed effectu, dantes inde exemplum regnicolis, ut et ipsi quoque viso illorum prono pioque animo tanto sint et ipsi proniores ad providendum regno sibique ipsis.

Nominatim autem de comeatibus inducendis in Jaycze curabit ces. Mtas., propter imminens periculum, dare operam arcem illam bene providere: si honor illis Mtibus. delatus exhibeatur et consiliarii utriusque Mtis. fuerint per vras. Dtiones. suscepti ac voluntas illarum Mtum. effectu comprobata. Et hec sua Mtas. cesarea faciet sine mora, quam sentit esse periculosam: quandoquidem omnia illa, que sunt ad subsidium Jaycze, jam preparata sunt ac ordinata.

Ad obviandum autem alteri modo videlicet violentiori, qui metuitur ab hoste: quoniam pontifex maximus decrevit publicam expeditionem contra hostem ipsum, quam declaravit jam antea utrique Mti. illi, immo et aliis regibus et principibus christianis; cui etiam expeditioni prefecit utramque Mtem. illam. Que Mtes. jam, nisi hec dieta, quam imperialis Mtas. habuit sub hec tempora in Germania intervenisset ad invicem convenissent, super his jam consultaturi. — Et profecto id curant, ut simul conveniant, aut in propinquo sint, ubi valeant communicare consilia et cum suis ac aliorum principum consiliariis super his consulere, que ad propositum visa fuerint pertinere. Quorum habito respectu

MDXVII. respectu, junctis etiam hujus regni viribus, poterit dei adjutorio non huic tantum regno. verum toti Christianitati bene provideri.

Et hec est voluntas atque sententia illarum Mtum., quam prebent sincero animo pro fraterna atque paterna pietate et pro debito tutorie per divum olim Vladislaum regem eis credite, pro bono statu istius Mtis. tanquam filii earum charissimi. Cujus bono statui regnorumque suorum cupiunt recte consultum, et he sunt cause atque rationes: cur suos consiliarios ille Mtes. cupiunt adhiberi in senatum hujus Mtis.

Quod quidem suarum Mtum. consilium et voluntas non minus ultronea quam debita, si per vras. Dtiones. fuerit admissa, suscepta et observata, prout optant sperantque, etiam volunt re ipsa cooperari in id quod postulare videbitur publica defensio et bonus status regni. Et in omnem eventum dederunt nobis in mandatis, ut quecunque inter nos acta sint, illorum Mtibus. sine mora significemus et eas de singulis hic tractatis certiores reddamus. — Et interim tam diu hic perseveremus, donec ab eisdem Mtibus. responso habito, quid ultrius nobis sit agendum edoceamur et plenius informemur.

CXXI. Dominus Burnemissa misit hanc schedulam ad Sigismundum, Regem Polonie, ut cognoscat, quod pessime administretur Hungaria.

Drzewicius attulit.

Cod. R. Ex Crovatia populus abductus est, qui remanserant, timore Turcorum aufugerunt ad diversas provincias, plures ad dominia Venetorum.

Adhuc restant aliqua loca munita, ex quibus coguntur exire, vel fame ibidem mori.

Corbavia omnino desolata est. Adhuc spirat filius comitis Caroli cum presidio reg. Mtis. et domini cardinalis Strigoniensis, cujus sororem pro uxore ducet, et uti intelligitur providebit sibi in Slavonia de castris aliquibus.

Bosna nullum in campis habet habitatorem, occupaverunt Turci omnia, adhuc restat illa civitas Jaycza adeo munita cum pauco presidio, et aliqua loca sine presidiis, que sunt in extremo et quotidiano periculo. Deus poterit preservare, sed vix a nostris si peribit Jaycza, quod deus longe avertat. De nostra Slavonia et Hungaria taceo, sed brevi sentiet Stiria et Carintia, Carneola, Boricza, Austria. Sicco pede poterunt penetrare Turci usque ad Danubium.

Treugas Turcorum intellexistis sub nube, ut in aliis agitur; medio tempore contra Turcum presidia nulla, que vero ad confinia, parva, vel quasi videantur sine ordine et illa nulla.

De rebus bohemicis intellexistis, quod sunt litere regie Mtis., quas thesaurarii confecerunt, Bohemis, Slesitis, Moravis et Almanis aliquibus curialibus cum minoritate verborum ut non minus quotidie speratur excidium regni quam Turcorum, et jam inceptum est et parvam curam gerunt.

Proventus similiter quasi universi regie Mtis. per eosdem thesaurarios literis regie Mtis. sunt obligati

obligati etiam ad futura, ex quibus et ista solvi debent et regia Mtas. vivere et curiales conservare posset. MDXVII

Domus Tavernicalis *) regie Mtis. clausa, salvis auro et argento, lapidibus, omnes res sue Mtis. et sericee et texture, que multa milia flor. valerent per tineas et vermes corrumpuntur.

De domina nostra Anna, qualem curam habent, consideret mente quispiam, ubi rex in tam excellentissimis regnis vix cum suis curialibus se conservat et vix aliquando coquine provident, et vix aliquando pro offertorio et pauperibus dum vadit ad monasterium unum vel duos florenos mittunt, et aliquando minus, quod absurdum esset audire.

Summus pontifex offert se ipsum et thesaurum ecclesie et principes catholicos confecta pace etc. et providit, cum in Posonio erant principes, regie Mti. de viginti milibus florenorum in Posonio per nuncium suum contra Turcos, et exposita sunt ut alia etc. Ad castra vero finitima pulveres, ingenia et victualia cum pecuniis salvis prescriptis usque ad summam septem milium florenorum. Et nisi illa in absentia sue Mtis. fuissent: nescimus qualiter et illa loca mansissent, que nunc famescunt et sunt in periculo.

Qualiter oratores tractantur experimento habetis. Quid de Turcis et aliis minorum principum absurdum esset audire.

Cancellaria aversa est, et non est, qui reformet. Vadit sigillum sine ordine, et ista est non parva minoritas regni, quoniam aliquando nullus consiliarius preter thesaurarium; modernus vero aptus est ad officium ut selle gestande cum reverentia porcus. Iste enim in pignore posuit quasi omnes proventus regie Mtis. et predecessor R. Mtem., nunc jam inceptum est in pignore ponere civitates, quia castra non sunt, et que sunt, non possunt.

Oppressi clamant: spoliati, verberati, expulsi per majores et potentes, vidue, orphane plorant, conqueruntur, alii interficiuntur: nulla justitia, nisi omnia favoribus plena, vadunt, nisi aliter provideatur.

Rex in omnibus ecclesiis regni, episcopatibus, capitularibus, que sunt loca capitularium, preter Bohemiam, nullum beneficium potest conferre. Omnia sunt in manibus prelatorum baronum et nobilium, et unum capellanum vel duo non potest nutrire in curia sua, sed vacua est curia sue Mtis. doctis viris preter paucos, qui de proprio plus vivunt quam de provisione regie Mtis.

Solum restant episcopatus et majores ecclesie, que similiter pro eorum arbitrio disposita sunt.

Officia confiniorum et aliorum pro tutela regni contra inimicos non conferuntur minoribus qui scirent militare pro majoribus, qui ignorant militiam, per quod jam castra multa finitima perierunt, et hec forsitan ideo ut hi, qui per malam potentiam vivere solent, eorum desideriis satisfaciant, et hi nunc quoque omnia faciunt, omnia tractant et omnia tam apud regiam Mtem. quam apud regnicolas concludunt. Et hi sunt confederati literis, fide et pravis promissionibus: et dum objiciuntur eis, dicunt, non contra regiam Mtem. sed in eorum defensionem fecisse.

Est ita vera fidelitas: ubi quis Judeo et suo regi et in servitiis non confidit.

Ista est major destructio regni, quia in istis confederatis confidunt multi, tam ex nobilibus

*) Aurifodinae.

majoribus

MDXVII. majoribus, quam ex minoribus baronibus, ut nullus bonus ordo regni stabiliri potest propter confederatos.

Immo quasi in omnibus comitatibus majores certi nobiles confederati sunt et nullus ordo juris et justitie locum habere potest. Et sic, ubi non regnat justitia: quale sit regnum videant et alii judicent.

Propter que deus hoc regnum afflixit ante duos annos, et timendum est iterum de flagello dei hic in regno per bella intestina; quod forsitan brevi erit, quoniam populus communis plorat in confinibus et clamat ad deum incessanter.

Non est, qui aperte audeat loqui, nedum operam pro tanto principe tenero, optimo et a deo omnibus ornato, et pro tam nobilissimo regno christiano ex majoribus, ubi non deficiunt auxilia vicinorum tam subditorum et multorum. In dei quoque clementia etc.

Cesareis et me poscentibus, ut inducie cum Turco componerentur, responsum est: non esse opus accelerare ad eas inducias componendas, Turco aliis actionibus occupato nunc existente, quinimo superintendendo, quomodo actiones sue sibi succedant. — Videtur preterea, ut reditus eorum nuncii, quem ad ipsum cesarem et oratorem suum apud Turcum existentem misissent expectetur. Eundem vero indies redire sperant. Nam se significasse nonnulla, suo oratori illic agenti dicunt, que ad hoc negotium pertinent. Et ita postea poterint inducie cum Turco componi et honeste et utiliter.

Timent preterea ne sub induciis castrum periclitetur, quemadmodum et plura alia castra eodem modo periclitata sunt. Nam Turci consuetudinem eam esse dicunt: quod etiam sub induciis semper intentus existat, ut sibi commoda procuret.

Preterea omnis subsidiaria contributio a regnicolis negaretur, ubi cognoscerent esse inducias. Et sic in hac inopia castra in finibus in periculum ponerentur, cum facultates non essent, quibus servari possent.

Se brevi conventuros in Varadino dicunt, ut illic de regni atque regio statu ordinem ponant conservando. Illic quoque volunt concludere, quid de induciis agendum et demum volunt Mti. vre. significare.

Petunt, ut vra. Mtas. tam diu Turci oratorem penes se teneat.

Replicationes sunt facte tam cesaree Mtis. nomine, quam vre. Mtis. inducias suadentes etc. tamen a sua sententia concepta abduci nequaquam poterunt.

Ibi Cardinalis declaravit et depinxit situm Jaycza et in quibus punctis periculorum existat.

De arbitris ad fines Colomienses mittendis dictum est, nunc tempus non esse. Ex quo vojevoda nuper electus et constitutus, patre volente et proceribus assentientibus, nondum etatem habeat regimini congruentem, neque adhuc firmus in suo statu existat. Videtur consultum, ut aliquandiu hoc negotium quietum habeatur, donec cognosci poterit: quorsum et in quam spem status res sue declinabunt. Hoc vitandum putant, ne dum aliquid nunc aliud ageretur cum eodem vojevoda moldavo, *Malkocz* inde occasionem accipiat et Moldaviam occupet.

Petunt

Petunt autem dni. Hungari: ut gentes regie sibi, ubi opus esset et vi aliqua opprimerentur, auxilia ferant. Itidem et ex Hungaris facere vellent. MDXVII.

Et hic replicatum est tantum quantum ex re visum est.

Commissarii de injuriis in finibus regnorum componendis ex varadiensi conventu designaturi sunt et tunc certiorem facturi Mtem. regiam de termino et personarum qualitate.

CXXII. Arces Regni Bossnensis.

Cod. R.

Jaycze Jezioro Banialuk	adhuc in potestate regis.
Boczeth Cosser Camoczin Camenrad Prussicz Trawnik Sokolowo hniesdo Sokol Srebrnik Warbusch Koszar.	in Turci potestate sunt.

Provincie seu regna subjecta Selembeg magno XIII Imperatori Turcorum.

IN EUROPA.

Missia superior	Macedonia
Missia inferior	Thracia
Illirie pars	Grecia
Dardania	Achma
Dacie pars	Etholia
Pontus Euxinus	Peloponessus

Eubea.

IN ASIA MINORI.

Bithynia	Licia	Arminia minor
Troias	Paphlagonia	Syria
Pontus	Galathia	Phenicia
Lidia	Pamphilia	Palestina
Asia minor	Capadocia	Judea
Meonia	Isauria	Arabia petrea
Caria	Cilicia	Arabia deserta.

In

MDXVII. In Asia majori quid teneat ignoratur, ubi alias superavit Casilbasa Sophi dictus et Lesilbassa, qui defert viridea Zarkula. Est potentissimus princeps et est etiam cum Sophi, ut dicunt plerique hominum, confederatus.

IN AFRICA.

Egiptus	Erembi
Arabes egiptii	Cirmei

Ultra habet Arabiam felicem, in qna est Mecha, sepulchrum Mahumetis.

CXXIII. Responsum a Rege Hungarie Ludovico Oratori Cesaris Maximiliani et Sigismundi, Regis Polonie.

Cod. R. Quoniam circa postulata et expeditionem Dtionum. vrarum. satis abunde per hos dies cum Dtionibus. vris. medio dnorum. consiliariorum jussu et commissione s. reg. Mtis. actum et tractatum est, non putat Mtas. sua opus esse, ut multis et prolixioribus verbis nunc agatur. Quam brevius igitur potero iussa Mtis. sue absolvam.

Imprimis itaque Mtas. sua agit et habet immensas gratias illis S. cesaree et S. regie Mtibus. tanquam fratribus et patribus atque consanguineis suis charissimis, quod Mtes. ipsarum inter tot et tantas ipsarum curas et occupationes dignate sunt etiam de sua Mte. et rebus ac statu suo curam singularem gerere et ipsas Dtiones. vras. ad suam Mtem. et conventum jam exactum mittere, quo Dtiones. vre. omne bonum commodum Mtis. sue ac conservationem, quietem et tranquillitatem et defensionem omnium subditorum sue Mtis. procurarent, tanquam pro propriis Mtibus. suis, ac dominiis suis patrimonialibus etc. Profecto si deus vitam Mti. sue prorogaverit, pervenietque deo ipso juvante ad eam etatem, et vires ac ingenium magis etiam opitulabuntur, beneficio certasse nunquam peniteat atque ejuscemodi amoris ac paterne sollicitudinis fraterneque benivolentie nunquam est immemor futura, studebitque eidem Mtibus. non modo gratias habere, verum nacta opportunitate et habita facultate cumulatissime etiam referre.

Deinde exposuerunt Dtiones. vre. nomine illarum Mtum. optantes, ut pro executione tutele ac protectionis et pro satisfactione dicti paterni et fraterni amoris ex parte cesaree Mtis. duo consiliarii et oratores intersint et interveniant regimini sive gubernio curie regie Mtis. petuntque tam Mtem. suam quam celeberrimum senatum Mtis. sue, ut jam tandem bona et necessaria conclusio nunc fiat de admissione suprascriptorum prout plures conducibiles causas et rationes, quas Dtiones. vre. prudenter ac cum magna gravitate disseruerunt et explicarunt.

Ad hec Mtas. reg. in hunc modum respondet: quod ipsa neque modo et hoc tempore aliter cum consilio suo se resolvere ac respondere potest, quam quod prius respondit: quod videlicet ipsa nunquam ab amicitia, amore, fraternitate et protectione illarum Mtum. patrum, fratrum et consanguineorum suorum fugit, nec ulla via ab eisdem vult unquam alienari, immo

immo omnem spem atque fiduciam in Mtibus. suis tanquam parentibus charissimis collocavit illasque tanquam tales optimos patres, fratres, tutores et protectores atque affines semper venerari atque observare et earundem auxilio, favore et benivolentia in occurrentibus et necessariis rebus libenter uti intendit. Sed quod ad ulteriora Mtas. sua se extenderet aut de iis ad particularia veniret, id facere non potest, tum quod putat esse minus necessarium, tum quod plerique ex dominis ac regnicolis ad hanc dietam venire non potuerunt et modo absunt propter pericula, que tam propter obitum Moldavi, quam etiam alias crudeles Turcorum machinationes imminebant et nunc imminent, et que etiam fuerunt cause, quod nec de aliis rebus regni quidquam est tractatum aut conclusum. MDXVII.

Rogat igitur Mtas. regia S. illas Mtes.: velint boni consulere et contente esse et hoc responsum in optimam partem interpretari et Mtem. suam tanquam filium ipsarum charissimum commendatum habere.

Quantum vero ad negotium bohemicum attinet: sciunt bene Dtiones. vre. dietam in Bohemia uti statuerat Mtas. regia non esse celebratam: nec scire adhuc potuit, quidnam ibi actum sit. Esset autem Mtas. regia contenta, quemadmodum Dtiones. vestre nomine illarum Mtum. cupiunt, celebrationem diete in Bohemia usque ad festum proximum Scti. Michaelis differre. Sed quia, ut dictum est, ignorat sua Mtas., in quibus terminis res sue istic existant, igitur vult experiri, quid actum sit, et si videbit, dietam ipsam posse differri usque ad dictum festum Scti. Michaelis absque incommodo et detrimento rerum et negotiorum Mtis. sue, libenter faciet, et prefatum diem hujusmodi diete constituet. Si vero incommodo ac detrimento rerum Mtis. sue differri non potuerit, in quocunque termino illa celebrabitur, curabit Mtas. regia quam primum illas Mtes. reddere certiores, ut suos quoque oratores ad eandem mittere possint.

Dabit autem Mtas. regia oratoribus suis ad ipsam dietam proficiscentibus eam instructionem et informationem et in omnibus declarabit, se cum illis Mtibus. unum esse, illasque tanquam patres, fratres, tutores ac protectores observare ac venerari, et esse inter eas unum nolle et velle, atque eisdem oratoribus committet, quod ita se in omnibus cum dictis oratoribus Mtum. suarum gerant, ut quanto magis absque lesione et diminutione dignitatis Mtis. sue fieri poterit, sese voluntati illarum Mtum. conforment ac accommodent.

CXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie et Bohemie, Nepoti suo.

Serme. princeps etc. Accepimus literas vre. Mtis., quibus nobis scribere dignata est, res bohemicas multum exigere, ut illic conventus generalis haberetur, de cujus termino convenisse se pridem cum nostris et cesareis oratoribus, qui erant istuc apud se in conventu preterito regni sui Hungarie, ut esset pro festo S. Michaelis proximo misisseque se tabellarium ad ces. Mtem. cum literis, quibus eam de ea ipsa re certiorem faceret sententiamque illius ces. Mtis. acciperet, utrum pro eodem termino conventum ipsum agi an aliquo alio ulteriore placeret, postulatque a nobis vra. Mtas. ut nos sibi quoque sententiam nostram significaremus Cod. R.

MDXVII. significaremus et oratores nostros ad eundem ipsum conventum regni Bohemie cum, accepta cesarea sententia, visum fuerit illum statuere, mittere curemus.

Equidem Serme. rex et amantissime nepos magne nobis sunt cure omnia Mtis. vre. et regnorum ejus negotia adeo, ut illa juxta cum nostris propriis estimemus. Nos ut Mti. vestre satis constat nihil hactenus studii et opere pretermisimus ut quantum officii nostri esse videbatur et Mtas. vra. postulabat, quam optime rebus et statui illius ac regnorum ejus consuleretur. Verum ex duabus oratorum nostrorum preteritis expeditionibus, quas illuc in Bohemiam ad postulata Mtis. vre. fecimus, altera quidem nullum fructum attulit, qui fieri tamen potuisset, ni ut intelleximus ipsi oratores vestre Mtis. res omnes infecissent, altera vero penitus frustra fuit, nemine tam a vestra quam a cesarea Mte. in conventu illo designato constituto.

Preterea Mtas. vra. sero nos semper de hisce regnorum suorum conventibus edocere illosque rebus nec ad id dispositis nec in aliquo solido constitutis indicere solet, quo fit, ut hactenus illi ne quicquam agi et missionis nostre nullum Mti. vre. commodum, nobis vero nonnihil indignitatis afferre consueverint. Quod et nunc si fiat ipse illic in regno Bohemie conventus futurus non ambigimus, presertim et cesarea Mte. et nobis tam procul degentibus et aliis variis curis et belli turbinibus districtis. Quare consilii nostri est et rogamus Mtem. vram., ut ab institutione ejusdem conventus paulisper supersedere velit, donec nos hinc ad regnum nostrum revertamur et Mti. vestre appropinquemus. Quod quam primum compositis utcumque rebus nostris facere properabimus. — Illic enim accepto cum cesarea Mte. mutuo consilio, qualiter essent res instituende, quo idem ipse conventus bohemicus congruo et debito modo agi posset, ut ex usu aliquo vestre Mti. et ejusdem regni esset, commodius et efficacius omnia fieri poterunt, et nos quatenus intelligemus, opus esse et cum Mti. vre. tum regnis ejus conducere, non mittere modo oratores nostros ad ejusmodi conventus, sed omnia alia prestare, quecunque facultate et opera nostra consequi poterimus, quo Mtas. vra. una cum regnis suis, quam optime et tranquillime degat, sumus et erimus semper paratissimi. Que sit felix et incolumis nosque quod facit et debet mutuo diligat. Datum Vilne.

Ad Conventum Bohemiae designatus
Andreas de Thanczin, palat. lublinensis.

CXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Andree de Thanczin, Palatino Lublinensi.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Gratum est nobis tue Stis. obsequium, quod onus hoc legationis subierit, sed quod nobis de instructione scribit, nescimus, quam illi dare deberemus, cum non in nostris, sed Sermi. dni. regis Ludovici rebus illam istic misimus. Itaque aget omnia juxta res occurrentes innitendo commodis ipsius regis Ludovici et dignitati nostre prout melius expedire intelliget, nihil tamen sine mutua intelligentia et consensu oratorum cesaree Mtis. faciet.

Quod

Quod vero ad religionem attinet, si vellent ipsi oratores cesaris Mtis. aliquid movere, nobis non videtur, ut id nunc fiat, propter multas causas. Et proinde Stas. tuo ad hoc se non ingerat. MDXVII.

Literas, quas habere voluit Stas. tua, tam de tutoria quam aliis privatis rebus etiam cum mandato generali eidem Sti. tue mittimus, quibus ita, ut opus erit, utatur.

CXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Oratoribus Cesaris Maximiliani ad Conventum Bohemie missis.

Rev. spectabiles et mgci. sincere nobis dilecti. — Statueramus deinceps ad conventus istos nuncios non mittere, utpote ad incertos et semper sine scientia nostra indictos. Verum postulante id officio nostro et rebus Sermi. domini regis Ludovici, misimus istuc presentem mgcum. Andream de Thanczin, palatinum lublinensem, chelmensem, rathnensem capitaneum, consiliarium nostrum, cui id imprimis commisimus, ut omnia mutuo consensu et consilio cum vris. Dtionibus. et juxta instructionem, quam ex Hungaria secum attulerunt, vel afferre debuerunt, ageret et tractaret. Et proinde postulamus ab illis, ut pariter congruis animis cum eodem nostro nuncio id omne agant et consulant, quod ad mutuam concordiam et pacem statuum istius regni et commodum prefati Sermi. regis Ludovici pertinere videbuntur, prout in earum virtute et prudentia confidimus. Que bene valeant. Datum in arce nostra Braczlaw die SS. XI milium virginum. Cod. R.

CXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis, Nobilitati et Civitatibus Regni Bohemie.

Spectabiles, mgci., nobiles, generosi, famati sincere nobis dilecti. Mittimus in medium vri. postulantibus id rebus Sermi. nepotis nostri, regis Ludovici, et istius regni sui ac officio nostro, mgcum. Andream de Thanczin, palat. lublinensem etc., ut una cum cesareis et prefati Sermi. regis Ludovici oratoribus cum vris. Dtionibus. agat et consulat ea omnia, que ad mutuam concordiam statuum istius regni simul et ad bonum et commodum ejusdem Sermi. regis Ludovici spectare videntur. Quare hortamur vestras Dtiones., ut quodcunque egerit, dixerit et tractaverit in omnibus premissis, perinde illi credere velint ac nobis ipsis, nosque omnia rata, grata et firma habituros non dubitent. Et bene valeant. Datum in arce nostra Braczlaw d. ss. XI milium virginum. Cod. R.

CXXVIII. SIGISM.

CXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Dno. Perstinski, Bohemo.

MDXVII. Cod. B. Spectabilis et mgce. sincere nobis dilecte. Quemadmodum ad nostram intercessionem Sermus. olim frater noster, dnus. Vladislaus rex donavit Posonii corpus unum ex quinque fratribus heremitis, qui sunt istic in regno Bohemie, rev. dno. epo. posnaniensi, consiliario nostro, et tue Mgcie. hoc negotium commisit, postulamus ab illa, ut ipsum corpus jam vel mittat ad nos per presentem oratorem nostrum, vel si sola ad nos veniet, secum illud adducat. — Rem nobis multo gratissimam faciet. Que bene valeat.

CXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Domino Rachembergk.

Cod. B. Generose grate nobis dilecte. Retulit nobis mgcus. Andreas de Thanczin, palat. lublinensis, quod ei magno adjumento et honestati fueris istic in priori conventu regni Bohemie. — Quod libenter audivimus, et postulamus a te, ut nunc pariter illi adsis in omnibus, que intelliges ad honorem et dignitatem nostram expedire. Rem nobis gratam facies et dignam tuis de nobis meritis.

CXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Regi Hungarie etc.,

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Serme. princeps. Reddite sunt nobis litere vre. Mtis., quibus imprimis gratias nobis agit, quod ad se oratores nostros insignes miserimus, qui sibi in negotiis suis adessent, declarat deinde institutum suum congrediendi cum Sermo. rege Ferdinando Vienne pro festo S. Joannis proximo et inter alia negotium nostrum pruthenicum tractandi, cujus causa foveret in presens apud se Illtrem. magistrum ordinis pruthenici, cohortans nos, uti ea que necessaria essent ad hoc ipsum negotium illic conficiendum curaremus. Postulat preterea, ut pacem quoquo modo ineamus cum hoste nostro Moscorum duce et ut secum Posonii aut alio loco magis apto conveniamus, sperans fore, ut et Sermus. rex Ferdinandus eo veniret et res omnes ac status communium regnorum nostrorum hoc pacto melius quam ullo alio modo constitui possent.*

Nos, Serme. rex et nepos noster amantissime, non gravati sumus unquam nec gravabimur in posterum, cum alia omnia prestare causa Mtis. vre. que possumus, tum oratores, quales postulat, mittere, verum mallemus illi hoc impendio militibus adesse, ubi opus foret, quam hujusmodi oratorum missione, qua per tot annos et totiens facta nescimus prorsus quid inde unquam commodi et vre. Mti. et et nobis accesserit, presertim cum etiam intelligimus, vestram Mtem. consilia et suasiones oratorum nostrorum, que in rem et dignitatem utriusque nostrum cederent, minus sequi. Negotium autem pruthenicum quod magni est momenti et quod nec facile confici nec leviter aggredi

gredi possit, vra. etiam Mtas. nunc cum Sermo. rege Ferdinando congrediens satis superque negotii habebit in curanda et statuenda communii defensione, Nos hic extra regnum et absque consiliariis nostris, quorum interest, existentes, nequaquam possumus in presens, ut Mtas. vestra censet, illud exequi, sed et ipse Illris. magister solus istic absque membris sui ordinis existens, nescimus, quid in ea re constituere posset, cum hactenus omnia etiam minima queque in eos referre solebat, aut, si constitueret quidpiam, id procul dubio posthac dissueret, cum et nunc concordiam tam solenniter factam, tantoque tempore actam et servatam hostilissimis et multum alienis a sua professione artibus et conatibus infringere nitebatur semper, ac etiam nunc a ceptis non desistit. Quem cum ita sit, tanto in honore et gratia haberi apud Mtem. vram. et miramur plurimum et non possumus non gravissimo animo ferre; nam neque nos ea necessitas adigit, ut illum mulceat Mtas. vra. causa facilioris concordie, neque ille ejus animi est, ut pilum mutet ulla benivolentia aut officio, quum etiam cristas inde magis erigere solet. Verum misimus nos jam nuncium nostrum ad cesaream Mtem. et alios principes, qui arbitri futuri sunt, postulantes, uti rem hanc celerius aggredi et certum terminum ac locum, quo agi deberet, nobis designare vellent. Id cum factum fuerit, communicato cum Mte. vra. consilio, cui soli non putamus, dnum. magistrum tantum crediturum, hoc quod opus erit ad rem ipsam mature aggrediendam et conficiendam exequemur. Nam et nunc satis negotii habemus in pace vel induciis ineundis cum Mosco, ut Mti. vestre adesse commodius possemus. Qui cum nuper ad nos oratores suos hac causa misisset, nosque ad illum vicissim sumus propediem missuri, speramus alterutrum, pacem videlicet aut inducias secum ex sententia nostra initurum. Unde etiam Mtas. vra. colligere potest, quam integrum sit nobis hoc tempore cum illa convenire, quandoquidem ob tanta locorum intervalla ipsum negotium cum Mosco tam repente confici non poterit; sed etsi veniremus ipsi ad Mtem. vram., uti id ex animo vellemus, nescimus, quid commodi illi afferre posset adventus noster sine propensione et unanimi voluntate subditorum Mtis. vre. ad rationem defensionis et que necessarie sunt curanda. Proinde rogamus plurimum Mtem. vram., ut adnitatur imprimis cum consilio suorum regnicolarum et consiliariorum res domesticas statuere ac disponere et deinde ea, que ab externis expectat, que posteriora sunt et spei posterioris, exequantur, nostrosque oratores et eos, qui recta suadent, non obaudiat. Nos vero, quidquid necessarium, utile ac salutare putaverimus unquam Mti. vre. id et suggerere illi pro viribus nostris et in omnibus adesse nunquam gravabimur. Jamque alias illi significavimus, qualiter nobis de officiis vacantibus videretur disponendum ex usu et dignitate Mtis. vestre, quam plurimum rogamus, ne hac in re consilium nostrum posthabeat, et quia scimus, magnificum Thirszka et dignum esse et qui Mti. vre. plurimum semper conducere posset, eam etiam atque etiam rogamus, ut illum ad officium succamerariatus regni sui Bohemie provehere dignetur, quo nobis faciet rem multo gratissimam et sibi suoque statui recte consulet. MDXVII.

Commisimus reliqua oratori nostro apud vram. Mtem. agere et referre illi nostro nomine, quam plurimum rogamus: ut et fidem illi adhibere et consilia ac postulata nostra ejus ponderis habere dignetur, ut ex debito et integerrimo animo nostro proficiscuntur. — Valeatque felicissime Mtas. vra. et nos diligat. Vilne.

CXXXI. SIGISM.

CXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Marchioni, et Burnemisse.

MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Ill. princeps etc. mgci. dne. etc. Scribimus Sermo. dno. regi Ludovico postulantes, ut terminum dni. ducis Kazimiri thessnensis, quem habet Vratislavie cum dno. duce rathiboriense ratione false monete ad festum S. Venceslai proximum, differre sua auctoritate dignaretur ad dominicam Jubilate. Quum enim ex ipsa falsificatione monete damnum ingens regno nostro est illatum, interest nostra, qualiter id judicium agi deberet, cui et cesareos et ipsius Sermi. dni. regis Ludovici ex utroque regno consiliarios adesse vellemus. Itaque rogamus Dtiones. vestras, ut operam suam adhibeant, quo ejus Mtas. in ea re postulationi nostre satisfacere velit, ut et nos id, quod instituimus, commodius ad effectum deducere possemus.

Ceterum retulerunt nobis oratores nostri, quos istuc ad conventum preteritum S. Georgii miseramus, curam et diligentiam vrarum. Dtionum. circa custodiam persone et rerum dicti Sermi. regis Ludovici. Rogamus illas, ut eo tenore persistere velint, referet illis demum ejus Mtas. hanc fidem et studium illarum et nos pariter omni gratia et favore. Quod autem ad traductionem ejus Mtis. ad locum alium attinet, nobis non videtur ita simpliciter faciendum, ne quis motus inde oriretur, sed si id faciendum omnino expediret, facerent Dtiones. vestre cum consilio rmi. dni. cardinalis strigoniensis et aliorum benivolentium sue Mti.

CXXXII. Gesta in Oriente inter Sophim et Soldanum et quomodo Turcus cepit Alepum, Damascum et Hierusalem, qui voluit audire Missam apud sepulchrum Jesu Christi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Universis et singulis Christianorum principibus ac dominis. Significamus vobis quemadmodum die VIII Junii MDXVI. Solimus XIII imperator de domo Otomannorum bello superatus nobilem Anagorie civitatem amisit, cum fidem non servasset cusso Lambectio Soldano Cayri dno., qui illatam sibi injuriam ulcisci cupiens jussit omnes duos duces ac principes ad consilium vocatos venire, vocavitque suum filium Abel, deditque illi jus regni et coronam, ut posset omnia suo arbitrio agere tanquam verus imperator ac dnus. Qui quidem Solimus magnum preparavit exercitum equitum peditumque XL milia et ipse totius exercitus dux preter illum solum ducem Vallonie, qui ductabat equitum ac peditum numerum X milia absque bellicis tormentis, qui cum principe restiterant, quorum numerus inter magna ac parva CCC decreverunt cum toto hoc exercitu contra Soldanum, et hoc gestum fuit XX Junii. Itinere itaque XXX dierum peracto pervenerunt ad quandam urbem ipsius Soldani in confiniis maximi Turcorum posuitque castra sub ipsa urbe. Expugnatam itaque per triduum eam urbem tandem vi cepit omnesque ejus urbis incolas in ore gladii percussit. Illinc postea digrediens Antiochiam versus iter faciens, eam cum omnibus circumstantibus comprehendit die VIII mensis Octobris. Deinde Alepum potens, ubi Soldanus maximum preparaverat exercitum, equitum et peditum XXX milia, excogitavit investire magnum dnum. Turcarum et profligavit prima presidia. Sed Soldani milites conatum fecere, ut Turcarum gentes diriperent, totoque

que illuc adveniente exercitu ac bellicis tormentis ultimo facto conatu universo profligavit, quia sine ordine pugnabant. Soldan itaque hac re male patrata consuluit fuge cum multis ex suis ducibus, sed paulo post in eo conflictu interemptus fuit cum octo ex suis collateralibus. Hac itaque re bene gesta, maximus Turcarum dux triduo ibidem requievit, quarta autem die Alepum profectus est, quam demum cepit, ubi maximam auri argentique copiam invenit, ex qua totum exercitum recreavit. Postriduum vero Damascum petiit ac eam vi cepit. Ubi XX diebus commoratus pervenit Hierosolyma cepitque omnes circumstantes urbes et oppida, numero XXX. Accessitque ad sepulchrum Christi, ac totum illum parietem, quem Soldanus ibi fabricari jusserat, dirui jussit, ut sepulchrum ipsum clarius cerneretur, voluitque ibi rem sacram fieri h. e. audire ibi unam missam a fratribus S. Francisci, quibus largitus est X milia asprorum et simili modo eisdem fratribus II milia ducatorum annuatim ex censu, quo viverent, elargitus est. Item edictum fecit: ut omnes et singuli Christiani, qui Christi sepulchrum adire vellent, essent liberi et nihil aliud solverent quam XII aspros absque aliquo incolarum timore. — Ibi X diebus requievit; deinde est Cayrum profectus. Est autem nunc Cayrus, que olim Memphis dicebatur. Discessit autem Hierosolymis die XXIV Januarii MDXVII. et in eo itinere invisere voluit corpus dive Catharine in monte Sinai spacio III dierum a Hierosolymis. Jussit itaque dux ipse Turcarum aperiri ipsius dive Catharine sepulchrum inspexitque corpus illud ita recens et integrum tanquam si ea die ibi positum esset, et adoravit illud. Peracta oratione vocavit ad se Calairos et donavit illis X milia seratos aureos. Item dictus dux preparato maximo pro itinere commeatu propter longa itinera asperaque et arida et arenosa sitibundaque et inculta loca oneravit utribus aquarum plenis et ceteris necessariis rebus XIV milia camelorum et CC currus, tormentorum bellicorum mille, munitionum plaustra numero majore. Progressi itaque die I Februarii. In quo quidem itinere multi occubuerunt tum propter itineris ac solitudinis magna incommoda. Peractis XVII diebus hora XVIII die vero Jovis, unde Mamaluchi investierunt dnum. Turcum, et qui cum essent fessi et agitati laboribus, idem dux fecit eos regulari mil. XX. Videns itaque dnus. Turcus inanimatos sollicitabat omnes suos duces, item armigeros aliasque gentes excitabat. — Nunquam Cesar bellum die nocteque tale gessit, unde vi bellica menia diruerunt. Videns itaque Soldanus hujusmodi infortunium cum IV milibus equorum arripuit fugam, ne in hostium potestatem redigeretur aut turpiter jugularetur. Absoluto bello die Veneris hora XXIII dnus. Turcus requievit dies IV. Interim suorum omnium numerum recensuit, ubi desiderata sunt XXXVI milia suorum. Ethiopum autem non erat numerus. Unde existimatur, ex utraque parte cecidisse supra C milia pugnatorum. Princeps autem iste Turcarum jam victor urbem Cayri die XX Februarii ingressus est. In primo autem ingressu erant omnes Jeniczeri et Timerati, secunda cohors erant omnes Asapi et Pretoriani. In horum medio ipse dux sub vexillo et cyniphio alboque villo, quod Zampoletum appellant, et is auream sagittam manu gestans. Post eum vero sequebantur XIV milia equorum omnes quidem preciosissimis stragulis atque phaleris adoperti. Et in ipso urbis Cayri ingressu omnes populi egressi extra urbem, ut cum honore et laudibus novum principem exciperent, omnes etiam vociferantes, hunc ipsum totius orbis futurum imperatorem, liberaturumque Cayrum ex diuturna ac durissima servitute, et is maximo comitatu stipatus usque in regiam sive palatium principale, ubi preparatum erat aureum solium, in quo collocatus fuit. Cui assignate sunt IV milia clavium totius Cayri et XXII cameli auro onusti et argento. Item ipse Turcarum princeps edixit per preconem sub MDXVII.

 capitis

MDXVII. *capitis pena, ut nemo vexaret Christianos, quos Francos appellant, neque Ethiopum mulieres infestarent, unde maximo cum honore, ab omnibus exceptus est.*

Ex rebus gestis non omnia, sed quedam descripta sunt, que minime silentio pretermittenda erant, scripsimus. Sit felix B. V. VIII Junii.

Copia literarum ex Neapoli.

Noviter XXVII. preteriti mensis Sophis erat distans itinere dierum trium a territorio dni. Turci, quotidie tamen ejus acies incursiones faciebant usque in confinia dni. Turci, non sine maxima ejus gentis jactura et incommodis. Propter quod Cherses bassa fuit creatus belliarchus Natolie tutandi confirmandique causa territorii, cum cerneret instare magnum periculum, ablatam provinciam renuit, asseverans: se nolle talia et tam periculosa negotia gerere. Maximus itaque Turcus sub rebellionis pena ei precepit, ut tali negotio et officio fungi deberet. Coactus itaque magno cum belli apparatu ex numerosissimo exercitu trajiciensque eum per Natoliam, sed invitus eam sumpsit provinciam.

Recens vero classis Turci Constantinopoli preparatur, que est triremium L et pro majore parte triremes et IV. navilia, et in hac epistola scripsi paulo ante, preparat et accingit se futuris bellis per totum presentem mensem, ut creditur, navalibus solvet expectanturque in dies navigia coppe, quibus certitudo hujus rei intelligetur et de singulis vos certiorem faciam, notificans vobis in dies, que acciderint.

Die vero XXX Julii quidam noster, cujus fui in colloquio cum secretario tabularii peloponensi, qui appellatus est Cernota, sed christianus. Est autem Peloponnesus, que nunc Morea dicitur. — Retulitque ei qualiter die XXIX eiusdem mensis venit ex porta quidam curialis nomine Amelis ad eundem tabularium. Qui fecit edictum ex jussione maximi Turcarum, ut prepararet omnes remiretos et Turcas, qui essent in Peloponneso, ut prepararent se, ut secundo edicto accincti essent ire contra Sophim, ut per Serviam, Albaniam, Bossniam et etiam loca, ad que nuncii missi erant, ut ad hunc finem pervenirent et nunc ex filiis mgni. dni. X milia equorum miserant, ut occurreret et disturbandi causa hujusmodi machinamenta et singula supra dicta X milia Sophis cepit ac viva interemit, et duo jussit decollari et singula in matura morte jussit occidi. Qua itaque re intellecta, dnus. Turcus decrevit mittere suos bassos contra Sophim tanto exercitu, quanto pro se ipso prepararet. Subjungit etiam dictus Cernota, evasisse e manibus Sophis non amplius XXV. Turcis cum nummis et muneribus multis. Idcirco intelligens Peloponnesi tabularius magnum periculum scripsit Suosuesso, qui est valde vicinus porte sui corporis et satis necessarie in illis partibus propter Hispaniam, de qua inquit se multum dubitare, rogans ne amovere ex Peloponneso neque ipsum neque suam curiam sed residuum totius alterius gentis, et si necessitas coegerit, ipse etiam cum tota sua curia se profecturum pollicetur ad hanc provinciam, ut pareret magno regi Turco, suo dno. Sed multo melius erat, ne eum loco amoveret propter supra dictas causas.

CXXXIII. SIGISM.

CXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Valtero de Platenberg, Magistro Cruciferorum in Livonia.

Mgce. dne. amice sincere nobis dilecte. Accepimus literas Mgcie. vre., quibus nobis scribit de incursione et damno, quod nuper in terra Mgcie. vre. subditi nostri facere debuerunt et quomodo illa convocari fecit consiliarios suos ob hanc rem, idque, quod cum eis decerneret, vellet nobis post hac per literas aut nuncios suos declarare. Interea tamen postulat a nobis; ut, officiali mgci. Nicolai Radivil, pal. viln. et Mg. duc. nostri Lithuanie cancellarii, qui incursionem ipsam facere debuit, mandaremus: quo res ablatas colligi et servari faceret, que subditis Mgcie. vre. restituerentur. Nos meminimus sepe et plurimas fuisse coram nobis querelas subditorum nostrorum ob varias injurias et damna, que illis ex terra Mgcie. vre. inferebantur, scripsisseque nos ad illam hac causa pluries, quo fit, ut si quid perpetratum sit a subditis nostris, nam adhuc nihil comperti habemus, ea forte ratione factum est, quod illis pro damnis et injuriis eorum non soleat fieri debita satisfactio et justitia apud Mgciam. vram., prout et nuper certo accepimus, exustas esse plurimas domos in finibus nostris et damna non modica illata hominibus nostris a subditis Mgcie. vre. Debuit merito a nobis justitia requiri, si quid cuipiam ipsi homines nostri debuerunt, qui eam unicuique libenter facere solemus. Utcumque est id si quid commiserunt subditi nostri in terra Mgcie. vre., factum est preter nostram scientiam et voluntatem; committemus itaque officiali predicto, ut ea, si qua ablata sunt, subditis vestre Mgcie. conserventur, et expectabimus id, quod habito consilio suo nobis significare volet et hac in re et aliis spectantibus ad commune bonum dominiorum utriusque nostrum. MDXVII Cod. R.

Quo accepto sciemus, quomodo nos gerere debebimus, verum postulamus vicissim a Mgcia. vra., ut etiam suis mandet servari ea omnia, que ablata sunt per ejus subditos nostris, qui pariter ad multas pecuniarum summas estimant damna sua, ut cum harum controversiarum et damnorum cognitio et arbitramentum fieri debebit, reddatur unicuique quod suum est vel pro eo satisfiat. Nos profecto non libenter videmus has injurias et damna, que fiunt inter communes subditos nostros, vellemusque, quantum in nobis est, ut bona vicinitas et pax inviolata servaretur inter nos juxta federa nostra, idque ut fiat diligenter curamus, verum cohibeat Mgcia. vra. subditos suos, ne illi causam dissensionis et dissidii alicujus nostris tribuant; nam nos, ut inquietudinem et res alienas non libenter appetimus, sic nostra ab aliis premi equo animo ferre non possumus. Bene valeat Mgcia. vestra. — Datum Vilne feria III post fest. Jacobi.

CXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Valtero, Magistro ordinis Cruciferorum in Livonia.

Mgce. dne. amice sincere nobis dilecte. Accepimus literas Mgcie. tue, quibus nobis scribit, se ad nos oratores suos in communibus rebus necessariis mittere, quos libenter videbimus. Cod. R.

Scribit

MDXVII. Scribit etiam postulans, ut committeremus mgco. Nicolao Radivilowicz, palat. viln. et cancellario Mg. ducatus nostri Lithuanie, quo res ablata subditis Mgcie. tue conservarenter ad arbitramentum et decisionem mutuam, id quod fecimus. Verum et tua Mgcia. mandet subditis suis, ut similiter ea, que nostris abstulerunt, ad ipsam decisionem mutuam conservent, ut unicuique id quod suum est restituatur. Valeat Mgcia. tua. Datum Vilne fer. III proxima post festum S. Jacobi apostoli.

CXXXV. Responsum a Sigismundo, Rege, datum Nunciis Valteri, Magistri Furciferorum in Livonia.

Cod. R. Querelam domini magistri Livonie de officiali domini palatini vilnensis de Druxen s. Mtas. regia cum ante hac ex literis illius Mgcie. tum nunc ex vobis nunciis abunde intellexit et moleste tulit, nollet enim ejus sacra Mtas. ullam unquam ejus Mgcie. aut alicui vicino causam dari, de se aut subditis suis querendi. Verum Mtas. sua, disquisita re, comperit, non adeo excessisse ipsos subditos suos uti homines dni. magistri, quippe qui primi magnum damnum intulerunt in finibus et bonis Mtis. sue, unde demum subditi Mti. sue ferre injurias non valentes parem fortasse vicem retulerunt.

Quare cum subditi magistri initium fecerunt invadendi bona Mtis. sue et injurias hominibus illius faciendi merito plus culpare debet homines suos quam subditos sue Mtis., qui lacessiti injuria id demum, quod factum est, perpetrarunt.

Et utcunque retulistis, subditis Mtis. sue ab hominibus dni. magistri nulla esse facta damna, Mtas. sua tamen deprehendit, facta esse non modica. Et proinde cum utrinque ipsa damna sint confecta, non putat sua Mtas. aliter equius et convenientius in hac re fieri posse, quam ut per missos utrinque nuncios ad loca, in quibus eadem damna sunt facta, revideantur omnes differentie et damna eaque justo et equo arbitramento componantur.

Nam idem est in federibus antiquis Mg. ducatus. et terre Livonie expressum, ut per tales in finibus differentias pax et societas infringi non debeat, sed omnia per communes nuncios componi.

Videret quidem libenter Mtas. sua, ut distinguerentur limites inter hoc dominium suum et terram dni. magistri; idque dudum fieri voluit, sed cum, uti dixistis, dnus. magister cito mittere non potest ad ipsos limites dimetiendos, Mtas. sua consentit, ut id fiat anno sequenti post festum trium regum. — Verum postulat Mtas. sua, idque equum est, ut dnus. magister eas domos et curias, quas subditi sui edificarunt in solo Mtis. sue demoliri faciat et prohibeat ulterius edificari usque ad mutuam determinationem.

De his autem injuriis utrinque illatis non videtur cognitio longius differri debere, quia, ut significavit dnus. magister, non ferendas esse ipsas injurias subditis suis, ita etiam homines sue Mtis. ferre non potuerunt damna sibi illata, usque ad id tempus, quo fieret cognitio de limitibus. Itaque dnus. magister pro tollendis his dissensionibus et mutua pace conservanda inter communes subditos ejus Mtis. et suos non absit ab eo, ut mittat illuc ad loca tempore

pore congruo nuncios suos, et diem, quo illos mittere vellet, designet, ut itidem ejus Mtas. suos mitteret. Cognitio vero de limitibus fieret postea liberius. MDXVII.

Quod autem queritur dnus. magister sacrum fluvium diverti debere per alium alveum ab officiali dni. capitanei Samogitie, ex quo fieri posset postea non parvum detrimentum terre sue, ejus Mtas. edocta est a dno. capitaneo Samogitie non diverti ab eo ipsum fluvium ab alveo proprio, sed prohiberi, quo se aliunde non flectat, quo labi est solitus. Verum committere dignabitur ipsi dno. capitaneo, ut si quid tale esset, quod cederet in damnum aliquod dni. magistri aut ejus subditorum, id facere prohiberet.

Pro Hermanno Soghe scripserat Mtas. sua dno. magistro mota illius querimonia et id libenter videre volens, ut nemo de dno. magistro jure queretur verum ipse dnus. magister sciet, qualiter se in hac re gerere debeat, et sperat Mtas. sua. illum ita secum facturum, ut justo et benigno dno. cum subdito suo facere convenit.

Quod etiam queritur dnus. magister de dno. Gregorio, palatino trocensi, tanquam homines illius intulissent quedam damna subditis illius, dnus. palatinus refert, se et homines suos nihil damni fecisse in terra dni. magistri, sed prohibere subditos illius usurpare solum hujus dominii nam situare se in eo deberent et curias aliquas fecisse, quod Mti. sue non esset ferendum.

Itaque prohibere velit dnus. magister talia facere subditis suis et si que damna sunt eis illata, ea per communes nuncios cum aliis differentiis componentur. Quod fieri dnus. palatinus optavit et jam nuncii hinc fuerunt designati, ut limites reviderentur, sed dnus. magister hactenus id nunquam facere curavit.

De injuriis, quas facere debuerunt homines Mtis. sue ex terra Samogitie subditis dni. magistri: posuerat enim illic homines non ad inferendum alicui damnum, sed ad arcendum ab his, qui illud facere vellent. Utcunque est: committere dignetur Mtas. sua dno. capitaneo Samogitie, ut hanc rem ita constituat et complanet, quo dnus. magister et subditi sui non habeant de illo justam causam querendi.

Simonem Moller, cum hic fuit, Mtas. sua audivit et causam ipsius diligenter perpendit, verum quod pro voto suo non est a sua Mte. lata sententia, id factum est, quod Mtas. sua non solet ad voluntatem alicujus sed juxta quam illi justum videtur judicare. Bombardario mandavit Mtas. sua, id quod ei deberet exolvere.

Ceterum queruntur cives vilnenses, quod dum concivis eorum esset in Riga peste mortuus et consanguinei sui hinc pro bonis et mercibus suis illuc venissent, noluerunt cives rigenses quidcunque edere donec eis solvissent trecentas marcas rigenses; preterea quod prohibent cives rigenses dictos cives vilnenses cum hospitibus mercari donec ab eis solvantur decem marce, idque adhibitis eis custodibus, ut juxta arbitrium eorum mercentur.

Que res et gravis est subditis Mtis. sue et ante hac fieri non solita. Itaque postulat sua Mtas., ut efficiat dnus. magister, quo non graventur subditi sue Mtis. preter solitum, sed sit facultas mercatoribus ultro citroque libere mercari.

CXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Valtero, Magistro Cruciferorum Livoniensium.

MDXVII. Cod. R. Mgce. dne. amice sincere nobis dilecte. Convenimus itaque cum consiliariis nostris, ut fiat productio termini ad fer. II prox. post festum purificationis b. Marie de componendis injuriis inter subditos utriusque nostrum et damno, quod queritur tua Mgcia. factum esse per officialem de Druxen, prout optavit, designavimusque illuc ad fines nuncium nostrum mgcum. Joannem Sapiham, palatinum podlacensem, in centum equis. Quia vero etiam sunt non modice injurie in tenuta palatini trocensis, postulamus a tua Mgcia. ut committat suo nuncio, quo unacum nostro pariter illuc proficiscatur et ipsas injurias componat.

Quod vero ad revidendos fines inter hoc dominium nostrum et terram Mgcie. tue attinet, non videtur nobis commodum id estate fieri propter multas paludes, et proinde velit Mgcia. tua ad id consentire, ut fiat ipsa revisio ad festum trium regum anni alterius futuri, ad quem terminum designabimus consiliarios nostros. Et si eum Mgcia. vra. acceptabit itidem suos deputabit et nos certiores faciet. Que valeat feliciter.

CXXXVII. Responsum a Sigismundo, Rege, datum Nunciis Valteri, Magistri Cruciferorum in Livonia.

Cod. R. Sacra Mtas. regia ad frequentes et gravissimas querelas subditorum suorum ex Mg. ducatu Lithuanie de variis insolentibus et non christianis injuriis, quas paterentur ex terra Livonie insultibus clandestinis, rapinis, cedibus, incendiis, miserat Mtas. sua ad mgcum. et venerabilem dnum. magistrum ordinis Theutonicorum in Livonia suum secretarium, nobilem Stanislaum Szkop, ad eas injurias declarandas, nolens ejus Mtas. ut quidcunque a suis vicissim committeretur, quod a bona vicinitate alienum videretur, cum facile par pari referri posset; visumque fuit Mti. sue justum et decens, ut ipse dnus. magister deputasset aliquos consiliarios et officiales suos ad limites et terminos, qui sunt inter magnum ducatum Lithuanie et terram suam, viros aliquos idoneos qui una cum consiliariis sue Mtis. reviderent limites ipsos et omnes injurias et unicuique justitiam ministrarent.

Censuit autem ad hoc negotium Mtas. sua tempus congruum ac opportunum pro festo trium regum, quod tunc paludes et alia loca estate invia transiri commodius possunt.

Nunc vero ipse dnus. magister significat per vos, libenter quidem se visurum, ut finitores ad eas injurias et differentias utrinque componendas et limites faciendos mitterentur, sed tempus illi videri nimis angustum et propinquum quod Mtas. sua designavit, optans, ut fieret pro festo assumptionis b. Marie virginis, et ut ad negotium tranquillius peragendum queque pars nonnisi trecentis equis comitata veniret, utque in eventu, quod res amice et in bona concordia componi et difiniri non posset unicuique liceret tuto ad terram suam redire et interim, ne quid utrinque ad eam usque difinitionem innovaretur.

Mtas.

Mtas. sua regia licet optet eas differentias quam celerius difiniri et tempus hoc quod designaret commodius esse videatur, propterea quod hieme facilius limites revideri et fieri possint, cum paludes et stagna congelari solent, tamen acquievisset libenter in eo termino per dnum. magistrum Livonie designato, videlicet ad festum assumptionis domine nostre, sed quotannis eo tempore solent subditi Mtis. sue ex illo ducatu Lithuanie in campo adversus Tartaros degere, proindeque non potest s. Mtas. de ipso termino quidcunque in presens certi respondere, verum cum primum consilium ceperit cum consiliariis ducatus illius declarare non negliget dno. magistro, ad quod tempus et terminum mittere poterit ipsos finitores et commissarios et quanto comitatu proficisci et unde incipere ac quibus in locis facere ipsos limites debebunt. Quia non solum injurie et differentie sunt circa Braczlaw et Dinneborgh, sed etiam in terra Samogitie et alibi. MDXVII.

Mandabit vero ejus Mtas. subditis suis, ut interim se ab inferendis quibusvis injuriis aut violentiis subditis dni. magistri contineant literasque ad capitaneos suos dabit, ut hoc mandatum suum diligenter custodiant et exequantur. Ipse etiam dnus. magister idem suis mandare et providere curet, ne subditi Mtis. sue interim aliquibus injuriis impetantur.

Quod ad injurias et res ablatas attinet, quas optat dnus. magister in presens suis subditis resarciri ac restitui, quia etiam subditis Mtis. reg. multa sunt ablata et multe injurie commisse, necesse est hec omnia ad id tempus in suspenso esse, donec hi commissarii et finitores convenient, qui ea omnia utrinque juste discernere et reformare curabunt.

CXXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Valtero de Platenbergk, Magistro Cruce mala signatorum in Livonia.

Mgce. dne. amice sincere nobis dilecte. Quando venimus ad hec bona nostra intelleximus ex officialibus et aliis hominibus nostris, quod subditi Mgcie. tue sensim se in terram nostram proferunt multaque jam prata, silvas, lacus occuparunt, sed et lacum Swido, qui semper ditionis hujus ducatus et longe quidem a finibus adhuc erat; que res ut a communi pace et federibus aliena sic nobis est valde molesta. Et proinde postulamus a Mgcia. tua: mandare velit subditis suis, ut se intra fines suos contineant et non usurpent ea; que ad dominium nostrum pertinent, usque ad emissionem utrinque consiliariorum nostrorum ad fines; nam et nos itidem nostris commisimus, ut nihil agerent, donec rerum omnium esset cognitio et determinatio mutua ipsorum consiliariorum. Factura rem congruam ad bonam pacem et vicinitatem inter nos conservandam. Que bene valeat. Datum ex arce nostra Braczlaw fer. II prox. post f. S. Luce, evangeliste. Cod. B.

CXXXIX. SIGISM.

CXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Marchioni Brandeburgensi.

MDXVII. Cod. R. Illris. princeps affinis noster charissime. Consules civitatis nostre gedanensis, subditi nostri fideles, per literas apud nos questi sunt, quendam adolescentem concivis sui, Joannis Bonhalt filium, a predonibus, Simonis Materne sociis, in terris regni nostri captum esse et in quadam arce Dreisen, que est in ditione vre. Illtis. vinctum teneri et secrete servari. Nos quidem pro comperto habemus clam vra. Dtione. id fieri, que probe cognoscet, nec satis honestum esse sifier et, nec nostre vicinie, que in propinqua amicitia est, consentaneum esse. Quocirca rogamus: velit mutue nostre amicitie causa ejus rei perquirende et cognoscende, alicui suorum demandare provinciam, jubeatque demum, hunc ipsum captivum hominem, nostrum subditorum, liberum dimittere, amicis tandem restituendum, quod nobis erit magnopere gratum, parique gratia posthac occasione oblata vre. Dtioni. per nos referendum. Quam bene valere cupimus.

CXL. Sigismundus, Rex Polonie, Boguslao, Duci Pomeranie, Stetinie, Cassuborum, Slavorum, principi Rugie.

Cod. R. Illris. princeps, affinis noster charissime. Fecerunt nos certiores capitanei et officiales nostri in Prussia, quod soleant fieri multe et frequentes excursiones in finibus Prussie ex terris Illtis. vre. et damna subditis nostris non pauca inferri, prout molendinatori cuidam nuper accidit. Cujus domum cum predones illinc ex ducatu Illtis. vestre invasissent et ille coacto subsidio eos repulisset et persecutus esset, usque ad arcem Bythow confugerunt tanquam ad eum locum, ubi sciebant, se tutos et familiares esse. Proinde postulamus a vra. Illte., ut prohibeat tales ex dominio suo incursiones et damna in terras nostras deinceps fieri et istos latrunculos ac eorum fautores ac conservatores debita animadversione puniri faciat pro necessitudine nostra mutua et communium nostrorum subditorum quiete. Nam id nec liceret nobis, nec omnino possemus equo animo tolerare. Valeat feliciter vra. Illtas. et nos amet. Datum.

CXLI. Sigismundus, Rex Polonie, Boguslao, Duci Pomeranie, Stetinie, Cassuborum, Slavorum, principi Rugie.

Cod. R. Illris. princeps et dne. affinis noster charissime. Deputaveramus commissarios nostros pro festo S. Georgii, prout cum vra. Illte. nuncius noster Andreas Zakrzewski convenerat, qui una cum consiliariis vre. Illtis. deberent causam inter illam et cives nostros Gedanenses ac alias

alias, que essent inter communes subditos tam nostros quam vre. Illtis. cognoscere et definire, sed postquam illa optat, hunc terminum fieri post festum S. Joannis proxime venturum, postulamus ab Illte. vra., ut interim velit per concordiam aliquam componere cum iisdem civibus gedanensibus, ut de hac causa non opus esset commissariis agere, nam id nobis esset multum gratum. Tamen si id fieri non poterit, quandocunque nos certiores faciet de mittendis ipsis commissariis, nos illos mittemus. MDXVII.

Ceterum significaverunt nobis dicti cives gedanenses, quod non pridem quendam incendiarium, qui damnum illis non parvum fecit, comprehenderunt et supplicio merito affecerunt. Qui confessus est, se conductum fuisse ad id per nonnullos subditos Illtis. vestre. Quare rogamus illam, ut, quemadmodum consuevit, se erga nos et subditos nostros semper equam et benivolam gerere, ita coërceat subditos suos, ne talibus indignis modis posthac cum nostris agant, cum quibus, si quidquam alicui debebunt, nos justitiam omni illam petenti faciemus. Valeat feliciter Illtas. vra. et nos diligat.

CXLII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Cruciferorum.

Illris. princeps et dne. nepos noster charissime. Significarunt nobis cives nostri gedanenses, esse Bernardo Fechter, concivi eorum, nonnullam causam cum quodam subdito Illtis. vestre Joachimo Balhag, quam ipse Joachim vellet temere et proterve agere. Postulamus ab Illte. vra., ut eum cohibere velit, ne quid preter viam juris et justitie faciat. Nam si Gedanenses illi justitiam non facient, nos facere sumus sufficientes. Cod. R.

Ceterum quia est quedam differentia in insula nostra Neringa inter subditos Illtis. vre. et eosdem Gedanenses ratione limitum: facere velit Illtas. vra., ut illa bonis mediis componatur. Ad quod nos parati sumus commissarios nostros mittere quandocunque Illtas. vestra volet. Que valeat feliciter.

CXLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Cruciferorum.

Illris. princeps et dne. nepos noster charissime. Significarunt nobis commissarii nostri, quos designaveramus ad diffiniendam differentiam inter Elbingenses, cives nostros, et uxorem ac propinquos Urbani Throster, subditi Illtis. vre., quem capitanei nostri marienburgenses ob ejus facinora digno supplicio affecerunt, quod iidem propinqui stare noluissent sententie ipsorum nec causam coram eis proponere, quodque nuncius Illtis. vre. illic comparens, non servata dignitate illius loci, conviciis et maledictis incesserit ipsos Elbingenses, subditos nostros, et directe solutionem petens pro capite addiderit nonnullas comminationes, nisi illam facerent. Que res est nobis non parum ingrata, quandoquidem nos non aliud volumus, nisi ut justitia ad utramque partem fieret. Itaque postulamus ab Illte. vra.: coërcere velit eos subdi- Cod. R.

 tos,

MDXVII. tos suos, ne aliis modis quam jure causas suas agant, nam hoc conveniens est, ut res non pro libito cujusque, sed via juris agantur.

Intelleximus etiam, quod Illtas. tua prohibuerit frumentum deferri ad terras nostras Prussie quodque habere velit tertiam partem rerum naufragio ejectarum. Quod cum sit preter antiquam consuetudinem et subditis nostris damnosum, postulamus ab illa: ut se conservare velit adversum nos et nostros juxta morem antiquum et bonam concordiam. Nam nos, qui etiam talia facere possumus, non facimus tamen quidquid, de quo vel Illtas. vra. vel ejus subditi jure queri possent. Valeat feliciter.

CXLIV. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. R. Reverende in Christo pater et domine major honorande. Non videtur verisimile et Mti. regie et mihi, ut summus pontifex vocare deberet dnum. magistrum Prussie ad prefecturam exercituum romane ecclesie, non ignorat enim ejus Sctas., illum esse hominem juvenem et rei bellice adhuc imperitum, multique sint etiam ex regibus, qui eandem prefecturam, presertim contra Infideles, ambiunt. Utcunque tamen est res cito declarabit, sed nos putamus itidem esse commentum, ut alia id genus, que in rem suam ab istis cruce signatis fingentur.

Miratur Mtas. regia, qua causa vel ratione tam Prussie quam Livonie magistri deberent terram Mtis. sue invadere, et utcunque intelligit, illos id tam facile non posse facere, quin facilius longe illis a se rependi possit, tamen commisit in terra Samogitie custodiam et provisionem fieri ad obstandum illis, si quid inciperent. Vra. etiam rev. Ptas., que ibi inter eos degit, perquirat et investiget conatus eorum, et si quid intelliget, non negligat Mti. regie significare, quoniam id erit valde gratum sue Mti.

Non libenter videt ejus Mtas., tantos esse istic in Prussia tumultus excitatos contra Gedanenses, nunc presertim cum majore quiete et concordia opus esse videtur. Itaque det operam vra. rev. Dtio. una cum aliis dominis in conventu futuro, ut et nobilitas quieta sit et modus aliquis inveniatur, quo noxii homines puniantur totque latrocinia, que istic creverunt, extirpentur. Faciet rem utilem illis terris et regie Mti. multum gratam.

Feci magnam operam apud Mtem. suam in re dni. Joannis Sculteti, archidiaconi ecclesie vre. rev. Dtionis. Varmiensis, in qua diu se difficilem prebuit eo quod ipsas villas concesserit ei, intelligens eum prolem masculinam non habere aut non debere habere, tamen ratione illius servitiorum et fidei erga se et ad diligentem et sollicitam petitionem meam consensit ad finem, ut transferantur eedem ville in ejus nepotem Achatium Brant, maxime cum ducere debeat filiam olim dni. Jaroczki, marschalci sui bene meriti, eo jure per eum tenende et habende, quo illas tenuit et possedit ipse dnus. Joannes ex vi donationis sibi facte. Mittamque ego literas consensus per alium nuncium, nam hunc tam diu tenens ratione harum rerum vre. rev. Dtionis., quas cito expidere nequivi, nolui diutius retinere.

In

In prepositura ecclesie vre. rev. Dtionis. ignorat Mtas. regia quid agatur, itaque significet vel ejus Mti. vel mihi, quis sit illius possessor, ut vel nomine filii sui, vel dni. Konarski ageretur cum illo; nam nollet Mtas. sua id juris, quod pro eodem filio suo est nacta, tam facile relinquere. MDXVII.

CXLV. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Reverende in Christo pater. Grata est nobis plurimum hec sollicitudo et cura Ptis. vestre, qua ea omnia, que istic in Prussia aguntur, disquirit et ad nos perscribit. Nos intelligimus, qua ratione vel pretextu facere velint Cruciferi irruptionem in terram Samogitie, inter quam et ipsos ac etiam Livoniensem satis clare sunt limites definiti, nec remur eo id facinoris aggredi ausuros; tamen prospiciemus, ne, si vellent, nobis aliquod nocumentum inferre, valeant, vel illatum non impune auferant. Cod. R.

Deferuntur ad nos multe querele adversus Gedanenses, qui vigore mandati nostri illis concessi excedere nonnihil deberent. Nos ea maxime ratione instituimus conventum istum Elbingi proximum, in quo Ptas. vra. una cum aliis consiliariis operam faciat, ut tumultus isti sedentur utque homines noxii puniantur et innocentes in pace et securitate debita conserventur.

Cum hoste nostro duce Moscorum adhuc in suspenso sunt et quieto silentio res nostre, tamen ita nos instituimus, ut nobis dispendium aliquod inferri non possit. Valeat.

CXLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Prussie.

Ill. princeps. Profugit ex terra nostra Samogitie Bullhak, Moscus, una cum filiis et rebus suis ad castrum vre. Illtis. Ragnett. Cum vero inter pacta et federa hujus ducatus nostri et terre Illtis. vre. conventum est, ut profugi utrinque restituantur, postulamus ab eadem Illte. vra., ut dictum Bullhak restitui nobis faciat, aut teneri tantisper in custodia, donec pro illo mittemus. Rem mutue concordie et pacis conservande congruam factura. Ex cod. mss. bibl. Korn.

CXLVII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Cruciferorum.

Illustris princeps et dne. nepos noster charissime. Retulit ad nos mgcus. Nicolaus Radivil, palatinus vilnensis et Mg. ducatus Lithuanie cancellarius, quod cum ad se nonnulla tormenta bellica et vasa salvitri per terram Illtis. vre. ducerentur, illa omnia preceptor in Rangneth absque ulla causa retraxit et deponi apud se coëgit. Nos plurimum miramur, quid velint Cod. R.

MDXVII. velint sibi damna et injurie, que tam crebro et nunquam alias magis inferuntur subditis nostris in terris vre. Illtis., et cum factum hoc, ut arma bellica prohibeantur istuc ad nos convehi, et alia id genus metimur hoc presertim tempore, quando bellum cum hoste nostro, homine scismatico, gerimus, cogimur existimare, talia in rem et gratificatione ipsius fieri. Que res ut est a bona vicinitate et conjunctione sanguinis ac etiam professione vre. Illtis. longe aliena, ita nobis est valde molesta. Et proinde postulamus ab illa, ut reddi faciat ipsa tormenta et salvitrum, que absque ullo jure et decentia sunt retenta, quandoquidem in terris nostris omnia libere permittitur subditis vestris educi, alioquin fieri non poterit, ut nostrorum injurias ferre ulterius aut dissimulare possimus. Bene valeat vra. Illtas.

CXLVIII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. R. Rev. in Christo pater et dne. major honorande. Per nuncium vre. Ptis. scripsimus illi causam, propter quam Mtas. regia non constituerat conventum istic in terra Prussie ante festum natalis domini, ut illa suasit. Cum autem jam statutus sit conventus generalis regni, tum demum et istic Mtas. sua conventum indixit pro festo S. Prisce proximo in Marienburg, ubi vra. rev. Dtio. consulere velit de his, que hoc tempore incumbunt et presertim de coërcione predonum a quibus cum multi alii, tum vestra Dtio. reverenda magnum jam accepit detrimentum.

De profectione vero Mtis. regie ad conventum regni non possumus vram. rev. Dtionem. certiorem facere; adhuc enim res in ancipiti est invalescentibus quibusdam novitatibus de apparatu hostili adversus hoc dominium et instantibus his dominis omni conatu, quo Mtas. sua non discedat. Tamen habet Mtas. sua propositum et desiderium eundi, si quo pacto poterit absque discrimine suorum hic subditorum discedere. — De qua re quidquid Mtas. sua statuerit, vre. Pti. rev. significare curabimus. Cui nos commendamus et valere illam felicissime desideramus.

CXLIX. Sigismundus, Rex Polonie, J. Balinski, Castell. Gedanen. et Castri Marienburgen. Dispensatori.

Cod. R Generose fidelis dilecte. — Deferuntur ad nos multe querele nobilitatis terrarum nostrarum Prussie adversus cives gedanenses: quod vigore mandati illis concessi capiant et insequantur passim nobiles, quos velint. Committimus tibi, ut in hoc futuro istic conventu agas cum dnis. consiliariis nostris, ut iste tumultus bonis mediis sopiatur. Nam ut impunitatem noxiorum hominum, sic innocentium inquietudinem aut discrimen aliquid videre nollemus. Agas preterea, ut contributio nobis decreta solvatur pariter ab omnibus sic ab Elbingensibus et aliis, utque ad id modus etiam bonus aliquis reperiatur, ut non esset ista sectio et divisio in illis terris, et servarentur ab omnibus decreta conventus generalis.

Ceterum

Ceterum agas etiam cum dnis., ut consulant, quo modo injurie ipsorum Elbingensium, quas habent a dno. magistro, cohibeantur, et quid nos aliud preter id, quod ad eum in hac re scripsimus, facere deberemus. Qui autem sint he injurie dicent ipsi Elbingenses. MDXVII.

CL. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Kosczielyecz, Palat. Junivladislaviensi etc.

Mgce. sincere nobis dilecte. Molesta est nobis hec protervitas Elbingensium, quod ea, que tota illa terra nostra Prussie contribuenda statuit, ipsi exequi et prebere nolint, quandoquidem nos in eorum difficultatibus, quas et in judicio camere imperialis et alibi plerumque patiuntur, pro eis curam agimus et impensas non modicas facimus. Ad presens tamen nihil cum eis inceptari volumus, verum postea, sedatis istis motibus, sciemus qualiter nos adversus illos gerere debebimus. Cod. R.

Perferuntur ad nos varii rumores de apparatu magistri ad bellum nobiscum ineundum et qualiter multi predones adversus subditos nostros ab eo foveantur. Nos quidem initium belli facere nolumus, sed si ille incipiet, nollemus ulterius tot ipsius commissa in nos ferre. Itaque Stas. tua diligenter attendat sitque parata cum aliis officialibus et subditis nostris, ut si quid ab illo hostile emergeret, possint ad omnem necessitatem presto esse, et curet etiam Stas. tua omnia, que in Ordine agantur, quam diligentissime perquirere et nos certiores facere.

Ceterum literas, quas cum presentibus mittimus ad magistrum et palatinos ac capitaneos terrarum nostrarum Prussie, tua Stas. perferri quam primum faciat.

CLI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Cruce signatorum.

Illtris. dne. nepos noster charissime. Cives nostri Elbingenses nuncium suum ad nos miserunt, cui inter cetera injuncta negotia literas vre. Illtis. ostendendas dederunt minaces et contumeliosas ob eam causam, quod quendam Urbanum, hominem, ut ferunt, maleficum capitaneis nostris arcis marienburgensis jussis eorum, uti par erat, obtemperantes, tradiderunt. Qui post multas questiones de maleficiis suis factas ultimo tandem supplicio affectus est. Miratique vehementer sumus, vram. Illtem. tales ad nostros subditos dedisse literas, tanquam non esset nobis integrum equitatem his administare, qui se ab eis injuria affectos queruntur. Et profecto id nobis valde grave et molestum est, quorsum enim id fiat, quidve pre se ferat talis minarum editio suspicari oportet. Et ne quid post hec vra. Illtas. juste occasionis ad querendum de eis habere possit, commisimus rev. epo. Fabiano mgcisque. et nobili Stanislao de Koscielyecz, junivladislaviensi, et Nicolao de Baysen, marienburgensi palatinis et Ebrardo Ferber, consuli gedanensi, ut ad certum diem et locum conveniant atque ad conspectum suum partes accersant. Qui vram. Illtem. hac de re admonebunt, Cod. R.

MDXVII. monebunt, ut aliquos ex suis aulicis vel subditis, quibus hec res non esset ignota ad eos mittat, ut coram eis rei seriem exponant, et si constiterit, vel injustum in causa servatum esse processum, vel injuste de homine noxio sumptum esse supplicium, ut iidem commissarii vre. Illti. administrent justitiam cum civibus nostris. In quos tales post hac congestum iri minas nollemus, que nonnisi cum indignitate nostra fieri possunt. — Bene valere vram. Illtem. optamus. Dat. Poloczko XX Septembris.

CLII. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Varmiensi, Joanni, Culmensi, episcopis; Georgio de Bajsen, Marienburgensi; Joanni de Lusianis, Culmensi, et Nicolao Szpott, Pomeranie Palatinis.

Cod. R. Rev. in Christo patres, mgci. sincere nobis dilecti. Molesto et indigno ferimus animo, quod nonnulle civitates istic in terra Prussie non ederint contributiones publice decretas seque tam contumaciter contra nos et Reipublice necessitatem gerant. Quapropter volumus et hortamur Stem. tuam: ut simul cum aliis consiliariis istic ad locum commodum conveniant et consulant in commune, quid videretur nobis esse contra tales contumaces agendum, et demum id, quod simul cum aliis censuerit, nobis declaret.

CLIII. Petrus Tomiczki, Vicecancellarius, Fabiano, Episcopo Varmiensi.

Cod. R. Rev. in Christo pater et dne. amice. Conventum graudecensem instituerat Mtas. regia potissimum querela dni. magistri inducta eumque illi tempori per literas et nuncium suum denunciaverat, ut ad eum suos nuncios et consiliarios misisset. Qui cum per eundem nuncium Mtis. sue rescripserat, postulans, uti longius differretur, et noluit per suum nuncium eas literas mittere, sed per eum, qui consiliarios sue Mtis. circuiturus erat, ipsum conventum declarando, factum est, ut et illius litere nisi post conventum jam actum ad Mtem. suam pervenerint, et dnus. magister, illum productum iri simulans, suos nuncios ad eum non miserit.

Doleo vehementer, quod vra. rev. Dtio. et ejus ecclesia sit in his erumnis constituta, neque dum cessarint hec incommoda et adversitates, que ab hoste illi inferri consueverunt, qui cum istinc excessit, spero omnia tranquilliora futura, Mtas. regia id, in quo negotium pendet, celerius ut fieri poterit, confectum iri curabit, neque vram. rev. Dtionem. ullo modo deseret, sed ut communis res est, ita conjunctim agentur omnia, et proinde perferre velit potius aliquantum et eum honestiorem omnium harum rerum finem et determinationem expectare, quam se rabulis et harpyis romanis predam objicere aut alia judicia querere, unde nesciret, quomodo aut quando se explicaret, et fortasse omnem actionem redderet difficiliorem. Itaque consultius est, uti Mtas. regia censet, finem ejus in quo res heret, expectare.

De

De vectigalibus novis per magistrum institutis jam alias Mtas. sua intellexit et videt ea in detrimentum suorum subditorum cedere, licet regentes id sedulo negent et excusare nituntur, prout ex unius literis, quarum exemplum cum presentibus mitto, vestra Dtio. plene cognoscet. Quare Mtas. sua vult subditis suis ex omnibus dominiis iter ad illius terram claudere, ne quidquam illuc invehatur. Et tum demum cognoscet ille, quid sibi officere possit sua Mtas. quamque facile etiam citra armorum strepitum possit ab illa debellari. MDXVII.

Egi cum Mte. de prepositura plocensi ita, ut mihi vra. rev. Dtio. scripsit, verum quia nondum datus est cancellariatus dno. epo. vilnensi et ipse alioquin juvenis et indignus et multo ere alieno involutus, difficulter hac prepositura privari deberet, etiamsi cancellariatus illi cederet. Atque ita oportebit in ea re vram. rev. Dtionem ad presens patientiam habere. Verum ex contributionibus, que forte in conventu marienburgensi futuro decernentur, curabo, ut sua Mtas. illi nonnihil impartiatur, quo dispendia sua quoquo modo sarciri et suum statum sustinere possit interim, donec tragedia hec finiatur. Commendo me omni studio vre. rev. Dtioni. quam optime valere desidero.

CLIV. Responsum a Sigismundo, Rege, datum Oratoribus Alberti, Magistri Cruciferorum.

Eorum, que coram s. regia Mte. nomine illustris dni. magistri Prussie vre. Dtiones. exposuerunt, hec fuit summa. Cod. B.

Imprimis retulerunt seriem eorum, que acta sunt in conventu nunciorum Mtis. sue et dni. magistri circa fines, postulando: ut sua Mtas. regia mittere adhuc dignaretur alios nuncios ibidem ad fines, qui adeo suspecti non essent, et conventus diem designaret.

Deinde dixerunt vre. Dtiones. dnum. magistrum exploratum habere, se apud suam s. Mtem. delatum esse, tanquam nuncios et literas sue Mtis. ipse non exciperet et audiret, sed per alios, et de hoc ejus Illtem. excusarunt.

Ceterum postularunt vre. Dtiones.: ut sua s. Mtas. non egre ferret, quod Moscus Bullak, qui ex terra Samogitie profugit sit ab officialibus sue Illtis. susceptus, et ut Mtas. sua indulgeret, ubi esse vellet.

Postremo nunciarunt, qualiter dnus. magister, audiens in conventu marienburgensi nuper habito, constitutum esse, ut tota illa terra sue Mtis. delectum haberet et preparamenta bellica faceret, persuasusque ea adversus se fieri, facere et ipse vellet provisionem in terra, ne quid inde detrimenti capere posset.

Sacra Mtas. sua dignata est mihi committere sic nomine suo vris. Dtionibus. respondere.

Ea que acta sunt in conventu circa fines sacra Mtas. regia abunde ex nunciis suis intellexit, quibus uti viris insignibus et consiliariis ejus Mtas. plenam in omnibus fidem adhibere solet. Cum vero dnus. magister nuncios suos absque sufficienti potestate miserit, qui etiam aliter procedere noluerunt, quam ut eorum homines testificarentur, nuncii autem Mtis. sue literis et privilegiis antiquis inter Mg. ducatum Lithuanie et terram dni. magistri justius innitebantur,

MDXVII. innitebantur, utpote nullo apud mortales majori et firmiori testimonio existente literis et privilegiis, quibus divina et humana omnia firmantur et consistunt, Mtas. sua regia id, quod in eodem conventu est infectum, ad quem Mtas. sua non parvum fecit sumptum, aliter existimare non potest, nisi factum culpa nunciorum dni. magistri, non suorum.

De mittendis vero aliis et conventu altero illic in finibus statuendo Mtas. sua referre vult ad consiliarios suos, cum quibus quidquid decreverit reddere dignabitur dnum. magistrum per nuncium vel literas certiorem, sed quod ad villam Coczithen interim dnus. magister et sui officiales se non intromittant ita ut est conventum.

De nunciis et literis Mtis. sue regie, quas dominus magister ipse accipere non soleat, sed per alios, ita est sua Mtas. edocta, verum quod varii homines illas afferre solent fit propterea, quod preter solitum et equum inferuntur plurima damna et impedimenta subditis Mtis. sue in terris dni. magistri, ad quorum querelas dari illis mandat Mtas. regia literas suas, nihilque prodit ex cancellaria sine scientia et mandato sue Mtis. quam bene provisam habet et cautam.

De Mosco profugo Mtas. sua regia non potest non egre ferre, scit enim abunde dnus. magister, Mtem. suam bello cum Scismatico illo agere et in communibus privilegiis hujus ducatus et terre dni. magistri expressum est et alias semper deservatum, ut profugi restituerentur, quare postulat Mtas. sua, ut ipsum Moscum mandet dnus. magister restitui.

De apparatu, qui fit in terra Mtis. sue Prussie merito mirari non debet dnus. magister, cum sciat, quot hoc tempore hostes infideles et scismatici Mti. sue incumbant, et non solum has provisiones mandavit fieri Mtas. sua in terris Prussie, sed etiam in aliis omnibus dominiis suis, ne illis in securitate positis aliquod detrimentum inferri possit.

Adversus dnum. magistrum Mtas. sua nullum habet propositum aut intentum hostile, sed nec mirata fuit Mtas. sua, quando anno preterito dnus. magister delectum gentium suarum faciebat, exercitum comparabat, arces lustrabat et muniebat totusque ipse cum subditis suis in armis erat, cum tamen scivit Mtas. sua, illum cum nemine hoste rem habuisse.

Postremo excusabant vre. Dtiones. dnum. magistrum de eo quod retenta sunt in terra ipsius tormenta bellica et salvitrum, que huc ex Gedano vehebantur. Mtas. sua non potuit hanc rem non indigne ferre, presertim hoc tempore belli, quod gerit contra Scismaticos. Miraturque sua Mtas. quid sibi velint tot difficultates et injurie, que illic nunc in terra dni. magistri inferuntur subditis Mtis. sue, que alias nunquam fieri consueverunt. Nam non incognitum est omni vicinie, habere Mtem. suam subditos in hoc ducatu Tartaros, qui vecturas exercendo sepe etiam in terra dni. magistri versari consueverunt. Nec verisimile esse potest, ut ex Thaurica Tartari per tam ampla dominia Mtis. sue clam illuc penetrare possent, ad res aliquas reducendas.

Et proinde postulat Mtas. sua a dno. magistro: ut se deinceps et subditos suos contineat ab his, que a Mte. sua nullo modo ferri possent; nam nollet Mtas sua aliter se erga ejus Illtem. gerere, quam jus necessitudinis et bone vicinitatis postularet.

CLV. SIGISM.

CLV. Sigismundus, Rex Polonie, J. Balinski, Dispensatori Marienburgensi.

Generose fidelis noster dilecte. — Ratum habemus id, quod in conventu elbingensi egistis nomine nostro in negotio rev. dni. epi. vladislaviensis et ejus ecclesie. Nollemus enim ut illa a subditis nostris incommodum vel molestiam aliquam patiatur. Molendina marienburgensia, que scribis destructa esse, volumus ex his pecuniis, quas pro reparatione arcis designavimus, restaurari. Provideatis igitur, ne quid in eisdem molendinis detrimentum capiamus. MDXVII. Cod. R.

De contumacia Elbingensium et Marienburgensium nihil ad presens agi volumus, prout mgco. palatino junivladislaviensi scripsimus. Datum Vilne.

CLVI. Responsum a Rege Sigismundo, Datum Magistro Amando, Notario Elbingensi.

Grata est Mtas. regia de diligentia civium elbingensium, quod egerint apud communitatem civitatis sue, ut contributio in conventu marienburgensi illi decreta ederetur, hancque illorum erga se fidem magnopere commendat, sed miratur ejus Mtas., quid cause sit, quod ipsa communitas elbingensis in media pace degens nullumque impedimentum in rebus ac negotiis suis habens, singulari erga se respectu Mtis. regie et cura, nolit stare et contravenire ambit decreto conventus generalis, maxime ejus, quod ad publicam spectat utilitatem. Itaque commisit Mtas. sua dnis. consiliariis in conventu moderno elbingensi, ut de hac re consulant; vultque, ut consules elbingenses proponant coram eis causas, quare communitas, ipsorum a decreto communi dissensit; nam nollet omnino Mtas. sua talem dissensionem et temeritatem aliquorum subditorum suorum neglectam relinquere. Cod. R.

Quod attinet ad injurias et difficultates civitatis elbingensis tam ratione Urbani Troster supplicio affecti, quam quod dnus. generalis magister Prussie exigat ab eis tertiam partem rerum naufragio ejectarum et prohibet inferri frumenta et commeatum in terras Mtis. sue, Mtas. sua dignata est ad eundem dominum magistrum generalem dare literas in hac re, et insuper tractare de illa commisit in eodem conventu dnis. consiliariis, et si quid videretur adhuc magis faciendum a Mte. sua pro subditis suis, id se libenter facturam offert.

CLVII. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Reverende in Christo pater et domine major honorande. Bene fit, quod etiam dnus. magister impetitur hisdem rationibus per alios, ut ipse instruit adversus rev. Dtionem. vram. et alios subditos Mtis. regie: quod ubi constanter fiet et par pari referetur, mallet ipse postea se continere in pace et crabrones non irritare. Cod. R.

 Scripsit

MDXVII. Scripsit his diebus Mti. sue querens, sibi retenta esse multifaria instrumenta ferrea: ut secures, palas, ligones et alia id genus apud castrum Nieschewa. Mtas. sua utcunque ille etiam solet retentare res subditorum Mtis. sue in terra sua, fecit illa dimitti reservans ad aliud tempus hunc ludum, quem ipse appetit, quo ubi res cum duce Moscovie absolvetur, facile satiabitur, forte etiam ad nauseam.

De castro Gniew quid commiserit fieri Mtas. regia intelliget rev. Dtio. vra. ex literis regiis. Quod ubi factum fuerit agam libenter pro dno. palatino marienburgensi et pariter pro burgrabiatu dno. Gorski, de quo vult adhuc Mtas. sua deliberare.

CLVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Alexio Thurzoni, Episcopo Vratislaviensi.

Cod. R. Rev. in Christo pater nobis sincere dilecte. Retulit nobis Joannes Boner, que illi scripsit vra. rev. Ptas. de his, que Ill. dnus Casimirus, marchio brandeburgensis sit cum illo de fratre suo dno. magistro Prussie locutus. Nos valde miramur, quod ipse dnus. magister ea spargat et queratur de nobis et subditis nostris, que non modo non sunt, sed ne cogitata quidem unquam fuerunt. Nos gratia Dei sumus satis sufficientes cum illo id, quod opus fuerit, aperte agere et illum absque cuniculis aliquibus coërcere, sed ille hec atque alia, que ipse facit et molitur adversum nos, nobis et subditis nostris impingit, concitans in nos superos et inferos. Quibus rebus quantum statui et ordini suo consulat, ipse viderit. — Nos hoc vre. Ptis. officium, quo de his et aliis rebus nobis significare curavit optimi consulimus et habemus illi non vulgares gratias; utque et deinceps ita se erga nos et res nostras propense gerat, ut facit et nos de illa confidimus, valde ab ea optamus. Volumus illi hanc benivolentiam et observantiam erga nos omni gratia et favore nostro regio semper referre. Que bene valeat.

CLIX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. R. Rev. in Christo pater. Legi literas vre. rev. Dtionis. Mti. regie, que libenter audivit felices successus cesaree Mtis. et ea, que cogunt nostros bonos Cruciferos quietiora cogitare, optatque ejus Mtas., ut eidem Mti. cesaree usque ad extremum quam faustissime succedat, quo tandem id consequi posset, quod suum esse deberet, et bellis istis, quibus semper distinetur, aliquando finis imponatur.

Egi diligenter apud ejus Mtem., ut soli dno. palatino junivladislaviensi relinqueretur officium capitaneatus marienburgensis, verum ejus Mtas. quia de consilio omnium dominorum hanc ordinationem fecerat, de duobus nollet id tam facile immutare; tamen adhuc Mtas. sua nihil fecit, nec factura est ita celeriter, et ego interim non desistam suadere ejus Mti., ut fiat ita, prout vra. rev. Dtio. et dnus. palatinus postulat.

Non

Non libenter audivit Mtas. sua has cedes et hostilitates, que istic excitate sunt adversum Gedanenses, non possunt enim non fieri perniciose. Proinde operam faciat vra. rev. Dtio. una cum aliis dnis. consiliariis, ut in bono fine res constituatur, et frenentur ista facinora indigna cum securitate bonorum nobilium et civium. MDXVII.

Apud nos nihil adhuc novi habemus, quieta sunt omnia. Quamprimum aliquid innovabitur reddam vram. rev. Dtionem. certiorem. Cui me plurimum commendo et valere illam felicissime desidero. Datum Vilne.

CLX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem. Vicecancellarius, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Rev. in Christo pater et dne. major honorande. Legi Mti. regie vre. rev. Ptis. literas etiam illas, quas ad me scripsit. Fuit valde grata illius Mtas., quod tam opportunis mediis composita sit discordia et seditio inter nobilitatem et Gedanenses, quodque reperta est via de communi consilio et sensu noxios homines puniendi, et reliquas res bene et commode determinandi; refertque id acceptum illius Mtas. vre. rev. Dtioni. singulariter, vultque, ut ex literis ejus Mtis. intelliget, omnia rata habere et a capitaneis exequi. Quod ut fiat vestra rev. Dtio. una cum aliis dominis adnitatur. Cod. R.

Scripsi illi prius, nuncium cesaris nihil, quod ad pacem inclinaret, attulisse, quare Mtas. regia bello se accingit, ut tam ab hoste quam etiam ab utroque ordine, si quid moliuntur, se et suos tueatur, et ut hactenus fecit, sic deinceps Mtas. sua, juvante Deo et justitia sua, contundat et coërceat improbos et temerarios conatus hostium suorum.

De Szomberk et Szleinicz, qui hostile aliquid inceptare deberent in Polonia majore, nihil hic intelleximus et non dubito, quod, si quid esset, non negliget dnus. capitaneus posnaniensis Mtem. regiam facere certiorem. Utcunque est, ipse dnus. capitaneus providebit, ne quid detrimentum faciant, vel non impune faciant. De aliis etiam latronibus Mtas. regia constituit legationem facere, vel literas scribere ad dnum. magistrum, quo vel illum a licentia ista retrahat, vel declaret ei, se ignominias et damna ex terra sua amplius non equo animo laturum.

Libenter video, quod Petrus Barin, proconsul elbingensis, rediit in gratiam cum vra. rev. Dtione. et ulterius eam pro villis, quas ab illa redimere volebat, non infestabit, verum Mtas. regia non vult consentire, ut idem Petrus Barin redimat Rivoldum Felser de villa Rosemberg habens rationem meritorum ejus in se et Sermum. olim parentem suum, dnum. Casimirum regem, non libenter enim admittit Mtas. sua, ut nobiles redimantur de bonis Mtis. sue per cives, ipsi enim nobiles et prius sanguine suo meruerunt, ut participent de ipsis bonis et semper sint ut mereantur. Quare et in redemptione ville Tropen de manibus dne. Dorothe, relicte olim Joannis Rabe, egre consensit Mtas. sua, et nisi accessisset respectus vre. rev. Dtionis. et mea diligens ac sedula opera, nunquam consensisset.

Quod postulat vra. rev. Dtio., ut agerem apud Mtem. regiam, quo Joannes Butenhold, proconsul elbingensis relinqueretur in conductione lacus Drawsen ita ut illi est locuta, Mtas.

reg.

MDXVII. reg. ejus est propositi, ut converteret eundem lacum ad usum castri marienburgensis, siquidem solent illic plerumque pisces presenti et multa pecunia emi et sunt, qui eum pluris conducere velint quam ipse Joannes Butenhold. Utcumque est, si voluerit Mtas. sua illum cuipiam locare, dabo operam, ut illi relinquatur eo pretio, quod alii offerent.

Pro caseis optimis plurimas ago gratias vestre rev. Dtioni., qui tanto mihi gratiores sunt, quanto in regione hac non casei modo boni, sed ne voluptarium quidem quidquam invenitur. Valeat feliciter vra. rev. Dtio. et me benivolentia et favore solito prosequatur. Datum Vilne XIX Junii.

CLXI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Cruciferorum.

Cod. R. Illustris princeps et domine nepos noster charissime. Fecerunt nos certiores subditi nostri terre Prussie, foveri nonnullos predones in ditione Illtis. vre., qui illis diffidant. — Etiam plexi sunt quidam malefici in oppido Cziechanow, qui complures inculparunt, confessique sunt, esse et degere in terra Illtis. vre., qui plurima damna subditis nostris intulerunt, prout ex confessione eorum, quam Illti. vestre cum presentibus mittimus, clarius intelliget. Nos valde miramur, talia fieri contra subditos nostros ex terra Illtis. vre. quandoquidem prohibeamus idque magna difficultate, ut nostri nihil ejusmodi hostilitatis agant adversus subditos illius.

Cum itaque res indigna sit, malos homines fovere, postulamus ab Illte. vra., ut provideat in terra sua, ne inde subditis nostris aliquod dispendium accidat, nam id deinceps nullo modo ferre possemus.

CLXII. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. R. Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Libenter audivimus, sedatam esse dissensionem et tumultum inter nobilitatem terre nostre Prussie et cives gedanenses, modumque decentem repertum, quo et nobilitas timore non capiatur et noxii homines puniantur, que et probamus et ratum esse volumus, scribimusque istuc ad capitaneos nostros, ut hanc constitutionem conventus ad executionem deducant et juxta decretum illius malefactores puniant et persequantur.

Quod vero in terra dni. magistri foventur complures predones, qui damna in terris nostris patrare soleant, et presertim ii, qui sunt in Cziechanow puniti, detulerunt, denunciamus id ipsi dno. magistro et hortamur eum, ut contineat subditos suos, ne ab eis tales malefici foveantur et dispendia nostris inferantur, alioquin nos aliter provisuros quieti subditorum nostrorum et id nequaquam equo animo laturos, verum expectare adhuc aliquantisper

per volumus, donec certiores fiamus de cede, que commissa est in mercatores nostros Lithuanos in Monte regio, ut unam legationem instituamus, que congruere videbitur. Valeat feliciter vra. Ptas. Datum Vilne. MDXVII.

CLXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Koscielyecz, Palatino Junivladislaviensi Stumensi, Schlochoviensi Capitaneo.

Mgce. etc. Graviter ferimus, quod latrocinia ex terra dni. magistri perseverant detrimenta subditis nostris facere, speravimus illa post legationem quam ipse dnus. magister non pridem ad nos fecerat, tandem contineri et coerceri debuisse; verum quando aliter fit, quam nobis promissum sit, nolumus diutius hanc injuriam ferre. Tamen visum est nobis consultum adhuc eum per nuncium nostrum admonere, designavimusque ad eum generosum Raphaelem. Qui cum ab eo redibit et cognoscemus, admonitiones nostras non prodesse, curabimus, ut ex hac angustia subditos nostros liberemus. Cod. R.

Ceterum volumus, ut Stas. tua pecunias proventuum nostrorum ex arcibus fidei sue creditis diligenter et tempestive colligat et paratas habeat; pariter et Balinski. — Nam opus erit nobis cito pecuniis. Quod quando futurum erit, reddemus Stem. tuam certiorem. Datum.

CLXXIV. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Albertum, Marchionem, Magistrum Cruciferorum in Prussia.

Salutatione premissa dicatur.

Illustrissime princeps etc. A multo tempore consueverunt varie et graves querele fieri coram s. Mte. regia a subditis Mtis. sue de plurimis damnis et injuriis, que ex terra Illtis. vre. illis inferebantur, et Mtas. sua sacra multas ad illam literas dedit, quibus eam amice et benigne commonefaciebat, ut ab ejusmodi licentia subditos suos et alios, qui in ejus dominio conservantur coerceret terramque suam ita provideret, quo ab illa tales injurie et damna nunquam ante hac fieri solita non committerentur. Cod. R.

Presertim vero commonuit Illtem. vram. Mtas. sua et confessionem predonum, de quibus fuit nuper in Cziechanow supplicium sumptum, illi misit, ut continuisset suos a conservatione talium maleficorum diffidantium et inferentium damna subditis Mtis. sue.

Denique cum Illtas. vra. habuit novissime suos oratores apud Mtem. suam, qui inter alia etiam de ipsis predonibus illam excusabant, significavit ei Mtas. sua per illos et speravit omnino id futurum, ut Illtas. vra. habita tandem ratione tot amicabilium admonitionum et indignitatis rei, que ex terra sua perpetrabatur, coercere et continere debuisset ista maleficia, quod et ipsi oratores fuerunt polliciti.

MDXVII. Verum Mtas. sua manifeste intelligit, et literas suas et ea, que Illti. vre. per eosdem ejus oratores significavit, adeo nihil profecisse; ut etiam in contemptum et derisum cessisse videantur, hactenus enim non modo non cessasse ipsa maleficia, sed aucta insuper esse et magis indies invalescere Mtas. sua cognovit.

Fiunt enim comminationes diffidationesque passim etiam a gregariis militibus et vilissimis quibusque hominibus subditis illius Mtis. omnis status et conditionis, incenduntur ville, ceduntur, truncantur et spoliantur homines aliaque id genus varia facinora committuntur per predones ex terra Illtis. vre. grassantes, quos adeo manifestum est in illa foveri et conservari, ut id nulla tergiversatione negari et excusari possit.

Quare plurimum miratur Mtas. sua, unde hec infensio et audacia talium improborum hominum eorumque conservatio et impunitas procedat. Non potest Mtas. sua aliud conjicere, quam Illtem. vram. et ejus ordinem istis modis premere et urgere velle subditos sue Mtis., ut illi obtemperare et subesse tributumque aliquod pro pace sua pendere cogerentur, prout id in quibusdam locis ejus cancellarius est manifeste locutus.

Unde et posset facile Mtas. sua et justam habere causam par pari referre parique licentia data terram Illtis. vre. premere et injurias subditorum suorum vindicare, est enim Mtas. sua sufficiens non a latronum modo grassationibus, sed a longe majore vi incumbente subditos suos defendere, qui continuis expostulationibus id a Mte. sua exigunt.

Verum Mtas. sua pro animi sui mansuetudine et conjunctione sanguinis cum Illte. vra. adhuc illam per me commonere est dignata et commonet, ut tam nefaria facinora, que ex terra ipsius fiunt, jam tandem compescat et justitiam subditis Mtis. sue de commissis ex terra sua damnis et injuriis faciat, que Mtas. sua, jam neque potest neque vult amplius perpeti idque Illti. vre. denunciari mandavit et denunciat, quod si jam deinceps vel minimum dispendium ceperit aliquis subditorum Mtis. sue, id sua Mtas. non aliunde repetere vult, quam ex illis locis, unde fuerit illatum. Nam sicut Mtas. sua solet cum omnibus suis vicinis juste et benigne agere subterfugereque omnem dissidii occasionem, ita hanc suam mansuetudinem nollet in levitatem diminutionemque amplitudinis sue regie et oppressionem suorum subditorum redundare.

CLXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. R. Reverende in Christo pater. Multa adversa dnus. magister erga nos et subditos nostros exercet, que, aliis nunc difficultatibus impliciti, dissimulare ad tempus vellemus. Interim autem ad arcendos et propulsandos predonum incursus et latrocinia, fecimus locari presidia illic, ubi magis necessaria viderentur. Et edocuimus mgcum. Stanislaum de Koscielyecz, pal. junivladislaviensem et cap. marienburgensem, qualiter se gerere deberet, ad par pari referendum prout vra. rev. Ptas jam ex Ebrardo Ferber latius intellexit. Et proinde utetur his presidiis ad bonorum suorum et ecclesie tuitionem. Si vero ea obstare non possent, capiemus aliud consilium opportunum et nullo modo subditos nostros premi patiemur.

CLXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro in Prussia.

Illustris princeps, nepos noster charissime. Scripsimus non pridem vre. Illti. pro subdito nostro Bulhak de terra Samogitie, quod ei ancilla ipsius una cum nonnullis hominibus illiberis et multis aliis rebus istic in Prussiam transfugit et a vicepreceptore in Ragneth detinentur, qui et illos, qui literas nostras illuc tulerunt, cepit et in vincula conjecit, que res est nobis valde molesta. Hortamur igitur Illtem. vram. et postulamus ab illa: ut eandem ancillam cum hominibus illiberis et rebus omnibus, quas secum abduxerunt, reddi faciat, et ulterius illos detineri cum nostra et dicti subditi nostri injuria non permittat. MDXVII. Cod. R.

Ceterum officialis seu capitaneus in Tilsa non vult justitiam facere nostro subdito, nobili Adam de Samogitia, de rebus quibusdam furto sibi ablatis. — Postulamus etiam a vra. Illte.: committere velit eandem justitiam sibi fieri et res ablatas restitui pro officio suo et mutua vicissitudine, quam a nobis desiderat. Alioqui non possemus id non graviter ferre Cupimus eandem Illtem. vram. bene valere. Datum.

CLXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Magistro Cruciferorum.

Illustris princeps et dne. nepos charissime. Scribit nobis Illtas. vra.: officiales suos quendam maleficum comprehendisse, qui confessus sit, favorem et conservationem in districtu elbingensi habuisse, misisseque se ad cives elbingenses, ut animadverterent in eam rem et justitiam ministrarent, qui tamen id facere non curarunt, postulatque a nobis Illtas. vra., ut istuc nuncium nostrum mitteremus, qui confessioni ac testimonio ipsius malefici adesset: et cum constaret, rem ita esse, juberemus justitiam cum iis, qui comperti essent noxii, fieri. Nos non libenter videremus, ut aliquid nostri facere adversus Illtem. vram. et subditos ejus deberent, quamvis afferantur ad nos continue querele nostrorum de multis variisque damnis et injuriis, que illis ex terra et ditione vre. Illtis. inferuntur, verum ad presens tam longe bello occupati existentes, non possumus huic rei intendere et nuncium istuc mittere, sed quando feliciter Vilnam revertemur perquiri rem committemus, et quod justum et equum erit pro conservanda bona pace et concordia nostra mutua et subditorum nostrorum libenter faciemus. Bene valeat vra. Illtas. Datum in castris circa Poloczko. Cod. R.

CLXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Koscielyecz, Palat. Junivladislaviensi etc., Joanni Balinski, Dispensatori Marienburgensi.

Mgce. et generose, sincere et fidelis noster dilecti. Libenter volumus mutare capitaneum in arce Gniewense, cum istum minus utilem esse censetis; verum opus est, ut adhuc denuo Cod. R.

MDXVII. nuo proventus omnes ipsius arcis conscribantur. Et proinde committimus tibi Balinski: ut tu illos diligenter conscribas et nos de illis certiores facias, ut sciamus, qualiter et in quo alium capitaneum constituere debeamus. Faciatis impensam diligentiam, ut suscipiatis quadraginta equites ad comprimenda grassatorum maleficia et alias res exequamini, de quibus vobis prius scripsimus. De burgrabiatu urbis postea voluntatem nostram significabimus.

CLXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. B. Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Gratam nobis admodum rem facit Ptas. vra. quod ea que intelligit moveri in animis utriusque dni. magistri et ordinis eorum nobis diligenter declarat. Miramur si illi, nulla a nobis provocati injuria, bellum adversus nos ordirentur. Quod tamen si facerent, daremus operam, ut et inultum non ferrent, et recordarentur in posterum, quantum dispendium sit, bellum temere et injuste aggredi. Postulamusque a vra. Pte., ut et in posterum quidquid unquam ab eis novi intelligere potest, nobis quam primum significet.

Quod vero attinet ad constitutionem capitaneorum in arce nostra marienburgensi, nondum deliberavimus, quomodo sumus facturi, nam hec res non parvi nobis videtur momenti. — Cogitabimus igitur, ut ita faciamus, prout commodius et utilius erit loco illi et Reipublice. Inter quam cogitationem habebimus non postremam rationem commendationis vestre Ptis. quam pro fratre suo mgco. Stanislao Koscielyeczki, palat. junivladislaviensi, fecit. Valeat feliciter vra. rev. Ptas.

CLXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. B. Non libenter videmus inquietudinem, quam habet Ptas. vra. ex terra dni. magistri, commisimusque mgco. dno. palatino junivladislaviensi: ut ad rationem contributionum terre nostre Prussie suscipiat XL equites et illos de mutuo consilio cum vra. Pte. locat illic, ubi commodius grassationes maleficorum arceri et reprimi possint. Commisimus etiam et dedimus instructionem eidem palatino ad id quod ad predonem, quem captum Ptas. vra. habet, attinet.

Alia ex hoc famato Ebrardo Ferber cognoscet. Et bene valeat.

CLXXXI. MERCIMONIA

CLXXXI. Mercimonia cum Cruciferis inhibita Ne ex regno res ad Cruciferos importentur.

Sigismundus, Rex Polonie, Subditis Regni Polonie.

Universis et singulis etc. significamus tenore presentium. — Cum nuper in conventu regni nostri Cracovie habito relatum esset ad nos et consilium nostrum, qualiter in terra magistri Prussie inhibitio facta sit, ne ex illa alique res et mercimonia ad terras nostras ducerentur, compertum etiam haberemus, subditos nostros in magistri ipsius terra solere negotiantes vel res aliquas ducentes multifariam premi, spoliari et violari, volentesque commoditati et quieti ipsorum subditorum nostrorum consulere consilio et assensu consiliariorum nostrorum statuimus: ut vicissim nulla mercimonia aut res ad terras dicti magistri ex terris nostris educantur aut importentur. Ac ut eadem constitutio nostra effectum suum accipiat, vobis omnibus et singulis supra dictis cujuscunque ordinis et conditionis existentibus, sub pena capitis et amissione omnium bonorum districte mandamus: ut a festo S. Laurentii proxime futuro nemo ad terram magistri Prussie res vel merces aliquas tam grandes quam exiguas, cujuscunque qualitatis fuerint, ducere vel inferre aut quidcunque negotiationis non solum in terra illius sed etiam in nostra, ne illius subditi e terris nostris aliquid educere possint, exercere deinceps audeat. MDXVII Cod. R.

Vobis vero locorum capitaneis ac proconsulibus et consulibus civitatum et oppidorum severe precipimus: ut hanc nostram constitutionem ac edictum in omnibus locis publicis, ad que homines frequenter convenire solent, denunciari et proclamari faciatis, ne aliquis ignorantiam pretendens aliquid contra eam ipsam constitutionem nostram committat. Vos vero capitanei, ut curam et diligentiam in custodiendo et pervestigando, ne quis eandem inhibitionem nostram transgediatur omnem adhibeatis, ac quoscunque offenderitis vel deprehenderitis in minima quaque re contra hanc inhibitionem nostram excessisse, capiatis et usque ad instructionem et documentum nostrum detineatis sub penis contra capitaneos et officiales negligentes dudum constitutis. Pro gratia nostra non aliter facturi.

CLXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

Illustres principes etc. — Volentes decretum conventus cracoviensis de non inferendis ullis rebus vel mercibus in terram magistri Prussie, quandoquidem ille prius suis id interdixit, exequi, mittimus inhibitionis nostre literas universales ad omnes capitaneos et officiales regni nostri, quo ipsa inhibitio nostra omnibus publicetur. Postulamus etiam a vris. Illtibus.: ut pari modo et juxta formam literarum nostrarum universalium, quas etiam illis mittimus, Cod. R.

MDXVII. mittimus, inhibitionem faciant in toto ducatu suo: ne aliquis res vel merces ullas ad terram dicti magistri ferre aut quidquid commercii cum subditis ejus habere presumat. Rem dignam conservatione sua erga nos et nobis plurimum gratam facture. Bene valete.

CLXXXIII. Eodem exemplo litere ad Capitaneos regios scripte hac clausula finite.

Cod. R. Ad tuam Fidelitatem scribimus et mandamus: quo eandem inhibitionem nostram juxta tenorem literarum publicari in omnibus locis insignioribus et easdem literas ad civitates et omnia oppida capitaneatus tui deferri faciat, et singula, uti in literis continentur, exequi omni studio et diligentia curet pro gratia nostra.

CLXXXIV. Ad Civitates.

Cod. R. Mandamus vobis, quo ipsas literas et inhibitionem nostram omnibus concivibus vestris publicari faciatis. Et ne aliquis illam ignoret neve transgrediatur operam omnem adhibeatis. Pro gratia nostra aliter non facturi.

CLXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis et nonnullis Nobilibus in Prussia, Commissariis suis ad cognoscendas injurias designatis.

Cod. R. Reverende in Christo pater, Mgci. et Nobiles, sincere nobis et fideles nostri dilecti. Consules civitatis nostre elbingensis miserunt ad nos Ill. dni. magistri literas ad se missas minaces et contumeliosas et ob eam causam scriptas, quod dum superiore tempore quendam, ut ferunt, maleficum hominem a se captum ad arcem marienburgensem, jussis capitaneorum nostrorum obtemperantes, misissent, ibique ad questiones datas multa maleficia confessus ultimo supplicio affectus est. Nobis quidem talis processus, qualem dnus. magister in assequenda justitia servavit, merito placere non potest, quia tamen preterita magis reprehendi possint quam corrigi, nos post admirationem de tanta arrogantia quid aliud faciendum censeremus, non satis perspectum habemus, quam ut vobis ejusce cause cognitionem demandaremus, committimusque vobis, ut ad certum diem et locum convenientes accersitisque partibus — scribimus enim ad dnum. magistrum, ut cum a vobis admonitus fuerit, mittat quem velit ad causam exponendam — examinetis totum ejus rei processum ac effectum, causas etiam cognoscatis, ex quibus res ista processit et perfecta est. Sique cum injuria supplicio affectum hominem subditum dni. magistri cognoveritis, date operam, ut justa satisfactio dno. magistro vel ejus subdito per vos decernatur et fiat, ne posthac contra nostros subditos tales minas edendi justam habere possit occasionem. Datum Poloczko XX Septembris.

CLXXXVI. SIGISM.

CLXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. — Placet nobis quidem, quod Stas. tua scripserit dno. epo. vladislaviensi in Hungariam, quo vojevoda Moldavie statueretur de mutua intelligentia; verum fecit nos certiores capitaneus camenecensis, quod adhuc in vita illius defuncti vojevode sit unanimiter a tota terra filius ejus undecim annorum acceptus. Jamque idem apud nos habuit celerem nuncium cum literis itidem nobis annunciando, quod brevi oratores suos ad nos mittere vellet. MDXVII. Cod. R.

Preterea scit tua Stas. nos juramento esse astrictos, ut non servaremus Petrum in detrimentum terre ipsius Moldavie, qui cupit vehementer, se nunc dimitti ad fines regni nostri, sperans se a communi populo terre moldaviensis in dominum susceptum iri. Tamen loquatur istic tua Stas. cum aliis dnis. de hac re, et si quid vobis videbitur expedire, quod facere deberemus, citra tamen offensionem juramenti et federum inter nos et regnum Hungarie initorum, id libenter faciemus. Bene valeat Stas. tua.

CLXXXVII. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Stephanum, vojevodam Valachie.

Mtas. regia dnus. meus gratiosissimus ejus semper animi fuit et est, ut erga vestram Mgciam. veram amicitiam conservet, et in omnibus rebus ostendat, idque semper cogitavit, ut terra vestre Mgcie. in pace et in bona defensione contra hostes paganos consistat, quod ex hoc quisque et imprimis vra. Mgcia. facile potuit cognoscere, quod in omni ejus necessitate contra eosdem paganos exercitum suum, quem in Podolia contra Tartarorum incursiones servare consuevit ad vre. Mgcie. defensionem semper paratum esse voluit et omnia eque libenter semper faceret, que cognosceret ad vre. Mgcie. et ejus terre bonum et pacificum statum pertinere. Cod. R.

Et quamvis anno superiori per me vra. Mgcia. multis verbis sue Mti. suam vicissim amicitiam declaravit, quodque in omnibus actionibus sue Mti. adherere statueret et in omni sua necessitate et periculo, si quid a paganis immineret, cum omnibus rebus suis ad suam Mtem. declinare vellet, voluitque ut singulari juramento id sua Mtas. denuo confirmaret. Quod sue Mti. non videbatur opus esse faciendum, cum prius factum juramentum nulla unquam in parte immutabit, nec immutare intendit.

Attamen ex quibusdam causis sua Mtas. cognoscit, quod vra. Mgcia. non satis amicum animum erga suam Mtem. gerit, et presertim ex hoc, quod sue Mtis. hostium oratores et nuncii sepe veniunt ad vram. Mgciam. cum quibus quia vicini non sunt, nihil commune videt sua Mtas. esse vre. Mgcie. Cognovit id ipsum sua Mtas. ex imperatore Tartarorum, cum quo pacem faciens, vestramque Mgciam. in eandem pacem includere volens, ut omnes sue Mtis. amici et confederati etiam vre. Mgcie. essent amici et confederati, post longos super ipsa

MDXVII. ipsa re tractatus, quoniam diu in hoc sue Mtis. voluntati contradicebat, tandem victus multis persuasionibus, intimavit sue Mti., id se quidem facere velle ut sit vre. Mgcie. amicus, hoc tamen adjecit, quod vra. Mgcia. non sit sue Mti. integer amicus.

Et propterea sua Mtas. considerans, tam sua quam vre. Mgcie. dominia paganis vicina esse, et intelligens communem sive conjunctam utrinque defensionem contra eosdem hostes utrique parti multo utiliorem esse, quam separatam vel divisam, optat a vra. Mgcia. per me et erga suam Mtem. et sue Mtis. dominia, talem amicitiam omnibus in rebus ostendere velit, qualem ex sua Mte. cognoscit et qualem necessitas utriusque partis postulare videtur. Sicut enim non dubitat sua Mtas., suam amicitiam ad defensionem contra hostes vre. Mgcie. utiliorem esse quam aliorum principum, qui vicini non sunt, ita etiam credit amicitiam vre. Mgcie., quoad defensionem sue Mtis. dominiis utilem esse futuram.

Ubi autem talis consensus amicitie ab utraque parte conservabitur omnia multo melius ad utramque partem eventura esse non dubitat in bellicis actionibus contra paganos; sentient enim meliorem resistentiam ab utraque parte futuram, quam si per discordiam mutuum auxilium deesse in communi necessitate viderent.

Et ut hec ipsa amicitia inter Mgciam. vestram et imperatorem Turcarum per Mtem. regiam incepta et facta firma et perpetua esse possit, Mgcia. vra. det salvum conductum nunciis imperatoris in manus meas, ut sub eodem salvo conductu ad vram. Mgciam. securi veniant et ipsam amicitiam confirment.

Commisit item mihi sua Mtas., ut cum vre. Mgcia. constituerem tempus et locum, quando conventuri essemus in confinibus terrarum, ut satisfieret vre. Mgcie. disiderio de fugitivis hominibus, de quibus apud s. Mtem. vra. Mgcia. questa est, quod a festo assumptionis b. virginis Marie in Podoliam profugissent. — Et sicut sua Mtas. promisit, se facturam post conventum cracoviensem; jamque mihi dedit sua Mtas. literas ad omnes capitaneos vre. Mgcie. finitimos, ut ad diem per vram. Mgciam. mecum constitutum convenirent, ut auditis partium querelis et responsis justitiam faciamus de restitutione hominum fugitivorum.

Vra. igitur Mgcia. velit etiam suos capitaneos admonere et eis mandare, ut sue Mtis. subditis homines fugitivos similiter restitui jubeantur, qui queruntur, multos similter in terram vre. Mgcie. profugisse, de quibus nunquam justitiam consequi possunt.

CLXXXVIII. Legatio seu Instructio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Stephanum, Vojevodam Valachorum, data Georgio Krupski, Castellano Leopoliensi Capitaneo Hrodlensi.

Cod. R. Quod postquam dnus. vojevoda Moldavie misit Vilnam primum, deinde Cracoviam ad Mtem. regiam oratorem suum Kirsza ad declarandum voluntatem et desiderium suum, ut antiqua federa inter Mtem. suam regnumque et dominia sua ac inter patrem illius defunctum terramque Moldavie facta renovarentur, quodque obtulit se eadem federa servare velle majori studio et integritate quam pater suus, Mtas. regia grato animo suscepit hanc rem a dno. vojevoda et consiliariis terre Moldavie literasque firmissimas eorundem federum dari dicto oratori

oratori mandavit ac illas juramento, licet non fuit opus secundo id facere, iterum roboravit. Proinde ut ipse vojevoda similes literas daret et etiam juramentum cum consiliariis et primoribus suis tam ipse quam frater ejus Petrus prestaret, facturus iterum hoc idem juramentum una cum eodem fratre suo, postea quando ad etatem legitimam pervenient. MDXVII.

Secundo: quod sit libertas eundi in Turciam mercatoribus subditis sue Mtis. juxta privilegia et federa antiqua, alioquin esset ea res inconveniens mutue concordie, amicitie et federibus; quodque cives leopolienses habent privilegia vetera de emporio et depositorio suo, que illis per Mtem. regiam violari non possunt.

Tertio: quod Mtas. regia commisit dno. palatino sandomiriensi, exercituum regni sui capitaneo generali et aliis capitaneis ac prefectis militum suorum: ut incumbente necessitate terre moldaviensi, ferret auxilium illi gentibus et stipendiariis Mtis. sue. Et proinde ipse vojevoda etiam provideret, ut, cum necessitas esset, terris Mtis. sue auxilium ex terra moldaviensi prestaretur.

Quarto: quod ad componendas et discernendas injurias, que fiunt aut facte sunt inter subditos Mtis. regie et vojevode moldaviensis, fieri debeat conventus in Czirvone pro fer. II. post fest. S. Petri et Pauli, apostolorum proxima. Ad quem Mtas. sua deputavit dnos. palatinum sandomiriensem, palatinum Russie, palatinum Podolie et capitaneum camenecensem. —

Preterea dicatur de furtis, que ex terra moldaviensi multa in terris Podolie patrantur et aliis multis injuriis, que subditis Mtis. regie per subditos dni. vojevode moldaviensis inferuntur, postuleturque ab eodem dno. vojevoda et ejus consiliariis, ut ejusmodi mala cohibeant et pro injuriis illatis satisfacere precipiant.

Item, ut non arestentur subditi Mtis. regie in terra moldaviensi, sed ut justitiam apud capitaneos quisque Valachus querat ex vi federum.

Hec singula premissa salute et credentia diffusius, ita ut expediet, dicentur.

CLXXXIX. Fedus cum Valachis.

In nomine Domini. Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos *Sigismundus* D. g. rex Polonie, Mg. dux Lithuanie, nec non terrarum Cracovie, Sendomirie, Siradie, Lancicie, Cujavie, Russie, Prussie ac culmensis, elbingensis Pomeranieque etc dominus et heres, manifestum facimus universis et singulis presentes lecturis. Quia cum mgcus. dnus. Stephanus, vojevoda terre moldaviensis, amicus sincere nobis dilectus, sedem patris sui olim mgci. Joannis Bohdani, vojevode, assecutus, a nobis per suum nobilem Lucam Kirsza, oratorem et officialem suum, qui Kumiennik dicitur, postulasset: ut cum eo antiqua federa et inscriptiones, que cum eodem patre suo olim Bohdano, vojevoda, fecimus, innovaremus et confirmaremus, nos cognoscentes, cuilibet etiam potentissimo dno. expedire multum concordiam et fedus mutuum cum aliis vicinis dominis et presertim his utriusque nostrum propter invalescentem in dies hostium Christianorum potentiam, equum censuimus illa renovare et confirmare, renovamus et confirmamus harum serie literarum. Et volumus nos Cod. R.

 Sigismundus,

MDXVII. *Sigismundus*, rex, fedus et pacem perpetuam, tenere et habere cum eodem mgco. *Stephano*, vojevoda, et *Petro*, ejus fratre, ac terra moldaviensi, pollicemurque verbo nostro regio pro nobis, successoribus nostris et consiliariis ecclesiasticis et secularibus ac universis subditis regni et dominiorum nostrorum eandem pacem perpetuam cum ipso mgco. *Stephano*, vojevoda, et *Petro*, fratre ejus, pueris ipsorum, pueris puerorum et successoribus ipsorum, bojaris et universis subditis ac terra eorum moldaviensi tenere ac inviolabiter observare in perpetuum; regnumque et dominia nostra ac consiliarii ac omnes subditi nostri tenebunt et observabunt. Ipseque *Stephanus*, vojevoda, et *Petrus*, ejus frater, securi esse debent et sua impetrabunt in terra sua moldaviensi absque ullo nostro, liberorum, successorum et subditorum nostrorum impedimento, nunc et in posterum.

Pollicemur insuper, quod *Stephano*, vojevode, et *Petro*, ejus fratri, pueris ipsorum, pueris puerorum et terre eorum moldaviensi contra omnes illorum inimicos consilio et auxilio nostro assistemus, ipsosque ab eisdem inimicis tuebimur et defendemus pro posse nostro, armis et gentibus nostris et successores nostri defendent. Et similiter vojevoda *Stephanus* et *Petrus*, ejus frater, successoresque ipsorum nobis, successoribusque nostris contra omnes hostes nostros assistent et consilia atque auxilia sua pro posse suo prestabunt armis et gentibus.

Pollicemur etiam cum consiliariis nostris *Stephano*, vojevode, et *Petro*, ejus fratri, pueris ipsorum et pueris puerorum ipsorum erimus inimici inimicis et amicis ipsorum erimus et esse volumus semper amici. Ipse etiam *Stephanus*, vojevoda, et *Petrus*, frater ejus, pueri ipsorum, pueri puerorum ipsorum et subditi ipsorum terre moldaviensis erunt et esse debent amicis nostris amici et inimicis nostris inimici.

Item quod nullum inimicum *Stephani*, vojevode, et *Petri*, ejus fratris, qui se appellaret dnum. terre moldaviensis et veniret ad nos aut subditos regni et dominiorum nostrorum suscipiemus, nec locum usque illi aut victum dabimus in terris nostris et apud subditos nostros, sed ubi talis compertus homo foret in terris nostris apud quemcunque ex subditis nostris, abire illum et pellere de terris nostris mandabimus, ut nullo tempore maneat in dominiis nostris, nec illum fovebimus nec tenebimus in damnum *Stephani*, vojevode, et *Petri*, ejus fratris, successorumque et subditorum ipsorum ac terre moldaviensis, occulte seu manifeste. Et si contingeret, quod aliquis bojarus aut servus *Stephani*, vojevode, profugeret ad nos et terras aut subditos nostros, is querere poterit sibi gratiam apud dnum. suum Stephanum, vojevodam, per se aut per intercessionem nostram, et si eam obtinebit, liberum erit illi et securum reverti ad dnum. suum Stephanum, vdam. Quod si gratiam et veniam consequi non posset, nos illum non servabimus apud nos et subditos nostros in terris ac dominiis nostris neque occulte neque manifeste.

Etiam pollicemur *Stephano*, vde., amico nostro, quod si contingeret et permissione divina, quod procul absit, ipsum et *Petrum*, ejus fratrem, propter potentiam alicujus validi hostis, cui resistere non posset, exire de terra sua ad regnum Polonie aut alia dominia nostra, tum ex eo casu terre nostre aperte erunt illis et matri eorum, uxoribus, sororibus et liberis eorum et universe familie seu generi ipsorum et bojoris cum uxoribus, cum liberis et subditis eorundem cum thesauris et rebus omnibus, que ad eos spectant; liberumque erit

erit eis venire ad nos, terras, castra et civitates nostras et manere libere et secure, ubicunque illis visum fuerit. Nosque in casu eo ipsum Stephanum, vdam., et Petrum, fratrem ejus, ac matrem, conjuges, liberos ipsorum cum uxoribus, cum pueris ipsorum amore et benivolentia nostra prosequemur et in gratia ac honore conservabimus. Habebuntque ipsi libertatem in terris nostris manentes, recuperare terram suam moldaviensem. Et cum id facere voluerint, nos *Sigismundus*, rex, omnibus viribus et potentiis nostris illos adjuvabimus, ut repetere et recuperare possent terram ipsam suam moldaviensem, et cum dnus. deus adjuverit, quod eandem terram suam recuperabunt, liberum erit et securum et apertum ipsi *Stephano*, vde., et *Petro*, ejus fratri, amicis nostris, absque omni incommodo et damno exire de terris nostris cum matre et conjugibus suis, cum sororibus suis, cum universo genere et omnibus bojaris ac uxoribus eorum, thesauris eorum et omnibus, que habuerint ad terram suam moldaviensem. MDXVII.

Item pollicemur *Stephano*, vde., et *Petro*, ejus fratri, pueris et servis eorum ac pueris puerorum ipsorum et terre moldaviensis, quod nullum damnum et impedimentum illis faciemus, nec ullam hostilitatem seu inimicitiam, cum illis facto aut consilio occulte aut manifeste habebimus. Et si intellexerimus undecunque et a quibuscunque inimicis aliquod malum aut damnum illis imminere, id nos *Stephano*, vde., et *Petro*, ejus fratri, et liberis eorum ac terre moldaviensi significabimus. Et similiter *Stephanus*, vda., et *Petrus*, ejus frater, et liberi ac subditi ipsorum nullum detrimentum et damnum nobis et terris nostris inferre, nullas quoque inimicitias nobiscum exercere debent facto aut consilio, occulte aut manifeste. Et si intellexerint, aliquod malum a nostris hostibus nobis imminere, ipse *Stephanus*, vda., et *Petrus*, ejus frater, debent nobis illud indicare et significare.

Preterea si quando nos generalem expeditionem unacum Sermo. principe dno. Ludovico, rege Hungarie et Bohemie, nepote nostro charissimo' prout id cum dei auxilio facere intendimus, facere voluerimus contra Turcorum imperatorem et terram illius, nosque ipsi in personis nostris cum omnibus potentiis dominiorum nostrorum in eadem expeditione proficiscemur, ipse Sermus. dnus. Ludovicus, rex, ibit in terram Bessarabie et Transalpinam, illicque Danubium trajiciet, nos etiam ibimus in terram cesaris Turcorum et habita mutua intelligentia cum eodem Sermo. dno. Ludovico, rege, nepote nostro charissimo, et mgco. *Stephano*, vda., et *Petro*, ejus fratre, illac ibimus et Danubium trajiciemus, qua nobis melius et utilius videbitur. Et tum *Stephanus*, vda., solus in persona sua cum tota terra sua moldaviensi una nobiscum contra eundem imperatorem Turcorum ire debebit, nisi, quod absit, gravi infirmitate detineretur, propter quam solus in persona sua ire nobiscum non posset, quia tunc et eo casu *Petrum* suum fratrem cum omnibus suis potentiis mittere nobiscum et expedire debebit.

Priusquam vero ejusmodi generalem expeditionem contra cesarem Turcorum faciemus, nos *Sigismundus*, rex, una cum Sermo. nepote nostro, dno. rege Ludovico ipsum *Stephanum*, vdam., et *Petrum*, ejus fratrem, ac terram eorum moldaviensem protegemus ab eodem cesare Turcorum et defendemus illisque contra ipsum assistemus et auxilium prestabimus.

Similiter quoque *Stephanus*, vda., cum *Petro*, fratre suo, quecunque nova interim audiverit de Turcis, nobis illa et dicto Sermo. nepoti nostro, dno. regi Ludovico, quantum poterit, significare

MDXVII. significare debebit. Et neque consilium neque auxilium ipse *Stephanus*, vda., et *Petrus*, ejus frater, dabunt Turcis adversum nos. Sed quantum maxime poterunt, erunt illis inimici.

Quod si *Stephanus*, vda., et *Petrus*, ejus frater, per Turcorum imperatorem et ejus exercitum oppressi cogerentur vi et armis dare auxilia contra terras nostras, ipsique magne potentie resistere non valentes ferrent auxilia Turcis adversus terram nostram, fedus et pax perpetua inter nos propterea violari ac rumpi non debet, in quantum constaret, illos vi ad hoc coactos fuisse.

Item mercatoribus *Stephani*, vde., et terre moldaviensis liberum erit et securum ire per terras nostras et mercari et negotia sua exercere, solutis vectigalibus et theloneis consuetis et servato jure antiquorum emporiorum seu depositoriorum.

Et similiter nostris mercatoribus et subditis liberum esse debet, et securum et aptum, ire per terram moldaviensem ac mercari et negotia sua exercere, solutis vectigalibus et theloneis antiquis et servato jure antiquorum depositoriorum.

Si que autem injurie et damna evenient inter subditos utrinque circa fines, nos cognitionem illarum camenecensi et haliciensi capitaneis pro tempore existentibus committemus, sic quod cum facta fuerit aliqua injuria aut damnum alicui subdito de terra moldaviensi, ab aliquo subdito nostro, is, cui facta erit injuria, petere debet justitiam a capitaneis camenecensi et haliciensi, et ii ipsi capitanei habebunt potestatem in unumquemque subditum nostrum, ut facere possint cum eis justitiam, deum pre oculis habentes, hominibus *Stephani*, vde., et terre moldaviensis. Similiter si cuipiam ex subditis nostris facta erit injuria aut damnum a subditis aut aliquo homine *Stephani*, vde., et terre moldaviensis, is petere debet justitiam a capitaneis choczimensi et czarnoviensi. Illi vero potestatem et auctoritatem habere debent a dno. suo de omnibus, deum habentes pre oculis, justitiam ministrare.

Quod si aliqua gravis, magna injuria et dissensio accideret inter capitaneos, nos id *Stephano*, vde., significabimus, et ille nobis vicissim, et uterque nostrum oratores et consiliarios suos solennes mittere debebit. Qui simul convenientes de ejusmodi injuria et differentia cognoscant et justitiam faciant. He autem injurie et damna, que utrinque inter subditos nostros evenerint, hoc fedus et pacem perpetuam inter nos violare et frangere non debent.

Conventus vero ad componendum et cognoscendum utrinque de ejusmodi injuriis et damnis fieri debent in locis consuetis, in quibus hactenus fuit tentus et habitus.

Hec omnia supra dicta nos *Sigismundus*, rex Polonie, et Mg. dux Lithuanie etc. pollicemur verbo nostro regio cum omnibus archiepiscopis, episcopis, consiliariis nostris ecclesiasticis et secularibus et subditis regni et dominiorum nostrorum amico nostro *Stephano*, vde. terre moldaviensis, et *Petro*, ejus fratri, pueris illorum et pueris puerorum ipsorum, omnibus heredibus et subditis illorum firmiter tenere, implere et inviolabiliter observare sine fraude et dolo, successoresque et subditi nostri observabunt.

In cujus rei fidem et testimonium sigillum nostrum presentibus appendi fecimus. Actum et datum Vilne fer. IV prox. post fest. S. Andree, anno domini MDXVII., regni nostri anno XI. Presentibus reverendis in Christo patre episcopo premisliensi et regni vicecancellario, *Petro Tomiczki*, nec non generosis *Janussio Swirczewski*, bieczensi et sandecensi, ropczicensi et

et trebowliensi et militum nostrorum mercenariorum in hoc Mg. ducatu capitaneo, *Nicolao* MDXVII. *Volski*, sochaczoviensi, *Joanne Kosczyeleczki*, kovaliensi, *Petro Kriski*, sieprcensi et capitaneo plocensi, castellanis, *Joanne Latalski*, gnesnensis, cracoviensis et lancicensis ecclesiarum preposito, *Andrea Kriczki*, *Stanislao Chroberski*, pincerna et capitaneo crzestoviensi, *Derslao Zaliwski*, magistro coquine cracoviensis, *Nicolao Tomiczki*, tribuno lanciciensi, capitaneo costensi et prefecto stabuli, *Silvestro Ozarowski*, succamerario et burgrabio cracoviensi et capitaneo zavichostensi, *Jacobo Rosnowski*, dapifero posnaniensi, nostris sincere et fidelibus dilectis. Datum per manus prefati reverendi in Christo patris dni. Petri, epi premisliensis et regni nostri vicecancellarii sincere nobis dilecti.

CXC. Sigismundus, Rex Polonie, Anne, Duci Masovie, vidue.

Preclara dux, sincere nobis dilecta. Intelleximus Illtem. tuam decimas quasdam novales Cod. R. in damnum et prejudicium episcopatus posnaniensis a summo pontifice impetrasse; cum tamen non ignorat decretum esse antiquum inter duces Masovie et episcopos posnanienses de ipsis decimis novalibus etiam cum pena pecuniaria quotienscunque illud per partem aliquam fuerit transgressum. Quare cum officii nostri sit jura ecclesiarum nostrarum tueri et manutenere, idque minime deceat, ut talia absque voluntate et scientia nostra tanquam unici illius ecclesie patroni fierent, hortamur Illtem. tuam et mandamus: ne quidquam tale adversus ecclesiam et decretum ipsum attemptet, quin cogeremur nos autoritate nostra non solum de prefata pena cum tua Illte. agere, sed etiam id omne exequi, quod ad defensionem conservationemque jurium et immunitatum dicte ecclesie pertinere et expedire arbitraremur, nec illi aliquo modo deesse.

CXCI. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis et Nobilitati Ducatus Masovie Ecclesiasticis et Secularibus.

Generosi, venerabiles et nobiles, sincere nobis dilecti. Fuimus ejus spei, quod post nuncium Cod. R. nostrum et literas, quas istuc ad vos miseramus, debuissent tumultus et dissensiones, in quibus estis constituti conquievisse; verum cum intelleximus, malum hoc magis invalescere, molesto et indigno animo tulimus, volentesque illud tempestive sistere, ne ad aliquod grave incommodum Reipublice vre. redundaret, mittimus in medium vestri generosum Janussium Swirczewski, castel. bieczensem et campiductorem nostrum, ad conventum generalem vobis denunciandum, et ut interim sitis utrinque in pace ac quiete vadium nostrum regium declarandum et interponendum. Quare volumus et hortamur vos: ut omnes

 pro

MDXVII. pro feria tertia proxima post festum purificationis Marie proxime venturum ad civitatem varschaviensem conveniatis, ipsum Janussium, nuncium nostrum, audituri, pro commodo et quiete vestra communi et gratia nostra. Datum Vilne.

CXCII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lasko, Archiepo. Gnesnensi, Primati Nicolao Firley, Palat. Sandomiriensi, Campiductori.

Cod. R. Rme. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Cum intellexeramus motum in ducatu Masovie magis in dies invalescere, volentes hoc malum intestinum sistere, ne ad aliquod magnum dispendium prolaberetur statui, feceramus conventum illum generalem pro dominica proxima Letare et vadium L milium florenorum auctoritate superioritatis nostre interposuimus. Verum cum hec generosus Janussius Swirczewski, cast. bieczensis, illuc a nobis missus, ducibus retulisset, suscipere noluerunt et conventum et vadium; nobilitas vero conventum quidem acceptavit, sed noluit vadium. Miserant preterea ad nos duces supplicantes enixe, ut mandatum nostrum tam de conventu quam etiam vadio revocaremus, offerentes, se nihil violenter cum subditis suis acturos conventumque suo nomine alias posituros. Nos videntes, parti utrique non usque quaque ea placere, que nos pro bono ac quiete illorum censuimus faciendum, revocavimus tam conventum quam vadium. Itaque jam non opus est, ut et illi, quos nos designaveramus, et ii qui per conventum sunt deputati illuc proficiscantur. Si qua vero injuria vel vis inferretur a ducibus nobilitati, nos illam non deseremus. Valeant bene.

CXCIII. Sigismundus, Rex Polonie, Janussio Swirczewski, Castell. Bieczensi.

Cod. R. Generose sincere nobis dilecte. Attulit nobis Zakrzewski literas tuas, quibus nobis declaras id, quod dna. dux cum ducibus Masovie tibi responderunt. Nos graviter et indigno animo ferimus, quod illi, qui ad nos cum querelis confugerunt, recusant deinde id, quod pro pace et quiete eorum statuimus suscipere, sed et miramur ac moleste ferimus, quod tu accepta a nobis sufficienti instructione, quid agere istic deberes, petis demum per literas edoceri. Proinde volumus et mandamus tibi, ut ea, que tibi commisimus et in quibus a nobis missus es, exequaris, suscipiat aliquis vel non suscipiat. Nos enim demum sciemus, quid facere cum hac re debebimus et libenter videbimus, quis ex subditis nostris infringere vel levipendere mandata nostra ausus fuerit. Tu vero facto officio tuo ad nos redeas. Pro gratia nostra.

CXCIV. SIGISM.

CXCIV. Sigismundus, Rex Polonie, Cracoviensi Palatino.

Mgce. Jam satis constat tue Sti., motus et dissensio exorta in ducatus Masovie, qui cum sit ditionis regni nostri et talis intestina discordia parere solet omni reipublice multum detrimenti, conventum illic generalem indici fecimus pro die dominico Letare proximo, volentes, ut tam perniciosa res debito modo sistatur, ne ad pejora vergat. Proinde cum id fieri non poterit absque consiliariis nostris, qui apud partem utramque confidentia et auctoritate valerent, tuam Stem. simul cum mgco. palatino sandomiriensi nuncios nostros ad illos potissimum deputandos censemus et deputamus, volentes ut predicto tempore illuc proficiscantur et differentias omnes pro virtute et prudentia sua ita componant, ut ad partem utramque justum et equum videbitur. Rem nobis valde gratam facturi. MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CXCV. Sigismundus, Rex Polonie, Nobilitati Ducatus Masovie, Ecclesiasticis et Secularibus.

Mgci., venerabiles, generosi et nobiles sincere et grate nobis dilecti. — Cum Illris. domina dux vestra quereretur nobis de quorundam ex vobis violenta invassione curie sue, in qua unacum liberis suis tum agebat, non libenter id audivimus. Sicut enim vellemus subditos nostros se adversus nos gerere, ita libenter videremus, ut adversus duces vestros vos in fide debita et reverentia conservaretis. Cujus rei gratia misissemus istuc ad conventum, quem ipsa domina dux constituit, consiliarios nostros, sed districti hic multis aliis curis nostris id tam cito commode facere nequivimus. Misimus tamen nuncium nostrum ad ejus Illtem. et ad vos pariter, ut conventus ipse ad tempus aliud transferatur. Quod ubi factum fuerit, nos libenter mittemus ad eum consiliarios nostros neutri parti suspectos, qui congruo modo istum motum et dissensionem vestram sedare et coëquare res omnes curabunt. Interim vero hortamur vos districtius, ut in quiete et pace vos contineatis, nihil tale innovantes, quo ipse motus magis pullulare deberet. Cod. R.

CXCVI. Petrus Tomiczki, Vicecancellarius, Eidem Nobilitati.

Ex literis Mtis. regie intelligent vre. Dtiones. quare Mtas. sua non deputet nunc dominos nuncios ad conventum, quem domina dux constituit, vult enim ejus Mtas., ut conventus ipse transponatur ad tempus aliud, quo Mtas. sua commode istuc mittere posset, prout id libenter facere vult, ut quam equius et decentius fieri poterit motus iste et dissensio non satis decora componatur. Expectabunt itaque vre. Dtiones. equo animo conventum ipsum et tempus ad quod instituetur. Ego vero quidquid aliud pro commodo et placito earum facere potero id libenter faciam. Que valeant feliciter. Cod. R.

CXCVII. SIGISM.

CXCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Ssidlowyecz, Palat. Cracov., Cancellario Nicolao Firley, Palatino Sandomiriensi, Campiductori, Andree de Tanczin, Palatino Lublinensi, Prandote de Zelasna, Palatino Ravensi.

MDXVII. Cod. R. Mgci. sincere nobis dilecti. Significarunt nobis Illustres dni. Anna, mater et tutrix, et Stanislaus ac Janussius, duces Masovie, se velle jure agere cum nonnullis subditis suis, qui curiam eorum in Makow invadere debuerunt, et petierunt a nobis, ut Stes. vras. illis in assessores eorum judicio dare dignaremur, quominus suspicioni de iniqua actione essent obnoxii. Que res, quia nobis est equa et conducibilis visa, cum ad partem utramque tum etiam ad nostram dignitatem, volumus et committimus eisdem Stibus. vris.: ut quando fuerint per dictos dnos. duces certiores facti, ad eos accedant et munere assessorio id omne quod justum et decus videbitur exequantur. Factura pro prudentia sua et gratia nostra.

CXCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Anne, Duci Masovie.

Cod. R. Illris. dna. sincere nobis dilecta. — Exposuit hic coram nobis et consiliariis nostris mgcus. Janussius Kosciejewicz, multis se et subditos suos premi injuriis ab officialibus vre. Illtis. terre Livensis, quas ex schedula presentibus inclusa cognoscet. Postulamus a vra. Illte.: mandet officialibus et subditis suis, ut eundem Janussium et subditos ejus in juribus et libertatibus antiquis conservent et in nulla re preter solitum gravent, pro injuriisque illatis satisfaciant. Officium suum et rem nobis gratam factura vra. Illtas. Que bene valeat.

CXCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

Cod. R. Illtres. dni. Significavit nobis Stanislaus Kownaczki, succamerarius visnensis, se delatum esse apud Illtes. vras. tanquam hic apud nos existens queri de illis coram nobis debuisset, et propterea accepta sibi esse nonnulla pecora et homines per capitaneum illius terre visnensis, et se non esse satis in rebus et vita sua tutum. Nos meminimus, ipsum Kownaczki apud nos fuisse causa repetenti cujusdam debiti sui, quod sibi teneri a Josepho cive plocensi asserebat, sed preter id nihil egisse nec ullam mentionem vrarum. Illtum. fecisse. Quare postulamus ab illis, ut ei ablata restitui mandent et securitatem illi dent res suas apud illas agendi et se purgandi. Nam hec delatio facta est immerito et cum sua injuria. Facient vre. Illtes. rem se dignam nobisque gratam. Que bene valeant.

XVII Julii. Stanislaus et Janussius, duces Masovie Vilnam ad Regem venerunt.

CC. SUPPLI

CC. Supplicatio Nobilium Masovie ad Regem Sigismundum contra oppressionem suam ab Anna Radivilea, Conradi vidua, Duce Masovie.

Anno currenti sunt XV. anni quando rex olim Alexander f. m. cum sacro suo consilio terram visnensem adscripsit et incorporavit regno Polonie ipsique terre visnensi libertates regni Polonie ac privilegia super his gratiose concessit, ita quod quiscunque temporalis dnus. terre visnensis pro tempore existens ex kmethonibus nobilium terre istius de quolibet laneo per duos grossos et de medio per unum grossum contributionem alias „poradlne“ exigere debeat et non aliter, ipsos kmethones nobilium totaliter a majori solutione „poradlne“ liberando. MDXVII Cod. R.

Deinde statuit et ordinavit, quod officiales sint possessionati in ipsa terra visnensi, qui ratione bonorum possint convenire judicialiter in dicto districtu super quibuscunque injuriis, prout in dicto privilegio terre visnensi concesso plenius continetur; in quibus libertatibus et in minori solutione „poradlne“ terra visnensis fuit in possessione pacifica, octo annis regia Mtas. terram visnensem astringens in omnibus gravaminibus suis ad tribunal suum recurrere ac revocare et non alibi reservavit.

Insuper orta lite super mellificiis inter nobiles et mellicidas quondam ducum Masovie, commissarii regie Mtis. concordiam fecerunt, quam s. Mtas. reg. moderna per privilegium eis gratiose concessum roboravit mellificiaque dicte nobilitati adscripsit et incorporavit juxta consuetudinem Majoris Polonie. In cujus possessione pacifica fuit terra visnensis ultra quinque annos vigore dicti privilegii ipsi nobilitati concessi.

Deinde sunt anni septem, quod moderna s. Mtas. reg. terram visnensem Illme. dne. Anne, duci Masovie, tenendam concessit dictaque dux possessione recepta dicte terre privilegia predicta libertatis fregit et violavit et ad majorem solutionis censum alias „poradlne“ potenter et de facto kmethones nobilium compellit, rusticis mellicidis suis dictam nobilitatem usum fructuum in mellificiis spoliare potenter et de facto mandavit. Et ita dicta terra visnensis suis libertatibus contra jura ipsi concessa potenter et de facto est spoliata.

Supplicat humiliter Serme. reg. Mti. ejusque christianissimo consilio pauperrima nobilitas violentiis, invasionibus, vadiis inusitatis ipsam nobilitatem ad solutionem injustam et contra eorum libertates et privilegia compellendo, exinanita penitus et destructa: ut s. Mtas. regia cum suo consilio Illmam. Annam, ducem Masovie, ejusque potius tyrannos quam officiales juxta primum decretum eidem Illme. domine duci per palatinum plocensem intimatum, ad tenendum dicte nobilitati privilegia et ad restituendum seu solvendum fructus et proventus, videlicet „poradlne“ contra privilegium ex agri laneo ultra duos ex medio ultra unum grossos, de facto et injuste a septem annis receptos, et valorem usuum fructuum mellis, etiam contra privilegium a septem annis receptum, ac alias contributiones ex pauperrima nobilitate pro edificando castro ultra summam mille florenorum, injuste et contra privilegium, extortas, ac pro vexillifero proventus injuste usurpatos, nec non castellanum, capitaneum et notarium terrestrem ac tribunum possessionatos ex officiis eorum injuste amotos eorum-

 que

MDXVII. que proventus per non possessionatos injuste usurpatos restituat, et quos nobis non possessionatos contra nostra privilegia regalia et libertates dederat, amoveat et amotos injuste ut restituat. Ac nuper post festa nativitatis proxime elapsa pauperrime nobilitatis kmethonibus violenter boves et equos per capitaneum notarium Joannem Voislawski de mandato domine ducis receptos et res domesticas violenter kmethonibus receptas, tanquam justus et catholicus princeps ex superioritatis sue officio sub penis viginti milium sexagenarum dictam dominam ducem et officiales per ipsam datos contra nostra privilegia attento, que literis ac nunciis per s. Mtem. vestram a talibus desistere admonita noluit, astringere et compellere vram. regiam Mtem. benignam cum consilio pauperrima destructa nobilitas humiliter implorat.

CCI. Sigismundus, Rex Polonie, Anne, vidue, Duci Masovie.

Cod. R. Illris. domina, sincere nobis dilecta. Questi sunt hic coram nobis graviter subditi nostri de terra Drohicensi, quod illis multa et intolerabilia damna multeque violentie inferuntur de dominio Illtis. vre. occupanturque hereditates et silve illorum ultra limites antiquos, quod nos non libenter audivimus. Id enim summopere cupimus, ut subditi nostri cum subditis vre. Illtis. vivant in bona pace et amicitia. Meminimus autem, jam antea nos de his ipsis injuriis vestre Illti. scripsisse, querele tamen subditorum nostrorum non cessant, nam forte parvum aut nullum fructum attulerunt illi litere nostre. — Postulamus a vra. Illte.: contineat subditos suos a tanta licentia atque audacia, efficiatque, ut damna illata illis resarciantur. Nam si aliter factum fuerit, veremur, ne aliquod malum inde eveniat. Pertesi enim tot querelarum eorundem nostrorum subditorum, permisimus illis, ut cum pacem in suis bonis habere justitiamque a vra. Illte. consequi, ita ut pax et equitas suadet, non possint, vim vi repellant seque defendant ita ut melius possunt. Quare provideat vra. Illtas. tempori casus futuros, nam ex parva scintilla magnum nonnunquam incendium oriri solet. Bene valeat Illtas. vra.

CCII. Decretum Regis Sigismundi inter Duces Masovie et eorum Subditos.

Cod. R. Sigismundus Dei gratia rex etc. significamus, quia cum nobiles terre visnensis quererentur nobis, quod Illrmi. dni. Anna, mater, et Stanislaus ac Janussius filii, duces Masovie, illis jura et immunitates a predecessoribus nostris concessas servare nollent, et nos meminimus et scimus, eis ab ipsis predecessoribus nostris et presertim a Sermo. olim rege Alexandro, fratre nostro charissimo, nonnullas fuisse datas immunitates et privilegia nosque cum eisdem privilegiis et immunitatibus terram ipsam visnensem dictis dnis. Masovie ducibus dedimus

dimus et tradidimus, decernimus una cum consiliariis nostris regni Polonie, quo illis eadem ipsa privilegia et immunitates, quas a predecessoribus nostris habent, dni. duces Masovie servare et tenere debeant, neve ea illis ullo modo infringere valeant. MDXVII.

CCIII. Legatio Lithuanorum ad Consiliarios Regni Polonie.

Prelati et dni. consiliarii Mg. ducatus Lithuanie tam spirituales quam etiam seculares, fratres Dtionum. vestrarum, mandaverunt nobis et commiserunt vris. Dtionibus. ea dicere, que vre. Dtiones. intimaverunt ad ipsos dnos. fratres suos per dnos. consiliarios regni Polonie, dnum. Zaremba, pal. calissiensem, dnum. Thanczinski, pal. lublin. et dnum. Zochaczewski de hoc bello dni. nostri clementissimi adversus hostem s. Mtis. regie, Moscovitam, admirando hoc quod nos tanquam inconsiderati aut immemores vestrarum Dtionum. fratrum nostrorum ad conventionem preteritam piotrkoviensem nostris oratoribus vras. Dtiones. non visitavimus optando vras. Dtiones. adversus Moscovitam, hostem s. Mtis. reg. dni. nostri clementissimi, sue Mti. pro auxilio. Quod nobis molestum est in vras. Dtiones. id nobis appropriatum esse, cum nos dni. nostri clementissimi ac Reipublice negotia nunquam pretermisimus neque etiam e memoria labi permisimus prout bene memoratum est vris. Dtionibus. Cod. R.

Nam quemadmodum iste hostis Moscovita cum Sermo. dno. rege et Mg. duce corroborati scriptis et juramentis firmissimis ad perpetuam pacem absque quavis causa s. Mti. regie suo juramento certificate immemor Dei et sue anime clandestine invasit dominia sue Mtis., arcem Smolensko tempore brumali oppugnavit et capitaliter eam consequi conabatur in absentia a ducatu s. Mtis. regie., dni. nostri clementissimi, nos sub eo tempore absque ulla mora misimus ad vras. Dtiones. in Posnaniam a nobis in legatione dnos. consiliarios Mg. ducatus Lithuanie, modernum palatinum polocensem, tenutarium in Mozir, dnum. Olbracht Marczinowicz, Gastoldt, marschalcum sue. Mtis., tenutarium in Ostrzina, dnum. Alexandrum Iwanowicz Chodkiewicz, exoptando vras. Dtiones. s. regiam Mtem. ad dominium sue Mtis. Mg. ducatum Lithuanie, ad nos emitterent et nobis in hac nostra necessitate adversus hunc nostrum hostem auxilium ferrent. Quod vre. Dtiones. bene meminerunt, quale responsum per eosdem dnos. nobis fratribus suis fecerunt.

Postea existente s. Mte. regia in Mg. ducatu Lithuanie nos mittebamus ad generalem conventionem piotrkoviensem secundario eum marschalcum s. Mtis. reg. dnum. Alex. Chodkiewicz et cum ipso secretarium s. Mtis. reg. decanum vilnensem, dnum. Stephanum, similiter exoptando: ut vre. Dtiones. habentes respectum in Mtem. regiam, quod s. Mtas. reg. propria persona adversus eundem hostem proficiscebatur, ut in eadem necessitate nostra nos fratres suos vre. Dtiones. non desererent nobisque essent auxilio, vre. Dtiones. etiam meminerint, quale responsum nobis per eosdem nuncios nostros dederunt.

Tandem quando dnus. noster clementissimus feliciter ex Mg. ducatu Lithuanie ad fratrem fel. recordationis regem Hungarie equitasset, nos delegaveramus ad vras. Dtiones. dnum. consiliarium supremum s. Mtis. regie fratrem nostrum, dnum. Nicolaum Nicolai Radivilowicz,

MDXVII. wicz, palatinum vilnensem, cancellarium Mg. ducatus Lithuanie, nunciando vestris Dtionibus. de felici victoria sue. Mtis. regie, que ex gratia divine miserationis sub eo tempore perfecta erat, exoptando vras. Dtiones. pro eodem auxilio gratia ejus pro tunc vre. Dtiones. dignarentur nobis consilio esse et auxilio ad determinandam finaliter pacem nostram cum eodem hoste Mtis. reg., ac si sub eodem tempore fuisset factum, esset cum magna fama sue Mtis. et nobis subditis sue Mtis. utriusque dominii cum magna commoditate. Quoniam quilibet inimicus sue Mtis. reg. limitatus et finitimus hoc considerando haberet alium respectum ac intentionem super dominia sue Mtis. — Vre. Dtiones. etiam sub illo tempore nullum nobis responsum fecerunt.

Quare affectamus Dtiones. vras.: ut vre. Dtiones in memoriam reducendo antiquas amicitias predecessorum nostrorum utriusque dominii nobis fratribus suis in moderna Mtis. sue et nostra magna necessitate dignaremini nobis contra hostem s. Mtis. reg. et nostrum potenter auxilium ferre in quacunque summa vel etiam in quo numero armatorum hominum vre. Dtiones. nobis in hac nostra necessitate auxilium facient.

Nos etiam vrarum. Dtionum. necessitati pari recompensa et eodem numero volumus non remoratum sed celeratissimum ferre auxilium.

Legatio altera.

Prelati et dni. consiliarii magni ducatus Lithuanie vris. Dtionibus. prelatis et dominis, fratribus suis mandaverunt dicere:

Est hoc bene memoratum vris. Dtionibus., quod tempore felicis recordationis regis Alexandri facta fuerat verborum resolutio in Lida, ante conflictum Klecensem, moderno domino Joanni de Lasko, archiepo. gnesnensi, cum dnis. consiliariis Mg. ducatus Lithuanie de hoc, quod tangit pacem cum cesare prekopensi utriusque dominii, vestre Dtiones. debuere insimul cum ipsis dnis. Mg. ducatus Lithuanie equales sumptus facere mittendo nuncios et cursores cum muneribus ad provinciam Tartarorum vulgo nominando *Ordą* precluendo eundem cesarem precopensem: ut ab ejus *Orda* utrisque dominiis damna non fierent.

Postea sub imperio domini clementissimi, regis Sigismundi, sua s. Mtas. regia cum cesare precopensi in hoc pacto consedit; quod deberet ei mittere singulis annis pro munere XV milia ducatorum: de regno Polonie VII milia ducatorum cum quingentis ducatis et ex Mg. ducatu VII milia ducatorum cum quingentis ducatis. Ipsi domini ab illis temporibus per singulos istos annos supra illam summam VII milium et quingentorum ducatorum mittentes nuncios magnos et interpretes in *Ordam*, sepissimosque cursores et eorum nuncios donantes et ad cesarem cesareasque feminas, cesareos filios, mursos, vlanos et duces Schirziniwski et ad plures alios officiales, qui provinciam Tartarorum, vulgo nuncupatam *Ordą* gubernant, multa et sepissima donaria mittentes, super que omnia ipsi domini faciunt impensam singulis annis XX milia ducatorum, ordinantes pacem his utrisque dominiis, tam regno Polonie quam etiam Mg. ducatui Lithuanie.

Et vre. Dtiones fratribus suis ipsis dominiis nusquam in his impensis auxiliant: ob quam rem domini consiliarii Mg. ducatus Lithuanie vras. Dtiones., fratres suos mandarunt exoptare: ut vre. Dtiones. eorum hujuscemodi impense, quam in *Ordam* mittentes fecerunt supra XV dictorum milium ducatorum, ipsis dominis dignarentur medietatem solvere, et in posterum

posterum quamcunque ipsi domini supra computum illius summe impensam facient: in hoc etiam vre. Dtiones. ipsis dominis fratribus medietatem sumptuum responderent. MDXVII.

Cum itaque vre. Dtiones. in hoc nollent persistere, prelati et domini consiliarii Mg. ducatus Lithuanie, fratres vrarum. Dtionum. mandarunt vris. Dtionibus. denunciare: quod si vris. Dtionibus. non videtur hoc onus insimul cum ipsis dominis, fratribus suis, ferre, domini consiliarii Mg. ducatus Lithuanie habentes contra se alium similem et potentissimum hostem Moscovitam una cum vris. Dtionibus. adversus cesarem prekopensem insimul bella gerere non valebunt, sed coguntur eum ita requirere ut ab ipso sub hoc tempore pacem possent habere.

CCIV. Responsum a Consiliariis Polonis datum Nunciis Lithuanorum.

Legationem vrarum. Dtionum. quam nomine dnorum. Mg. duc. Lithuanie status utriusque habuerunt vre. Dtiones. apud dnos. consiliarios regni hujus et in qua commemorarunt ea, que anno superiori fuerunt ex conventu generali illarum Dtionum. per mgcos. dnos. palatinum calissiensem, lublinensem et castellanum sochaczoviensem significata abunde domini intellexerunt. Cod. B.

Verum quantum ad eam significationem attinet, dni. consiliarii repetentes animo veterem benivolentiam et conjunctionem regni cum Mg. duc. Lithuanie et qualiter ad illam manutenendam fiebant semper in talibus conventibus mutue et fraterne legationes utrinque consultationes communes de bono statu dominii utriusque videntes id per dnos. Mg. ducatus jam quodam modo intermittere et presertim nunc, cum undique hostes utrique dominio incumbant, veriti: ne tali intermissione refrigesceret antiqua benivolentia et conjunctio hostesque inde cognoscere possent aliquid quo non ita ac prius hec duo charissima dominia inter se convenire videretur, atque inde majores animos in perniciem utriusque quam semper sitiunt, resumerent. Experti jam multis documentis, hec ipsa duo dominia simul juncta semper fuisse in omnibus actionibus prospera et formidolosa, alterum vero sine altero sepe magna detrimenta accepisse. Visum fuit earum Dtiones. fraterne admonere et quoddammodo excitare dnos. Lithuanos sua legatione, ut a veteri consuetudine mittendi et invisendi se invicem non desisterent, unde hostes intelligentes, inter earum Dtiones. esse firmam benivolentiam et consilia mutua de rebus suis, conatus suos adversus utrumque dominium continerent. Quod officium et consuetudinem cum dni. Lithuani facere nunc per vras. Dtiones. voluerunt, domini omnes gratissimis animis accipiunt et agunt illis plurimas gratias pollicenturque vicissim id eis omnibus suis fraternis officiis semper referre.

Quantum verum ad subsidium, quod vre. Dtiones. nomine illorum dnorum. contra Moscum postularunt, attinet, domini adhuc ab initio cum hanc difficultatem Mg. duc. Lithuanie cognovissent valde indoluerunt et non secus reputarunt semper et reputant quam suam propriam omniaque hactenus, quecunque facere potuerunt in auxilium illo dominio ex animo facere curaverunt. Nam per id omne tempus omittentes suas omnes difficultates et detri-

MDXVII. menta Reipublice sue, que absente s. Mte. reg. communi dno. nostro clementissimo accidere solent, non solum non dehortabantur Mtem. suam, ut illuc in Lithuaniam proficisceretur, sed rogabant insuper et consulebant, ut Mtas. sua illi dominio non deesset; presertim quando presentia principis instar magni exercitus habetur. Ubi Mtas. sua manens semper curiam suam impensis regni servabat, que non mediocra servitia sepe illi dominio fecit.

Juventus vero primaria regni non sine gravi impensa et dispendio ad omnes necessitates illius dominii semper accurrere solebat permittebantque semper dni. electiores milites ex confinibus suis in Lithuaniam proficisci et illic militare et quamvis cum illius dominii stipendio tamen non sine periculo confinium suorum et jactura Reipublice, que per eductionem equorum et hominum non mediocris semper fiebat. Et quidquid preterea majus facere potuissent pro commodo et subsidio illius dominii, id libentissime fecissent. — Et nunc istud subsidium, quod Dtiones. vre. postularunt, alacri animo prestarent; verum cum id fieri nullo modo alio posset quam vel motione communis nobilitatis, vel milite mercenario, et cum ad longinquum hostem moveri nobilitatem omnem majoris esset detrimenti quam commodi, nec illa res ad ullum bonum ordinem perduci posset, militem vero mercenarium nunc regnum gravissima impensa servare cogitur tam contra Tartaros quam magistrum Prussie, quorum uterque non minus Mg. ducatui obest et obesse nititur, quam regno, nequaquam hoc onus sustinere potest, ut tres exercitus mercenariorum, qui sufficere possent ad conatus tantorum hostium reprimendos alere et servare deberet, cum vix utrosque fines suos tueri poterit, si qua vis tam a Tartaris quam a magistro Prussie ingruerit. Hi tamen milites, qui in finibus servantur non minus erunt pro necessitate finium Mg. ducatus quam regni. Et proinde rogant earum Dtiones. dominos Lithuanos: ut id grato animo suscipiant et ut sue rei consultum esse student ita etiam regni necessitati et possibilitati intelligant.

Ceterum quod impensas tartaricas attinet, domini meminerunt conventum fuisse cum illis ob fedus tam cum regno quam cum Mg. ducatu habendum, et ne utrumque dominium infestarent de stipendio annuo XV milium florenorum, ut illud pariter utrumque dominium penderet, nec amplius legati insignes ab illis mitterentur, sed nisi ii, qui pecuniam caperent, cum tamen et infestare utraque hec ipsa dominia solent et nuncios sepe mittere, qui cum huc ad regnum veniunt, Mtas. regia solet eos ex erario regni absolvere itidem ut in Lithuania facit, et non solum Tartaricos, sed et cesaree Mtis. qui in rebus Lithuanicis mittuntur.

Quod autem domini Lithuani mittunt dona in Ordam illorum laudant quidem id domini et probant consilium illarum Dtionum., que ut viri sapientes comparare sibi volentes auxilia contra suum hostem, ita faciunt, sed tamen regnum non opus habens, ut pro alia re Tartaris impedire, quam ut fines non infestarent, et solvendo pro hac re mutuo cum illarum Dtionibus. quod conventum fuit, non teneri se putant ad alia, que domini sua alterius causa faciunt. — Neque credunt, quod propterea aliquod aliud singulare fedus facere deberent cum Tartaris, hominibus nullam fidem servantibus, sed pariter omnibus dominiis vicinis amicos sese ostentantibus, quo eo facilius sub securitate eorum et sua perfidia predentur, facereque aliquid deberent contra communem benivolentiam et conjunctionem hujus utriusque dominii, que cum erit firma et sincera adhuc, juvante dno. deo, se ab uno-

quoque

quoque hoste, uti hactenus fecit, defendere poterit. Alioqui, quod Deus avertat, si quid esset dissidium, haud dubie brevi utrumque ad casum et ruinam devenire posset. MDXVII.

Domini et universum regnum Polonie perstat et perstare vult semper in sincero amore et conjunctione fraterna cum Mg. ducatu nec de se alicujus sinistri eventus ullam occasionem prebere, ut et usque huc nunquam prestitit.

Et quo res ejusdem Mg. ducatus et bellum istud componi possit, omnem operam suam domini consiliarii impendere et auxilium quantumcunque poterunt ferre pollicentur. — Habentes hanc fidem in dnis. Lithuanis et hortantes illos fraterne, quod se pari modo erga regnum gererent pro communi utriusque boni status incremento, nec talia nova consilia capiant, que illis eque noxia esse possent quam alicui alteri.

CCV. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Palat. Capit. Cracoviensi, Regni Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. Intelleximus omnia, que nobis Stas. tua scripsit tam per Ravam servum, quam etiam nuncium dni. ducis. Cazimiri, et fuerunt nobis uti cetera sincera et fidelia ejus obsequia valde grata. Cod. R.

A dno. cardinali gurcensi nullas habuimus literas per dnum. Swichowski, et hoc ea causa, quod a longo tempore abfuerit a curia cesaree Mtis. propter egritudinem. — Itaque nihil etiam illi scripsimus et propter id, quod absens sit, et quia voluntatem nostram adhuc aperire noluimus antequam exploratas haberemus sententias consiliariorum nostrorum, sed quam primum cubicularius Pleczki veniet, qui solus nondum rediit — et nescimus, cur tam diu moretur — declarabimus mentem nostram illius cesaree Mti.

Agimus magnas gratias Sti. tue, et profecto plurimum nobis rem gratam fecit, quod nobis significavit, que proposita sunt per dnum. archiepiscopum inter nonnullos consiliarios apud eum congregatos, habebimusque opportunam advertentiam et custodiam in his omnibus rebus, a quibus nobis cavendum censet, quamvis ista diverticula et artes eorum, qui suam intentionem perducere vellent ad effectum, nullius sunt apud nos momenti.

De Mrakschi et aliis nunciis cesaree Mtis. nihil adhuc certi habemus. Qui quam primum Cracoviam advenient, reddemur certiores. Nunc gratia Dei vivimus in bona pace ab hoste nostro, sed angit nos tam propinquus Tartarorum accessus, a quibus erit continuo metuendum. Et quamvis sint in Russia mille et septingenti equites, tamen nescimus, quomodo illi usque ad estatem servari poterint. Scribit enim nobis mgcus. Nicolaus de Schidlowyecz, cast. sandomiriensis et regni nostri thesaurarius: sibi ad thesaurum publicum non plus collatum esse ex omnibus exactionibus quam XX milia florenorum. Ex quibus jam solvit stipendiariis et qui dudum serviunt et quos postea suscipi fecimus, stipendium demeritum, et pro istis etiam, quos demum vos ex communi consilio suscipi fecistis, summam mutuo acceptam mandavimus. Preterea ex eadem summa solvendum erit Tartaris. Et ita qualiter sufficere debeat, non videmus. Consiliarii vero nostri nihil aliud cum eos per literas con-

suluimus

MDXVII suluimus nos edocerunt faciendum, omnes id committunt arbitrio et dispensationi nostre. Sed hec est valde gravis dispensatio, cum id deficiat, quod dispensari deberet; ut autem respicere deberemus ad id, quod in futuro conventu decernetur, si ventum erit ad fertones juxta antiquas quittantias, nos prope scimus, quantum id faciat. Quare sumus anxii et perplexi, quid facere debeamus. Intelligimus quidem omnino necessarium esse, ut illic stipendiarii serventur, sed unde id fiat, non videmus et preterea cuperemus, ut subditi nostri habita ratione tanta necessitatis et periculi ingrederentur alium modum pro defendenda Republica quam ex fertonibus, qui tam incendiis quam pestilentia quam etiam malo ordine exigendi continuo decrescunt. Et utcunque bene colligerentur, valde parvum numerum stipendiariorum possemus ex eis servare.

Quod nobis Stas. tua scribit: exactores regni non posse se explicare de exigenda civili exactione, nos eos non possumus docere. Habent enim universales literas, ex quibus certiores fieri possunt, qualiter se gerere debent. Nam nos decreta generalium conventuum memoria tenere non possumus; verum tamen quantum meminimus, solum semel ipsa exactio civilis contribui debet itidem ut fertones. Itaque ille civitates et oppida, que post conventum Cracovie preteritum eandem exactionem contribuerunt, amplius eandem contribuere non tenentur, que alioqui ex aliis exigi debet. Bene valeat S. tua. Datum.

CCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni, Epo. Posnaniensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rnde. Habemus in memoria nos ad petitionem Ptis. vre. jus conferendi pro una vice ad custodiam plocensem illi dedisse et dno. archiepo., cum ex Urbe redierat, nos similiter et diligentissime petenti jus vel expectationem quamdam ad eandem custodiam contulisse, rati secundam donationem priori officere non debere, nihilque posthac uni aut alteri parti subsidii dedimus eumque libenter videbimus hujus beneficii compotem, qui juris ad illud ex concessione nostra plus habet. Nemo vero id alicui mutabilitati juste asscribere poterit: quod fit per nos in talibus petitionibus, quibus pro beneficiis vacantibus et nondum existentibus adhuc in libera dispositione nostra, fatigamur, presertim a consiliariis nostris, quos non libenter obaudire solemus. Nam et ab aliis, qui beneficia conferenda habent, id vulgo et sine indecentia fieri videmus. Alioquin si cui quidpiam conferimus, quod per vacationem venit in nostram potestatem, licet variatio concessa sit a jure in beneficiis ecclesiasticis, tamen id mutare non consuevimus, quod tamen nos non nisi importunis precibus victi facere cogimur.*

CCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner, Burgrabio etc.

Cod. R. Generose fidelis dilecte. — Pomerancia, confectiones, athlasium et alias res, quas nobis per cubicularium nostrum Kuniczki misisti, omnes salvas et grato animo accepimus.

Remittimus

Remittimus in eodem curru ad te Tartaros, quos adjungas laboribus nostris in arce craco- MDXVII.
viensi et cures, ut quam diligentius edificentur coquine, quas fieri fecimus, ut quando juvante deo istuc veniemus sint parate et habeamus, ubi nobis cibi coquantur.

De panno sameth nigro volumus, ut distribuas inter virgines filiarum nostrarum quantum opus erit et tibi videbitur.

Mittimus ad Gromaczki quittantias, ut dimittat libere ducentos boves Illri. domino Georgio, duci Saxonie, et literas ad illius Illtem., quas tu illi per ejus nuncium vel ut tibi visum fuerit perferri facias.

Mittimus etiam literas ad Leopolienses, ut ita cum Jacobo Armeno faciant, quemadmodum nobis scripsisti. Datum Vilne.

CCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Duci Saxonie.

Illris. princeps et dne. affinis noster charissime. Commisimus exactoribus nostris, ut, quod Cod. R.
a nobis Illtas. vestra postulavit, permitterent libere de regno nostro expelli ducentos boves pro coquina illius, fecimusque id non gravati, ut qui libenter illi in omnibus gratificari volumus. Feliciter valeat vra. Illtas. et nos diligat.

CCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X, Pontifici maximo.

Beatissime. Nominavi jam pridem vigore facultatis nominandi mihi a vra. Scte. concesse ad Ex cod. mss. bibl. Ossolin.
ecclesiam varmiensem servum meum Joannem Flaxbinder Dantiscum, qui cum acceptasset custodiam et prebendam in eadem ecclesia ab altero quodam Valentino Gribaw pro illis impetitur pretextu cujusdam juris ex mentali reservatione vre. Sctis. acquisiti. Ego et ignoro, que ea sit mentalis reservatio et miror plurimum sacerdotia tot inexplicabilibus involucris aucupari, que missa facio, sed supplico vre. Scti., ne ea nominationis gratia, quam mihi concesserat, in irritum vertatur, qui illi et sancte ejus sedi majori sumus usui quam isti, qui adeo proterve se in jus mihi a Scte. vra. donatum ingerunt et servos meos infestant. Dignetur itaque Sctas. vra. dicto Valentino silentium imponere et jus mihi collatum in debito suo vigore permanere. — Factura rem benignitate sua dignam et mihi gratissimam vra. Sctas., cui me regnumque et dominia nostra commendo. Vilne.

Sigismundus, Rex Polonie, Cardinalibus.

Rme. Impetitur servus noster Ioannes Dantiscus ratione custodie, et canonicatus varmiensis, que Ex cod. mss. bibl. Ossolin.
vigore facultatis nominandi nobis a sctmo. dno. nostro concesse obtinuit a quodam Valentino Gribaw

MDXVII. *Gribaw pretextu cujusdam mentalis reservationis illius Sctis. Quam rem valde molesto ferimus animo.* Quid enim in talibus technis et involucris firmum esse potest, quod a sua Scte conceditur? *Rogamus plurimum vram. rmam. Dtionem.: agere velit cum ejus Scte. ne gratia nominationis, quam mihi concedere dignata est, in fumum abeat. Nam id predecessores eius Sctis. nunquam facere consueverunt, efficiatque vra. rma. Dtio.:* ut iste mentales reservationes non inficiant jus nostrum nobis solenniter donatum *et servus noster amplius non turbetur. Faciet nobis rem non vulgariter gratam. Que optime valeat et nos cum negotiis nostris habeat sibi charos et commendatos. Vilne.*

CCX. Sigismundus, Rex Polonie, Christierno, Regi Danie.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Serme. princeps. Scripsimus alias Mti. vre. pro subdito nostro Adriano Flinth, cive gedanense, qui cum promisso nostro captis in mari hostibus nostris Moscis, cum mercibus navibusque suis ad portum Mtis. vre. vento depulsus sit illis cum rebus omnibus per Roloff Macezen, ejus capitaneum de Wiborg, spoliatus et familiares ac satellites sui duodecim in captivitatem redacti, ut Mtas. vra. mandari dignaretur, illi hec omnia restitui. Quod quam ob rem hactenus factum non sit, ignoramus postulamusque iterum a Mte. vra.: ut ejusdem subditi nostri res reddi et captivos dimitti jubeat, ne ille indebite contra federa et bonam vicinitatem nostram hanc injuriam et damnum patiatur. Nos vero pari vicissitudine nihil a nostris committi permittemus, quod benivolentie et federibus nostris officere videretur. Felicissime valeat Mtas. vra. et nos diligat.*

CCXI. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rde. Miserunt ad nos cives elbingenses nuncium suum et inter alias difficultates et damna sua, que nobis declararunt, etiam questi sunt de vra. Pte., quod ab illa turbentur et impediantur in suis piscationibus et aliis proventibus ad se ab antiquo spectantibus et quorum usum hactenus semper habuerunt. Questi sunt etiam, quod illa fecerit concordiam cum priore monasterii S. Brigitte in Gedano de tribus villis, quas Sermus. olim parens noster Casimirus ad fundandum monasterium tale monialium apud se Elbingi contulerat, quodque ipse prior auxilio Ptis. vre. et ejus officialis percipiat alios fructus et proventus ad eandem fundationem assignatos, et cum pecuniam tum suppellectilem omnem ecclesiasticam asportaverit in Gdanum. — Nos considerantes eorundem Elbingensium modernas difficultates et dispendia, volumus, ut Ptas. vra. eos tam in piscatione sagene seu reti majori et concessione Keutelarum in recenti mari Hab, quam aliis utilitatibus, pro quibus contentio est, et in quarum usu ipsi antehac fuerunt, non impediat neque cum eis controversiam aliquam agat usque ad nostrum felicem istuc in Prussiam adventum, ubi cum illis consiliariis volumus omnia debito modo diffinire. — Quod si res prolixa et damnosa illi videretur, faciemus Elbingenses ad nos vocari et Ptas. vra. etiam veniret, auditaque utrinque differentia et visis*

visis privilegiis, id demum statueremus, quod equum et justum videretur. Quod vero ad funda- MDXVII. *tionem monasterii attinet, quia jam antea tres villas predictas antecessori Ptis. vre. dno. olim Luce, epo. et ejus ecclesie varmiensi dedimus et immutare nolumus, quam etiam ad contractum, quem fecit vra. Ptas. cum priore S. Brigitte consensum nostrum prebuimus, eum utcumque jam factum est, non infringemus, sed proventus alios pro fundatione ejusdem monasterii assignatos volumus ut prior percipiat ad usum monasterii gedanensis, cum illi dati sunt pro divino cultu Elbingi augendo, sed volumus, ut ipsi cives elbingenses illos recipiant et conservent usque ad nostrum istuc adventum, ut nos ipsi deinde ex bonis illis et eo quod ex illis colligitur, possemus id constituere ad monasterium destinatum fundandum, aut ad alium cultum divinum ibidem Elbingi augendum prout consultius videretur, et interim volumus, ut prior supradictus et res et pecuniam et vasa ecclesiastica, que illinc asportavit, restituat et de proventibus, quos diximus, se amplius non intromittat utque pro ea re Ptas. vra. aut ejus officialis Elbingenses ipsos ullo modo impediat. —*

CCXII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Strigoniensi.

Rme. etc. Contulit non pridem rev. dnus. eps. vratislaviensis prebendam in ecclesia sua magistro Martino Dobrogostio, predicatori alemano in Cracovia, doctrina illius et virtute inductus, pro qua nunc a quodam doctore Stephano Thaurino, familiare vestre rme. Ptis., jus ad illam habere se pretendenti, impetitur, quod nobis est molestum. — Habemus enim ipsum magistrum Martinum ejus virtute singulariter commendatum, et proinde rogamus vram. rmam. Ptem., continere velit suum familiarem, ne bonum virum in eo sacerdotio, quod illi est legitime collatum impediat, nam posset id nobis multum displicere. Faciet vra. rma. Ptas. rem et gratam nobis etc.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X., summo Pontifici.

Beatissime etc. Vacante non pridem canonicatu et prebenda in ecclesia posnaniensi, providit de illis dnus. eps. ejusdem ecclesie posnaniensis cuidam Valentino Kucharski in vim nominationis mihi a Scte. vra. concesse et nondum in illa ecclesia effectum sortite, et quia ipse dnus. eps. ad postulationem nostram fecit et in vim nominationis mee, supplico Scti. vre.: dignetur illius provisionem ratam habere et si necesse fuerit, denuo eidem Valentino de ipso canonicatu providere vel provisionem ordinarii eque valituram decernere, atque ubi Valentinus ipse fuisset ante vel post vacationem beneficii recte nominatus et processus decretus, supplendo omnes defectus et negligentias, que officere viderentur, prout latius vre. Scti. mgcus. Paulus Planca, advocatus, et Martinus Rambiewski servitor meus referet. Quibus benignas aures adhibere dignetur. Me vre. Scti. etc.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Sanctorum quatuor.

MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rme. Provisum est nuper ab ordinario vigore nominationis nobis a sctmo. dno. nostro concesse de vacante canonicatu posnaniensi Valentino Kucharski. Scribimus ejus Scti.: ut dignaretur vel denuo providere, si opus foret, de eodem canonicatu ipsi Valentino, vel provisionem ordinarii confirmare ita ut ea res omni difficultate exolveretur. Quod ut ejus Sctas. facere velit, rogamus vram. Ptem. operam facere dignetur juxta clariorem mgci. Pauli Plance advocati et Martini Rambiewski servitoris nostri instructionem. Commendamus nos etc.*

CCXV. Sigismundus, Rex Polonie, Jo. Konarski, Epo. Cracoviensi.

Cod. R. Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Questi sunt nobis cives cracovienses, quod venerabilis Joannes Salomon, canonicus cracoviensis, veniens in controversiam cum consanguineis suis ratione successionis in domos et bona sua paterna nitatur illos extra ad judicium spirituale evocare. Quia vero eedem domus et bona sunt juri civili subdita, postulamus a Pte. vra.: continere illum velit, ne cives nostros trahat ad istas difficultates juris alterius. Nam nos id non permittemus, volentes, ut inter subditos nostros unicuique jus suum servetur. Cupimus vram. Ptem. bene valere. Datum Vilne.

CCXVI. Confirmatio juris ad Ducatum Severie pro Episcopo et Capitulo Cracoviense.

Sigismundus, Rex Polonie.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Manifestum facimus per presentes universis. Quia cum Ill. princeps Casimirus dux Thessnensis et capit. superioris Slesie, affinis noster charissimus, a nobis postularet, ut illi literas et privilegia, que rev. dnus. eps. cracoviensis et ejus ecclesia haberet ad ducatum severiensem ostendi faceremus, asserens, se ad eundem ducatum jus successionis habere, cumque ad ejus preces et postulationem induximus dnum. epum. et ejus capitulum cracoviense ad ostensionem privilegiorum et jurium suorum, licet ad id, uti non tenebantur, gravate consenserunt. — Et fecimus ipsa privilegia coram nobis et dicto dno. duce Casimiro legi. Idem dnus. dux Casimirus, auditis illis et comperto, quod olim patruus suus Ill. dnus. N. dux Thessnensis, ducatum predictum severiensem vendidit in perpetuum cum omni jure et dominio, nihil juris sibi et suis successoribus reservando, reverendo olim in Christo patri dno. Sbigneo, episcopo cracoviensi, et ea ipsa privilegia esse integra et sufficientia cognovit, fassus est idem dnus. dux Casimirus: sibi nihil juris ad dictum ducatum severiensem competere, ac inibi coram nobis omni suo juri renunciavit. Nosque etiam cognitis et consideratis*

sideratis ipsis privilegiis et jure domini episcopi et ecclesie cracoviensis, illud approbavimus et dic- MDXVII.
tum dnum. ducem Casimirum ejusque successores ut cognitor et arbiter nullum jus ad dictum ducatum habere declaravimus et declaramus harum serie literarum, quibus in testimonium etc.

CCXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. Crac. Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. Intellexeramus abunde ea, que nobis Stas. tua scripsit se de Cod. R.
conservatione ces. Mtis. erga nos a Groff Petro accepisse et perpendentes illa nobiscum eorumque omnium causas et circumstantias discutientes induci non possumus, ut illa vera esse credamus. Que enim ratio esse potest, ut illius Mtas. propensioris animi sit erga ducem Moscovie quam erga nos, facta presertim inter nos mutua reconciliatione et nova necessitate, non videmus, quinimo cum dno. epo. quinqueecclesiensi omnia vel commenta vel nullius momenti esse existimamus, et proinde non videtur nobis, ut aliquid cum ipsa cesarea Mte. de nugis istis per nuncium aut literas agamus, ne illius animum vel irritaremus vel saltem ancipitem redderemus de nostra in eam constante fide et benivolentia, et profecto etiam si compertum haberemus, ea a veritate non abesse, consultius esset in his cum illius Mte. dissimulare, ne quasi exprobrare illi videremur factum non conveniens unde et pudere eam oporteret, et deinceps non forti amicitie nostre fideret; solet enim ex deprehensione culpe alicujus odium plerumque nasci. Utcunque est, valde nobis rem gratam fecit tua Stas., quod hec, que intellexit, que ipsa censet facienda nobis declaravit, fecit hoc etiam ex debito et consuetudine fidei et sollicitudinis sue in omnibus negotiis nostris. — Ne autem penitus silentio hec pretereamus, videtur nobis et volumus, ut Stas. tua, cum ad dnum. cardinalem gurcensem nomine suo scribet, inserat illi ista omnia, prout inter alia magis congruum videbitur, tanquam ea in Hungaria vel cum inde redibat accepisset et nobis declarare noluisset, non dubitando, illa ita ut indigna sic commenta et vana esse, tamen quod id Stas. tua illi significare voluerit ut intelligeret, esse nonnullos, qui omnibus viribus enitantur, quo hec conjunctio nostra cum illius ces. Mte. dissolveretur. Ad hunc sensum scribendo ad ipsum Gurcensem poterit Stas. tua illi omnia, que accepit, quasi nobis ignorantibus, ad plenum declarare et hortari illum, quo ageret apud illius ces. Mtem., ut quemadmodum nobis bona fide pollicita est, ita effectu se gerat et exhibeat tam in negotio moscovitico quam aliis rebus et conservatione benivolentie et necessitudinis nostre mutue, utque ejus ces. Mtas efficeret, quod per Panthaleonem ejus nuncium ab ea postulavimus.

Quando vero idem card. gurcensis Stem. tuam de voluntate Sermi. Hispanie regis Caroli in eo quod ad sororem ejus attinet certiorem faciet, nobis significare non negligat, ut quid illam in hac re agere voluerimus ipsum edoceamus.

Ea que nobis scripsit dnus. dux Casimirus de captis falsis excussoribus monete regni nostri et duce ratiboriensi, nobis valde displicet, verum ne quid temere vel in conditionem ducis illius

MDXVII. illius vel etiam dignitatem nostram inciperemus, non visum est nobis ad presens eorum aliquid facere, quod ipse dux Casimirus nobis suasit, sed cum agitur de non vulgari dispendio regni nostri, statuimus hanc rem ad consiliarios nostros primarios referendam et consulere illos, qualiter nos in illa gerere deberemus cum decenti processu et dignitate nostra. Mittimusque Sti. tue exemplum literarum, quibus illi respondemus, ut in eadem re sententiam nostram cognoscat.

Status rerum nostrarum is est, quem non pridem Sti. tue una cum dno. archiepiscopo significavimus. Admoverunt quidem Cruciferi armatas quasdam gentes ad confinia terre Samogitie, sed intelligentes illic presidia nostra esse, continent se.

De duce Moscovie etiam nihil aliud sentimus, quam quod se ad oppugnanda castra nostra accingat, cui cum hac gente nostra quantum poterimus resistemus, quam his diebus jam in campum mittimus.

De discessione Tartari a federibus nostris nihil comperti habemus et omnino si quid esset, nuncii nostri, quos illic habemus, nobis declararent. Sed quod irruptiones ab eis aliquot tam in Russiam quam in dominium hoc sunt facte, fit, ut remur, licentia nonnullorum latrunculorum, quos ille cesar continere non potest et presertim nunc, cum propter pestilentiam omnes ex Orda discesserint et per campos libere vagentur. Bene valeat Stas. tua. Datum.

CCXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Konarski, Archidiacono Cracoviensi, Oratori.

Cod. R. Venerabilis devote nobis dilecte. Commisimus tibi agere cum consiliariis nostris, ut statueretur modus non vulgaris defendende bulle apostolice: *de non recipiendis ad cathedrales ecclesias plebejis;* verum putavimus deinde consultius, ut eandem bullam offerres nomine nostro ipsis consiliariis et nobilitati, itaque mittimus illam ad te volumusque, ut referas inter offerendum, multos nostros predecessores id prius nequidquam impetrare tentavisse, nos vero cum magna tamen difficultate et sumptu consequutos esse. Quod cedere non dubitamus ad magnum Reipublice et universe nobilitatis commodum, ut pote quorum filii et necessarii poterint facilius citra impedimentum plebejorum sacerdotia in ecclesiis majoribus consequi et alacrius literis vacare. Et proinde non parvi facerent hanc operam nostram et ne per abusum hec concessio tolleretur vel infringeretur artibus plebejorum, aliquo rigido decreto providerent.

Referes item: oratorem Turci ad nos adventare, qui ea que afferat licet ignoramus, putamus tamen aliquid acturum de induciis, que jam proximo mense Junii cessabunt. Et proinde consulerent consiliarii nostri, utrum non expectata instructione consiliariorum regni Hungarie deberemus aliquid tractare de ipsis induciis cum illo nec ne vel eum tenere tam diu deberemus, donec illinc instrueremur. Cum pacta sint inter ipsum regnum Hungarie et nostrum, neutrum vel pacem vel bellum cum Turco nisi mutuo consilio suscipere debere, consulerentque, quem nuncium deinde ad ipsum Turcum mittere deberemus.

Reliqua, que idem nuncius Turci referet, dices: nos ipsos consiliarios nostros certiores facturos,

turos, dummodo id tempori fieri poterit, ut interim conventus non solvatur; nescimus enim adhuc quando hic applicabit. MDXVII.

Ceterum allate sunt nobis litere pridem nunciorum et interpretum nostrorum, quos in orda Tartarorum habemus, quibus nos certiores fecerunt, nullam illic esse unitatem, nullam concordiam, filios imperatoris et primarios omnes dissentire ab ipso imperatore idque palam dicere, quod nullos inscriptiones vel pacta tenere vellent, que nobiscum idem imperator iniret etiam si sanguine suo se obligaret nedum juramentis, esseque illos omnes paratos, ut his aliquibus diebus regnum et dominia nostra invadant omni vi et impetu et fortasse etiam terram Valachie, nec aliud eos expectare, quam ea munera, que mittere illis debemus, ut illa inter se partiantur et melius se ad premendum nos expedire valeant. De qua re fecimus certiores omnes capitaneos et stipendiarios nostros in Russia, ut intenti essent ad periculum hoc et homines admonerent. Tu etiam ista consiliariis referes et quod magnum inde discrimen imminet, et proinde consulerent eo diligentius, qualiter esset providendum, ne Respublica ad gravem aliquem casum deveniat.

De statu ducatus Masovie volumus, ut id diligenter exponas, quod tibi commisimus, audimus enim majores illic motus indies excitari et multa indigna committi, quod nobis valde displicet. Quare consulerent consiliarii regni nostri, qualiter hec turba debite componi possit et instruerent oratores et consiliarios nostros, quos tibi designavimus ad illius ducatus conventum generalem ituros, quid agere deberent. Nos vero, referes, interim misisse generosum Janussium Swirczewski, cast. bieczensem, ad eundem conventum indicendum et vadium inter duces et consiliarios eorum adherentes interponendum.

Postremo ages seorsum cum dnis. episcopis de summa XL milium flor., quam promiserunt contribuere ad bona nonnulla in Russia eximenda, ut illam denique traderent, vel si summa non esset integra, tanta tamen, ut aliqua bona possint eximi, ederent nihilominus, ne pecunie in cassis jacerent. Alioqui providerent, ut pollicitis quam celerius satisfacerent, ne et Reipublice injuriam faciant et communem querimoniam et rancorem in se commoverent.

Hec sunt, que post discessum tuum subierunt preter hec, que tibi in mandatis dedimus istic in conventu agenda. Que referes et ages cum aliis rebus diligenter pro officio tuo et gratia nostra.

CCXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Janussio Swirczewski.

Generose. Questus est nobis Barth, faber lignarius noster de Poloczko de Georgio, rotmagistro peditum et ejus comitiva, qui eum inter se pati nolentes satis ex frivola ac temeraria causa, quia videlicet faber lignarius esset et furcas, quibus noxii suspenduntur, facere sciret, a servitio militari, quod inter eos habuit, abdicarunt et repulerunt in grave illius dispendium et ignominiam non modicam. Quod nos audientes graviter et moleste tulimus. Et quia eum hominem in illo castro apprime necessarium conservari illic volumus, mandamus tibi, omnino habere volentes: precipias dicto rotmagistro, ut eum rursus in comitivam suam suscipiat et nullo modo a se et servitio militari Ex cod. mss. bibl. Korn.

MDXVII. *tari alienare audeat; item ut solvat id quod ei debet pro emeritis stipendiis et pro eo, quod eum a servitio nostro removit idem Irzik absque scientia et voluntate nostra et tua, illi justitiam debitam facias.*

CCXX. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro Schidlovicio.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Mgce. Placet nobis id, quod scripsit tua Stas. dno. Cardinali Gurcensi et Mrakschi de his, que ex Groff Peter intellexit; nihil enim a sensu nostro differre videntur. Perindeque facimus ut vel per dnum. cardinalem vel Mrakschi res ad cesaream Mtem. deveniat, dummodo non censeatur a nobis processisse, et probamus hoc, quod Stas. tua, non expectato etiam responso nostro, tempestive illis scripserit; fecit enim id pro consuetudine veteri sollicitudinis sue de rebus nostris. Ea que nobis Stas. tua misit de rebus bohemicis abunde intelleximus. Designaveramus jam illuc oratores mittendos, mgcum. palatinum lublinensem et castellanum polanensem, verum continuimus eos, donec ab his dominis, qui ad nos mittuntur, intelligamus, si ipsorum missio erit necessaria; et prout faciendumcensuerint, ita faciemus.*

Habemus vero gratias Sti. tue, quod de his et omnibus, que intelligit nobis ad sciendum expedire nos certiores reddere non negligit et curam de commodis ac dignitate nostra diligentem habet, qua cumulum meritorum suorum in nos et gratie nostre erga se in dies magis auget. Que bene valeat.

CCXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. et Cap. Cracoviensi, Regni Cancellario.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Scripsimus non pridem Sti. tue et quibusdam aliis consiliariis nostris de his, que nobiscum egit nomine cesaree Mtis. ad matrimonium nostrum mgcus. Bretislaw Swichowski, quibus quam primum sententiam Stis. tue et aliorum accipiemus, non negligemus respondere et illius cesaream Mtem., uti promisimus, certiorem de voluntate nostra faciemus, nam id absque scientia consiliariorum nostrorum facere noluimus, cum matrimonium nostrum non minus ad Rempublicam, quam ad nos ipsos pertinere videtur. — Imago vero, quam nobis Joannes Boner misit, satis nobis placet, dummodo sit juste et sinceriter picta; si tamen Stas. tua nobis aliam mittet, ut scribit, erit nobis id tanto gratius, quo ex collatione utriusque res melius cognosci poterit.

Ad conventum ducatus Masovie decrevimus consiliarios nostros mittere, qui motum illius opportuno modo sistere curabunt, verum quia id commode pro tempore designato facere nequimus, misimus ad dominam ducem et consiliarios ac communitatem illam venerabilem Stanislaum Tarlo, archidiaconum lublinensem, secretarium nostrum, qui ageret, ut conventus ipse ad tempus aliquod nobis commodius mittendi transferretur, et interim ut pars utraque

utraque se in pace et quiete contineret, etiam si visum foret diem dici sub vadio XXX milium florenorum. — Exauctorare vero ipsam dnam. ducem et ejus officiales nobis equum non videtur, non enim videremur eam excedere invenisse. — Cum tamen adhuc neutram partem ream volumus declarare, itaque cum statueretur tempus aliud conventus, mittemus ad eum et que necessaria fuerint faciemus. MDXVII.

Ex orda Tartarorum significatum est nobis, universos et cum imperatore trajecisse jam flumen Boristenis et in campis nostris hiemare velle, admonuitque ipse imperator palatinum kijoviensem, ut homines finitimi se in custodia continerent et ad arces transportarent; impossibile enim fore, tantam multitudinem et familiam a se posse retineri, quin huc excurrat et predetur. Quare quam proficui erunt ad tantam vim sustinendam hi sexcenti stipendiarii, quos conducere fecistis, Stas. tua intelligere potest. Que res nos plurimum angit, sumusque solliciti, ut in hoc dominio quoquomodo pecunias aliquas inveniamus, quibus declinare possemus filios imperatoris, ut se ad terram hostis nostri convertant. Quod si efficere poterimus, erit spes aliqua quietioris hiemis, alioquin erunt dominia nostra in magno discrimine. Nos vero plus ex nobis prestare non possumus, quam quod vires nostre ferre possunt. Quare enitatur tua Stas. una cum aliis consiliariis, ne quod damnum a prefatis hostibus subditis nostris inferatur. Bene valeat.

CCXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Matheo, Cardinali Gurcensi, Coadjutori Salczburgensi et Cesaris Maximiliani in Italia Locumtenenti.

Rme. in Christo pater et dne. amice noster charissime. Quamvis jam multis aliis argumentis cognita et perspecta sit nobis abunde singularis benivolentia erga nos et studium in rebus nostris vre. rme. Dtionis., tamen hec illius cura et opera, quam mox, intellecto Serme. olim conjugis nostre obitu, impendere cepit apud cesaream Mtem. de altero matrimonio nostro, quod maxime ex re et dignitate nostra fieri videretur, majoris cujusdam apud nos testimonii pondus habet, ex quo tantum quidem voluptatis cepimus, ut magis nulla alia ex re capere potuerimus. Verum quod hactenus neque cesaree Mti. neque rme. vre. Dtioni. nuncio aut literis nostris declaravimus, quam nobis gratus fuerit tantus illius cesaree Mtis. in nos affectus et quid animi in ipsa re matrimonii haberemus, fecit partim geminus noster luctus jactura tam unici ac concordissimi fratris, quam etiam charissime conjugis nostre, partim sume bellice difficultates, quibus hoc toto tempore distinemur, et que a connubialibus solatiis longe dissident, sperantes, quod sedatis paulisper his inquietudinibus nostris potuissemus cum illius ces. Mte. et vra. rma. Dtione. liberius et decentius rem aggredi. Postquam vero illius ces. Mtas. dignata est superioribus diebus mittere ad nos mgcum. Bretislaum de Swichow, magistrum curie Sermi. regis Ludovici, et affectum amoremque suum fraternum in nos cumulatius testari, propositis nobis ad eligendum duabus clarissimis virginibus, videlicet Illma. domina Leonora, principe Burgundie, nepte sua, et altera Illma. dna. Bona ex regno neapolitano, voluitque illius cesarea Mtas. animum et voluntatem nostram Cod. R.

MDXVII. tram sibi declarari, noluimus committere, ut Mtas. sua causam ullam haberet, vel arguendi nos ingratitudinis vel suspicandi sinistre de nostra summa in se observantia et amore, sepositisque cogitationibus et curis bellicis rem nobiscum et cum fidis consiliariis nostris perpendimus. Et stetit sententia, ut cum illius ces. Mtas. arbitrio et electioni nostre id deferre dignetur, eligamus potius neptem sue ces. Mtis. quam ullam aliam. Intelligimus enim hac felici affinitate non solum benivolentie et conjunctioni nostre mutue, qua nihil apud nos charius habemus, sed etiam universe reipublice christiane plurimum utilitatis accessurum. Quam sententiam et institutum animi nostri mittimus ad declarandum illius ces. Mti. nuncium nostrum, generosum Raphaelem de Lesszno, cap. schlochoviensem, quem cum ipso negotio Pti. vre. rme. impense commendamus, rogamusque illam enixius: velit operam suam omnem prestare, quo hec res, uti eam nobis et ipsam primum medio mgci. Christophori, palat. cracoviensis, et demum cesarea Mtas. per dictum nuncium suum mgcum. Bretislaum Swichowski obtulit, effectum suum celerem sortiatur. Quam operam volumus vicissim vre. rme. Dtioni. omni studio et benivolentia nostra semper referre. Licet vero ratione bellice occupationis nostre non poterit hac estate matrimonium ipsum confici, tamen poterunt eo temporis medio solennes a nobis mitti oratores, qui et rem cum dignitate debita transigent et nuptiis diem designabunt. Pro quo esset quidem multo commodius, ut prefata Illma. dna. Leonora Viennam adduceretur, ut etiam ces. Mtas. se effecturam obtulit. — Quod ut fiat vra. rma. Dtio. agere apud suam Mtem. dignetur. Laudem hujus tam insignis negotii non mediocrem debitumque apud nos et gratias amplissimas habitura. Que sit felix et incolumis nosque et res nostras benivolentia et studio, quo solet, complectatur et ces. Mti. diligenter commendet.

CCXXIII. Legatio a Sigismundo, Rege, ad Cesarem Maximilianum, data Raphaeli de Lesszno.

Cod. R. Invictissime cesar. Inter alia benivolentie, amoris et officii fraterni plurima et non vulgaria testimonia, que s. Mtas. vra. erga Sermum. et gratiosissimum dnum. meum regem prestitit, hoc etiam illius Mtas. nequaquam postremum putat, quod sublata ex humanis Serma. olim dna. Barbara regina, conjuge sua concordissima, e vestigio vra. Celsitudo dignata est illius Mtem. cum invisere et consolari suis benignissimis literis, tum ad ea cohortari, que illi et Sermo. domino regi Ludovico regnisque et dominiis utriusque ratione posteritatis et prolis masculine relinquende expedire putavit. Et insuper partim per dnum. epum. vladislaviensem et me, cum munere legationis apud vram. ces. Mtem. fungebamur, partim medio rmi. dni. cardinalis gurcensis et dni. Christophori, pal. crac., dignata est vra. Celsitudo offerre et polliceri ultro suam operam et studium, quo illius Mti. conciliaret in matrimonium eam conjugem, que maxime ad ornamentum domus Mtis. sue ac commodum regni et dominiorum suorum cedere videretur. Quam sollicitudinem et rebus suis et tantum in se affectum vre. ces. Amplitudinis, quam illius Mtas. grato et jucundo acceperit animo, facilius est unicuique existimare quam mihi exponere. Sed quod hactenus illius Mtas. neque gratias

gratias egit vre. Celsitudini per nuncium suum, ut debebat et dudum proposuerat, neque mentem et voluntatem suam illa in ipsa re conjugali declaravit, fecit partim geminus et gravis dolor, quem illius Mtas. tum fratris sui desideratissimi, tum charissime conjugis obitu conceperat, partim varie et multiplices difficultates motusque bellorum, in quibus Mtas. sua toto hoc tempore conflictatur, et qui illam totam sibi vendicant. Sperans Mtas. sua fieri, ubi se paulo hac occupatione explicare potuisset, ut postea de his rebus cum vra. ces. Mte. commodius et liberius ageret. Verum postquam vra. Celsitudo clarius et cumulatius illius Mti. suam in hac re benivolentiam et fraternum amorem exhibere voluit, misso ad illam oratore suo insigni, dno. Bretislao de Swichow, magistro curie Sermi. regis Ludovici, et duas clarissimas virgines illi in matrimonium proponere dignata est, ut utram vellet, eligeret et vre. Celsitudini significaret, Serma. Mtas. dni. mei utcumque magnis curis et occupationibus implicita, que a nuptialibus solatiis sunt multum aliene, tamen, ne vestra ces. Mtas. aliquid aliud in hac re suspicari posset et sinistram opinionem de illius Mtis. animo conciperet, dignata est me ad vram. Celsitudinem quam celerius potuit expedire et institutum animi sui illi aperire. MDXVII.

Imprimis autem agit et habet Mtas. summas et meritas gratias vre. ces. Amplitudini de tanto affectu et amore, quem erga suam Mtem. tot argumentis et officiis fraternis vestra sacra Mtas. exhibet et pollicetur illius Mtas. eundem affectum et amorem vre. Celsitudinis illi vicissim quoad vixerit omni benivolentia studio et facultate sua semper demereri et referre idque omne pariter ex se atque omni ope sua prestare, quodcunque unquam intelliget, ad commodum dignitatem et placitum vre. ces. Mtis. futurum.

Perpenso autem secum Mtas. sua salubri consilio et fraterno affectu vre. Celsitudinis, habitaque secum et cum fidis consiliariis matura deliberatione, cepit ejus Mtas. animum et voluntatem, alterum denique inire matrimonium, et quod felix, faustum atque fortunatum sit, Illmam. dnam. Leonoram, neptem vre. Celsitudinis, sibi pre ceteris deligit et optat. Idque cum multis aliis de causis, tum maxime ratione vre. Serme. Mtis., cum qua licet illi satis firma et arcta necessitudo intercedit, tamen hoc felicis et ss. matrimonii vinculo sperat adeo Mtas. sua, ut optat, suam deinceps cum vestra Celsitudine conjunctionem multo clariorem firmioremque futuram, qua pro suo incredibili in eam amore et observantia, nihil apud se prius, antiquius et prestantius esse ducit. Rogatque plurimum vram. s. Mtem., ut quo hec res ad celerem et optatum finem perducatur, operam et favorem suum prestare dignetur. Intelligit enim Mtas. sua, quod hoc clarissimum connubium cederet cum in magnum decorem et firmitatem domorum utriusque Mtis. vre. tum ad universe reipublice christiane summam utilitatem et amplitudinem.

Post Responsum Cesaree Majestatis.

Dicendum erit, quod hec res connubialis perduci non posset hac estate propter bellum, cui Majestatem regiam intendere oportet, et quod tam cito se Majestas sua hinc ex bellicis difficultatibus, quibus distinetur explicare non posset, verum quod intra hoc tempus mitteret Mtas. sua consiliarios suos, viros insignes, qui rem cum dignitate debita conficerent et tempus nuptiis designarent. Pro quo ut ejus ces. Mtas. adduci faceret et ipsam Illmam.

MDXVII. Illmam. neptem suam in civitatem Viennam, ut per dnum. Swichowski se obtulit, quo deinde illinc commodius ad regnum deferri possit, erit rogandum.

Ceterum postquam utrumque regnum Hungarie et Bohemie concorditer elegit vram. cesaream Mtem. et gratiosissimum dnum. meum tutores Sermi. regis Ludovici, intelligit Mtas. sua, expedire bono statui ipsius Sermi. dni. regis Ludovici et regnorum ejus, ut cum vra. Celsitudine simul conveniret. Quod Mtas. sua cuperet quidem quam celerius fieri etiam multas alias ob causas et presertim, ut frueretur mutuo colloquio et presentia vre. ces. Mtis. quam unice diligit et observat, verum quia Mtas. sua est cum hoste suo bello occupata — ita enim per exploratores suos didicit, quod ille paret se hac estate adversum illam, propter quod Mtas. sua se vicissim instruit, ut sibi et dominiis suis non sinat damnum aut levitatem inferri, et mandavit subditis suis, ut parati essent ad occurrendum omni periculo ac necessitati — putat illius Mtas. hunc congressum mutuum tam cito fieri non posse, ut cupit et expedire videtur, tamen adnitetur Mtas. sua omnibus viribus, ut se suo bello quam celerius explicare et cum Serma. Mte. convenire possit. Interim autem si qua bona feudalia devolverentur ad ipsum Sermum. regem Ludovicum, ut id sepe in utroque regno solet accidere, rogat plurimum Mtas. sua vram. Celsitudinem, declarare illi dignetur suam sententiam, qualiter ei videretur de talibus bonis caducis disponendum, conservarine deberent ad annos legitimos dicti regis Ludovici, ut ipsa vel jure et merito fieri debere putat, an aliter. Nam in omnibus sequi vellet Mtas. sua consilium et arbitrium vre. Celsitudinis nec ab ea in minima quaque re dissentire.

Preterea cum Sermus. dnus. meus collocavit in matrimonium Illmam. sororem suam dno. Friderico, duci legnicensi, volens statum illius facere honoratiorem, curavit, ut dnus. dux Casimirus illi capitaneatu Inferioris Slesie cederet. Quia vero talis inter eos resignatio parum firma et valida videtur, rogat Mtas. sua vram. Celsitudinem, ut illam ratam habere et confirmare velit mutuo cum sua Mte.

Deinde, quia Sermus. olim rex Vladislaus donaverat Mti. dni. mei id juris, quod devolvi ad eum debeat post mortem domini ducis opoliensis in ipso ducatu opoliensi, quod Mtas. sua cum consensu ejusdem Sermi. Vladislai donavit rursum et transfudit in dnum. Casimirum, hec autem res eo invalida videtur, quod ipse Sermus. dnus. Vladislaus decessit vivente adhuc dno. duce opoliensi; rogat Mtas. sua vram. Celsitudinem, dignetur huic donationi consensum suum prestare et illam ratam habere. Committit tamen hec et alia omnia consilio et arbitrio vre. s. Mtis. cui semper in omnibus deferre et inniti vult et pollicetur.

Postremo habet in bona memoria Sermus. dnus. meus, qualiter cum vra. ces. Mte. coram de magistro Prussie et ejus ordine constituerit, postea tamen ad postulationem vre. Celsitudinis nihil Mtas. sua cum illo inceptavit, nec debitum suum exegit. Iterum ipse magister non contentus patientia Mtis. sue multa molitur partim Rome, partim apud vicinos principes, ut ingerat aliquas difficultates Mti. sue. Preterea anno superiori admoverat exercitum ad terram Mtis. sue Samogitiam et in gratificationem hostis Mtis. sue aliquid hostile patrare voluit. Sed inventis illic validis presidiis, coactus est re infecta discedere. Nunc autem munit arces, delectus hominum facit et stringit variis injuriis subditos Mtis. sue, ut illi pertesi inquietudinis et difficultatum suarum se ei subderent. — Que res non est ulterius Mti.

Mti. sue ullo modo ferenda, et perinde rogat plurimum vram. Celsitudinem: dignetur ipsum magistrum ab ejusmodi conatibus, debito ac professione ejus indignis, retrahere ac admonere eum, quo debito suo satisfaciat. Et super omnibus consulere velit vestra Mtas. Sermo. dno. meo, quid ulterius agere cum illo debeat, si eo modo gerere se adversus illius Mtem. voluerit, nec ab his inceptis suis destiterit. MDXVII.

Memoriale Domino Raphaeli.

Si ces. Mtas. responderit, se nondum exploratam habere ad plenum voluntatem dni. regis Caroli de dna. Leonora et quod vellet adhuc operam pro illa facere juberetque vos expectare, id facietis et per literas manu propria scriptas reddetis Mtem. regiam certiorem.

Si vero dixerit, se rem perducere non posse de domina Leonora et aliam videlicet dnam. Bonam conciliare Mti. regie volet, dicetis: se de illa in commissis nihil habere, sed significare vos velle Mti. sue, credereque, quod et brevi responderet illi Mtas. sua et in omnibus generaliter id faceret, quod consultum videretur sue ces. Majestati.

De excussoribus false monete regni Mtis. regie roganda erit ces. Mtas., ut nihil statuat absque mutuo scitu et consilio Mtis. sue; nam et illa vicissim nihil in hac re et aliis facere vult absque mutuo consensu et consilio illius cesaree Mtis.

Dicendum etiam erit, ubi sermo incideret de his, que multi fingunt, ut hanc conjunctionem Mtis. sue cum cesarea Mte. solvere possint, quibus ut Mtas. sua fidem non adhibebit, itidem sperat, et petit, ut ces. Mtas. non credat, nec coram se loqui permittat.

CCXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Raphaeli de Lesszno, Oratori ad Cesarem misso.

Generose etc. Reddidit nos certiores mgcus. palatinus cracoviensis et Joannes Boner, te in itinere morbo correptum decumbere. Quod est nobis valde molestum, scis enim in quam arduis negotiis te misimus quamque illa celerius exequi vellemus, quandoquidem multa evenirent ex mora nocumenta. Quare si relevatus es hactenus, ut munus tuum obire possis, volumus, ut iter sine mora prosequaris. Sin vero adeo languens es, ut id nunc commode perducere non possis, mandamus tibi, ut per hunc cubicularium instructiones omnes mittas Cracoviam in manus dicti mgci. palatini cracoviensis; opus enim erit, ut alius loco tui quam celerius expediatur. Aliter non facturus pro gratia nostra. Cod. R.

CCXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. et Cap. Cracoviensi, Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. Affecit nos magna molestia egritudo Raphaelis. Negotia enim, in quibus missus est, moram non patiuntur, et proinde si hactenus non convaluit, id quod Cod. R.

MDXVII. ex cubiculario nostro, quem ad eum misimus, Stas. tua brevi cognoscet, volumus, ut venerabilis Joannes Karnkowski loco ipsius quam celerius proficiscatur. Scimus enim, illum esse paratum. Generosum vero Petrum Kmitha libentius misissemus, ut qui et notus illic sit et ces. Mti. gratus, sed electus in nuncium ad conventum piotrkoviensem, tam cito se expedire non posset, ut res exigit. Quare Stas. tua diligenter instruat ipsum Karnkowski juxta eam instructionem, quam Raphaeli dedimus et quam illi mandavimus ad manus Stis. tue mittere, si ipse ire non poterit.

Ea vero, que nobis Stas. tua scripsit, fieri per dnum. vojevodam Transylvanie, nobis multum displicet, verum cum jam sepius et illum et dominam ducem matrem admonuimus cum per literas tum per nuncios, non videtur nobis amplius eos hortari, sed cum se aliter gerere noluerint erga dnum. suum quam deceat, non aderimus illis in his, que rursus eis accidere poterint. Agant igitur suo periculo, quando totiens admoniti suum officium et debitum non faciunt. Et non dubitamus, quod domina dux libenter videret, ut dominus vojevoda observaret fidem et obedientiam debitam, sed ille fortasse ejus voluntati non paret, et perinde nobis non videtur eum totiens et frustra admonere.

Filias nostras, quando aura suspecta non est, volumus in Niepolomicze manere. Nam et non satis tutum esset illas inde nunc movere propter ingentia frigora. Bene valeat Stas. tua.

CCXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Karnkowski, Canonico Cracov., Preposito Skarbimiriensi, Secretario suo.

Cod. R. Venerabilis sincere nobis dilecte. Designaveramus ad cesaream Mtem. nuncium generosum Raphaelem Lesczinski in quibusdam multum arduis et necessariis negotiis nostris, qui cum egritudine correptus nequeat iter istud prosequi, volumus, ut tu loco ejusdem proficiscaris, quandoquidem res est, que moram non patitur et tu, ut nobis scripsisti, paratus istic existas. Quare si ipse Raphael ire nequibit, tu quam celerius te expedias et vadas celeriter illuc ubicunque suam Mtem. cesaream invenies, ac justa instructionem nostram, quam tibi mgcus. palatinus cracoviensis, aut in ejus absentia Joannes Boner dabit, ages omnia diligenter cum ea prefatione, quod dudum Raphaelem ad s. Mtem. miserimus, sed eo inter eundum egritudine correpto, tu loco ejus missus fueris, ut s. Mtas. de mora nos non accusaret, aut ne quid sinistri de nobis suspicaret.

Precipimus vero tibi districte, ut ea, que agere debebis, agas cum consilio rmi. dni. cardinalis gurcensis et nemini alteri communices preter Joannem Mrakschi, si illic fuerit. Res enim sunt, quas et hic et illic secretissimas esse volumus. Aliter non facturus pro fide tua et gratia nostra.

Quod vero ad viaticum tuum attinet, commisimus Joanni Boner, ut de illo tibi provideat.

CCXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X. S. Pontifici.

Sctme. Superiori tempore, quando Posonii cum Sermo olim fratre meo, dno. Wladislao Hungarie et Bohemie rege convenissem, dederam ad vram. Sctem. literas meas, quibus illi rev. dnum B. de Comitibus, protonotarium et referendarium ejusdem, ex animo commendaveram; cognovi enim illum et dignum futurum gratia Sctis. vre. et ad quodvis munus gerendum idoneum. Licet vero credam ipsam commendationem nostram nonnihil apud eandem Sctem. vram. ponderis habuisse, quia tamen intelligo, ad nullum hactenus usum illi cessisse, repetendas duxi preces meas et supplico vre. Scti., ut ipsum B. de Comitibus, cum ob ejus virtutem, tum hanc commendationem clementia sua complecti et ubi occasio se obtulerit ad sacerdotium vel officium aliquod honestum provehere dignetur. Rem sua benignitate dignam et mihi gratissimam faciet vra. Sctas. Cujus gratie etc. MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali de Grassis.

Scribimus literas sctmo. dno. nostro in commendationem rev. dni. B. de Comitibus, protonotarii et referendarii sue Sctis., quem pro ejus doctrina et meritis cupimus aliqua majori accessione promotum iri. Rogamus vram. rmam. Ptem.: dignetur easdem literas sue Scti. offerre et illum ejus gratie, quantum fieri potest, nomine nostro insinuare. Cum vero se occasio quedam provehendi illum offeret, velit meam ipsam commendationem sue Scti. in memoriam reducere. Nam illa cogitationibus aliis districta, ejus oblivisci posset. Faciet nobis vra. rma. Ptas. rem non vulgariter gratam etc. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Francisco, Regi Galliarum.

Serme. Declaravit nobis literis suis rev. dnus. Nicolaus ex proceribus Mg. ducatus Lithuanie, qualiter illum Mtas. vra. quando cum summo pontifice Bononie convenerat, ope sua, quam divinitus concessam habere perhibetur, a morbo scrofularum liberaverat, quod vero deinde, in eundem morbum relapsus, et ejus iterum levandi causa Parisium profectus, non potuerit a Mte. vra. obtinere, ut secundo illi opem ipsam prestaret, oravitque nos enixe, oraverunt et ejus necessarii, ut ad Mtem. vram. pro illo intercederemus. Nos et voto subditorum nostrorum deesse nolentes et pro quo dignum existimantes, ut vra. Mtas. eam dotem suam, quam ad humani generis commodum et divini muneris testimonium inditam habet, liberaliter impartiret, plurimum illam rogamus: dignetur predicto domino electo in prestanda iterum hac ope suam humanitatem et ejus isti adversitati benigne subvenire. Rem nobis non vulgariter gratam faciet etc. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCXXX. PETRUS

CCXXX. Petrus Tomicius, Eps. Premisliensis, Vicecancellarius Christophoro de Szidlowyecz, Pal. et Capit. Cracoviensi et Regni Polonie Cancellario.

MDXVII Cod. B. Mgce. domine. dne. fautor colendissime. Ea que mihi vra. Mgcia. scripsit de astrologorum judiciis regiis, volutavi mecum diu, utrum illa sue Mti. referre deberem nec ne? terrebant enim me multa exempla, que et vidi et legi, casuum hominum, que ex sola earum imagiginatione accidere solebant. Nam cujus rei est ratio certa et naturalis, nemoque est, quem non vehementer commoveant eventus sui proprii etiam leviter prolati. Porro autem predictiones iste parum vel nil me permoverunt, partim quod eas viri sapientes non christiani solum, sed etiam etnici semper contempserunt et damnarunt, ut que nullo certo fundamento subsistere possunt, partim quod isti divinaculi, cum in aliis rebus, tum nunc in judicio Mtis. regie aperte dissident et non solum nostro principi, sed et aliis multa mala pollicentur. Morbum gallicum a stellis non timeo, cum sit nova hec lues et stelle omnes sunt ab initio nullaque est ad ejus influxum denuo creata: oportuit esse caput ventosum id, quod tam specifice aut impudenter potius judicium protulit. Meminit vra. Mgcia. ex ipsis Italicis judiciis, que leves plerumque homines practicant, debuisse Mtem. regiam anno preterito uxorem duxisse et oculis doluisse. Horum nil accidit, accidit autem privatio clarissimi fratris, de quo nulla fuit mentio, et de victoriis aut aliis insignibus eventibus nemo eorum aliquid speciale dixit, quod ante sciri potuisset. Sed longum esset talia recensere, que in ventum et fumum abierunt; tamen ut Mtas. sua haberet medicum bonum et expertum, cum humanum corpus semper est mille morbis obnoxium, retuli sue Mti., leviter tamen, quod ista portenderent ei nonnihil adverse valetudinis a fine anni hujus per sequentem integrum suasique Mti. sue, ut medicum idoneum susciperet. Que ad hoc est bene inclinata, ut eum habeat. Et profecto nonnihil eum commoverat hec res utcumque sit princeps animi inconcussi, adeo, ut indoluerim me illi retulisse, expertus, ut prius dixi, quantum faciat. detrimenti timor et imaginatio futuri mali. — De hac re mallem coram loqui cum vra Mgcia., nam nunc egritudine mea febrili, qua jam tribus septimanis agitor, languidus factus non possum scribere, tamen cum gratia Dei convaluero, ut jam incipio, nonnihil adhuc de ea re illi scribam.

Qualiter defensio regni sit constituta, intelliget vra. Mgcia. ex literis Mtis. regie, que valde libenter vidisset, ut ipsa Mgcia. vra. fuisset in Ungariam profecta, ut que homines et consuetudines regni illius optime novit, et apud eos plurime sit auctoritatis, sed quando se excusavit: noluit illi Mtas. sua hanc molestiam presertim ratione sanitatis inferre. Reliqua, que hic geruntur, scribam alias abunde sanitati restitutus. Commendo me plurimum vre. Mgcie. que sit felix et incolumis.

CCXXXI. SIGISM.

CCXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. Retulit nobis jam pridem. rev. dnus. eps. premisl., misisse sibi tuam Stem. quedam judicia italica, egritudinem et obitum nobis minantia, et qualiter sollicita sit de nobis ratione ejus rei et cedule hic affixe conspirationem adversus nos horum subditorum nostrorum denunciantis, quod idem mgcus. castell. cracoviensis ad nos scripsit, et ut de nobis curam haberemus nos admonuit. Imprimis vero habemus gratias Sti. tue, estque id nobis valde gratum, quod ita angitur de his rebus, quas nobis adversas intelligit; verum quod ad judicia attinet, scientes, cognitionem futurorum, ut summam omnium rem, ita solius divine sapientie esse, non humane. Que si etiam a nobis haberi possit, alterius tamen ordinis et existimationis homines illam possiderent quam ii, qui ejusmodi artes exercent; ponentesque spem nostram in dno. Deo, in cujus manibus et arbitrio tam felix et adversa fortuna hominum, quam etiam vita et mors consistit, nihil prorsus movemur his fabulis. Numerus enim mensium nostrorum apud illum est, non apud istos circulatores, cui nos habita ut fieri poterit de salute et rebus nostris opportuna provisione committimus. Nam etiam magis nobis consulere non possumus. MDXVII. Cod. R.

Cedulam autem, que affixa fuit, quando his consiliariis nostris ostendimus, excusare se etiam cum lacrimis ceperunt, dicentes constanter ac cum magna amaritudine animi, id ex Polonis prodiisse, et quod non solum illos non juvarent in hoc eorum discrimine, sed curarent etiam honore et bona existimatione apud nos privare. Quia vero nos satis exploratum habemus, ut horum subditorum nostrorum erga nos fidem et obsequium, nihil ab illis timendum nobis putamus; sed talia esse conficta ab improbis aliquibus, quo fieret in republica perturbatio aliqua et ipsi optatum suum aliquod consequerentur.

Habebimus omnem curam de nobis, habendo penes nos medicos et alias provisiones opportunas, facere tamen non possumus, quin ministris nostris fidem adhibeamus, nisi ipsi nobis ministrare vellemus. Datum Vilne. fer. VI. prox. post fest. div. corp. Christi.

Hec Joannes Laski, archieps. gnesnensis, confinxerat ad novas turbas excitandas. (Adn. ad marg. Codicis.)

CCXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Laski, Archiepo. Gnesnensi, Primati, Legato nato.

Rme. in Christo pater. Que nobis Ptas. vra. rma. scripsit sparsa esse de nobis in Italia ad dedecus et perturbationem rerum nostrarum, jam prius non ignoramus. Et qui tractatus de nobis istic in regno, quasi jam morituris, fuerint, compertum habemus. Verum nos, cum christianum regem agimus, non promovemur quidquam his nugis, que cum a s. patribus damnate tum a gentilibus sapientibus semper irrise et exose fuerint. — Nam si Deus immortalis prescientiam futurorum, rem omnium maximam, impartiri vellet hominibus, alterius sortis tamen et sapientie illam haberent, quam ii, qui tales artes prestigiarias exer- Cod. R.

 cent.

MDXVII. cent. Cum vero sciamus, ipsos autores astrologie fateri, neminem ex arte particularia predicere, nisi numine afflatos et presertim fata principum, que non ex se ipsis dependent, minime ambigimus et scripta astrologi magis particularia quam ullius prophete et alia multa commenta de industria esse instructa. Que indignissimo ferimus animo dabimusque operam ita, ut nobis Ptas. vra. consulit, tam per literas ad pontificem quam ad alios, qui rem abunde investigare poterunt, ut cum promulgatorem honoris nostri cognitum habeamus, sciemusque, qualiter nos vicissim erga illum nos gerere debeamus.

De matrimonio vero intelliget Ptas. vra. voluntatem et tractatus nostros ex aliis literis. — Bene valeat. Datum Vilne.

CCXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Spitkoni de Jaroslaw, Castell. Cracoviensi.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Scripsit nobis Stas. tua, se intellexisse, que nonnulli astrologi italici de successibus nostris adversis predixerint et que per cedulam hic affixam nobis nunciatum et indicatum sit, ut curam nostri haberemus. Nos quidem grato animo suscepimus hanc fidem et sollicitudinem de nobis tue Stis.; verum nos, ut christianum principem decet et quia alias in vita sepe experti sumus, divinationes tales nihil neque veritatis neque rationis habere, non movemur illis. Alioquin si cujus momenti essent, majoris auctoritatis et sapientie homines illam exercerent quam ii, qui astrologiam profitentur. Sequimur potius edictum Dei, quo per prophetam nos admonet: ne timeremus a signis celi, que gentes timent, sed in illo, in cujus manibus sortes nostre sunt, fidem omnem et spem poneremus, ut nos hactenus fecimus, et sumus ejus divina benignitate in majoribus talibus minis et periculis servati, quod et in futurum speramus succedere. Itaque ut a levi homine et arte vana prodita, ita in fumum et ventum abitura confidimus. — Quod vero ad cedulam attinet, comperimus itidem, ut alias multas fabulas figmentum esse, scimusque nos etiam hic fidos et benivolos habere subditos. — Utcumque est admonitionem Stis. tue, ut diximus, grato animo suscepimus. Que bene valeat.

CCXXXIV. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

Cod. R. Mgce. dne., dne. et fautor colendissime. Vidi bina judicia ex Italia, que mihi misit vestra Mgcia., que quoniam diversa predicunt de valetudine et successibus Mtis. regie, et in dubiis semper est ad meliorem partem interpretandum, non me multum permoverunt, presertim cum nostri, qui prestant in hac arte Italis nihil tale metuendum referunt. Tamen quantum agere mihi licuerit, ut Mtas. sua caveret a malo eventu, nihil pretermittam. — Scribo literas nomine regie Mtis. ad Doctorem Miechovitam, ut etiam ille proferat suam sententiam et vra. quoque Mgcia. illum adhortetur.

Filii

Filii olim domini palatini plocensis composuerunt cum Mte. regia de tenutis suis, dimiserunt sue Mti. Ravam libere et summa eis ad alia bona est traducta, et preterea nihil effici potuit ad presens pro domino Withwinski, ostenderunt etiam presentationem ad plebanatum in Wiskitki cum clausula per cessum sive decessum. Quam videns Mtas. regia, reliquit eos juxta literas in plebanatu, mirataque est, quod illam diu non ostenderunt, fuisset enim ista omnis difficultas ab initio discussa. MDXVII.

Dominum capitaneum premisliensem et commendatione vre. Mgcie. et quod defendere solet bona episcopatus mei, habeo libens in omnibus suis negotiis commendatum. Commendo me vre. Mgcie.

MDXVII.	XXII Julii.	Chrisostomus cum Konarski Vilna discesserunt ad Italiam pro Bona regina desponsanda.
	XXX Julii.	Sigismundus Rex ex Vilna discessit ad Poloczko.
	XXIII Augusti.	Rex venit ad Poloczko.
	VIII Septembris.	Boguss cum nuncio Cesaris et cum Nicolao Nipssic profecti sunt ad Moscoviam.

CCXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Capitulis Ecclesiarum cathedralium majorum Regni.

Venerabiles devoti nobis dilecti. Cum sepe antehac a nobis et predecessoribus nostris, regibus Polonie, fiebant publica decreta et constitutiones pro conservando in debita dignitate et quiete statu ecclesiastico ac cohibenda nimia aliquorum ambitione, qui absque ulla conditionis sue ratione se passim ad prelaturas et canonicatus ecclesiarum cathedralium ingerebant ipsasque constitutiones regni nostri per derogationes apostolicas magna indignitate et odio in se universe nobilitatis infringebant, volentes nos huic rei firmum et opportunum remedium adhiberi et majori utrumque statum regni nostri spiritualem videlicet et secularem benivolentie et officii necessitudine conjungere, ut mutua eorum concordia et consensione Respublica nostra majus in dies pro laude omnipotentis dei et defensione ac firmitate sua capiat incrementum, impetravimus apud sctmum. dnum. nostrum Leonem X. pontificem maximum, et sanctam sedem apostolicam claram et insignem constitutionem: ut quemadmodum in plerisque aliis regnis firmissime observatur ita et in hoc nostro, quod amplitudine virorum nulli cedit, nonnisi nobiles ad prelaturas et canonicatus ecclesiarum cathedralium accipiantur, siquidem ipse ecclesie non minus auctoritate personarum quam opum amplitudine fulciri debent, ut in debito honore et immunitate sua constent et habeantur. Cujus quidem constitutionis exemplum mittimus sub sigillo nostro vris. Dtionibus ac hortamur illas mandamusque districte: ut cum gratia inprimis ordinis et status ecclesiastici, quem olim per predecessores nostros tantis privilegiis et facultatibus dotatum cuperemus majori in dies dignitate et firmitudine auctum iri. Non vulgarem operam adhibuimus pro consequenda hac constitutione et privilegio apostolico, nec magno sumptui nostro pepercimus, curent una cum rev. in Christo patre dno. epo. suo, cui etiam in ea Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

re

MDXVII. *re scripsimus, et provideant, ut nullus deinceps, nisi juxta ordinationem prefati summi pontificis ad ecclesiam istam recipiatur ipsaque ordinatio et constitutio apostolica in omnibus conditionibus et vigore suo perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Quibus nos pietate nostra regia semper aderimus, et ut in posterum successores nostri adsint diligenter providebimus, nec ullo modo tam clarum et utile privilegium aliqua exemptione infringi patiemur. Vilne cal. Julii.*

CCXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Cracoviensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rde. in Christo pater. Retulit nobis nepos Ptis. vre. secretarius noster, commisisse illam sibi, ut nos illius nomine inviseret et centum flor. dono offerret, quos jam apud Joannem Boner scimus repositos, pro quibus agimus Pti. vre. gratias volumusque hunc tantum ejus erga nos affectum et studium illi vicissim et ejus necessariis gratiose rependere.*

Ceterum nunc adversus hostem nostrum nos accingimus, in quo negotio, uti in omnibus aliis divino indigemus adjutorio. Quare postulamus enixe a vra. Pte., ut committat universo clero suo publicas et privatas pro nobis et populo nostro supplicationes haberi, ut quod pro justitia nostra et pace vindicanda laboris subimus, optato fine conficiamus. Et bene valeat.

CCXXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Doctori Blonie.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Venerabilis. Non te preterit, medicum nostrum Pieczichowski decessisse, et licet hic alii sint apud nos medici, tamen cognitam habentes virtutem diligentiam et fidem tuam erga nos, volumus, ut huc ad nos venias serviturus nobis ita ut consuevisti et ut nos de te confidimus.*

CCXXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Thesaurario Regni.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Mgce. gratam rem fecit nobis tua Stas., quod una cum generoso castellano Zarnoviensi fidejusserit pro his pecuniis, quas mutuo pro hac necessitate nostra apud Joannem Boner generosus Janussius Swirczewski, castellanus, accepit, volumusque hanc illius erga nos gratificationem ita ut alia ejus merita gratiose rependere.*

Non dubitamus, satis esse servilium hominum in regno preter eos, qui huc ad Lithuaniam sunt conducti, et proinde videretur nobis melius, ut Stas. tua ad locum eorum stipendiariorum, qui in Russia fuerunt et huc discesserunt, alios, qui non indigene essent, conduceret tantum, ut numerus mille equitum compleretur. Sin vero esse non possent, tum demum poterit domesticis stipendium dare et providere, ut servitium ipsorum debito modo exequeretur.

Damna,

Damna, que stipendiarii subierunt, volumus ut tua Stas. illis solvat et querere non est opus ex quibus pecuniis id facere debeat, nos enim prius illam edocuimus, ut he pecunie ad defensionem Rei publice ita emetirentur, ut defensio possit esse in Russia saltem per tempus suspectum. Vilne. MDXVII.

CCXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bonero, Burgrabio Cracoviensi.

Generose. Quemadmodum scripsisti nobis ut collaria fieri mandaremus Illmis filiabus nostris et quod sit satis margaritarum nostrorum, ut non opus esset illas emere, non videtur nobis, ut ille moveantur, que sunt clause in cistis, ad quas nos claves habemus. Sed tamen fieri volumus duo collaria mediocria seniori filie nostre et ut compares ad illa margaritas tales, quales tibi videbuntur. Transferre autem easdem filias nostras non videtur nobis: ne adversa aliqua aura in autumno veniret; maneant itaque in Niepolomice, et provideas eas iis, quibus est opus, ita ut hactenus fecisti. — Ex cod. mss. bibl. Korn.

Habemus hic medicos aliquos, qui custodiunt sanitatem nostram, tamen ut satisfaciamus voluntatibus hominum, quibus impetimur de ipsa custodia sanitatis, volumus, ut jubeas doctori Blonye ad nos venire prout nos etiam illi scribimus; doctorem vero Gazium, Italum, non videtur nunc opus advocare. Quia tamen nobis commendatur a multis, volumus, ut nos istic expectet et tu interim illi ad vitam sustentandam quinquaginta florenos per mediam sexagenam des nomine nostro.

Commisimus Joanni Balinski, ut reciperet mille florenos in auro a Gedanensibus pro hac rata Sancti Joannis; itaque tu eos recipias quando voles ab illo et allatos dno. duci tessnensi vel cui ille expediendos a te commisit, expedias quando jam illius quittantiam habes.

Gratum est nobis, quod consules cracovienses mutuati sunt X. milia florenorum pro suscipiendis stipendiariis in Russiam, et quandocunque volent mittemus illis securitatis literas de solvendo. — Pecuniam vero quam Andreas Dunin Cracoviam attulit de theloneo novo, videlicet mille septingentos flor., volumus, ut ad te recipias et conserves.

Turrim circa portam castri seu bastam, quando scissa est, demoliri facias. De coquinis autem, utcumque cum magna impensa et tarde laborantur, volumus tamen ut, si omnes ante hiemem perfici non poterint, saltem nostra et reginalis perficiantur.

Scripsit nobis Raphael: cesaream Mtem. mittere nobis dono per eum duos equos, itaque volumus. ut, cum istic Cracoviam venerint, eos ipsos equos ad te recipias et in Zuppis colloces.

CCXL. Tomicius, Episcopus, Vicecancellarius, Joanni de Tarnow, Patricio Polono.

Generose dne. amice et frater charissime. Scripsit mihi Dtio. vra., plerosque notabiles accingere se istic ad veniendum huc pro ea necessitate Mtis. regie, et quod illa nollet pariter abesse ab hoc obsequio, utcumque hactenus parvam sui rationem Mtis. sue experta. Si meum adsit consilium; ego compertum habeo, Mtem. suam optare, ut omnes tales insi- Cod. B.

 gniores

MDXVII. gniores manerent domi ad presidium regni, cum valde tenuiter sit defensio Reipublioe constituta. Tamen si vra. Dtio. huc veniet, erit procul dubio grata sue Mti.

De fortuna vero non est, cur adeo queratur, cum sit in eo gradu constituta, quo facile ad locum majorum suorum accedere possit. Que res tamen obsequiis et meritis facilius et dignius comparatur. Bene valeat Dtio. vra. et me diligat.

CCXLI. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Constantino, Duci in Ostrog, Exercituum Lithuanie Capitaneo generali.

Cod. R. Illris. princeps et dne. ac fautor honorandissime. Non placet mihi, quod exercitus Mtis. regie non vult esse sub obedientia et disciplina militari, verum cum subjectus sit imperio vre. Illtis., habet potestatem ipsa et potest unumquemque corrigere et ad suam obedientiam reducere, et opus certe est, ut ita fiat. Nam multitudo, que plus sensu quam ratione dirigitur, vult severitate et justa animadversione in officio contineri.

Habeo magnas gratias vestre Illti., quod perscripserit mihi de his, que ex terra hostili illi sunt nunciata. — Habemus spem optimam in dno. Deo, quod vra. Illtas. cum populo et exercitu sibi commisso deponet cristas et fastum tumido et injusto hosti et cum insigni victoria ad nos salva et felix revertetur. Cui me commendo et quem dnus. Deus in sua gratia diu sanam et felicem conservet et per omnia fortunet. Datum in Poloczko.

CCXLII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Sigismundo de Erberstein, Nuncio Cesaris Maximiliani apud Ducem Moscovie.

Cod. R. Mgce. dne. amice charissime. Impendi omnem operam, ut sacra Mtas. regia Polonie causa cesaree Mtis. et pro utilitate tam communis reipublice christiane quam regni sui, a quo est longo tempore absens, mitteret in Moscoviam istuc ad vram. Dtionem. suos nuncios pro pace facienda, adduxique et vetera priscorum regum et principum ejusmodi exempla et novum, quod nuper, cum Posonii essemus, accidit, quod Turcarum imperator fusis Hungaris paulo post misit ad eos pro induciis non timore aliquo, sed quia ita rebus suis, quas cum majori suo emolumento et laude parabat, expedire videbat. — Contenta est Mtas. sua eosdem nuncios suos, ut postulavit vestra Dtio., istuc ad eam mittere, cum quibus utinam aliquid proficere possit. Et verum est quidem, ut mihi scripsit eadem Dtio. vra., debere principes esse clementes et placidos, nihil enim his eorum dotibus esse potest humano generi utilius, quas si omnes haberent, non essent bella et tumultus isti perniciosissimi; verum contra istos homines, qui temeritate magis nituntur quam ratione, opus est uti aliis dotibus quam clementia, quam placabilitate, si res ad equum perduci debet.

Dominum Joannem necessarium vre. Dtionis. retinuit apud se Mtas. regia, ut una cum nunciis suis istuc vadat, qui brevi mittentur.

Dominum

Dominum Chrisostomum jam hinc absolvimus eo modo, quo cesarea Mtas. per vram. Dtionem. suasit et consuluit faciendum. Que, rogo, agat, ut posset hanc concordiam perficere, unde laudem sibi perpetuam et accessionem fortunarum comparabit; alioquin fieri res non poterit sine multa et memorabili sanguinis profusione. Bene valeat vra. Dtio. MDXVII.

CCXLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni Polonie.

Mgce. sincere nobis dilecte. Per totum id tempus, quo in dominio hoc agimus, fecimus impensam operam, ut hostem nostrum, ducem Moscovie, potuissemus ad aliquas decentes et honestas pacis conditiones inducere; verum cum ille temere et pertinaciter se in omnibus adversum nos exhiberet, coacti sumus cogitare, ut illum bello satiare aliquando et stringere ad concordiam et pacem amplectendam possemus; confecimusque non vulgarem exercitum militum mercenariorum nullo alio adminiculo quam contributione horum subditorum nostrorum. Cum quibus quidem militibus licet hic multum difficultatis habuerimus de valore monete, multumque temporis altercando consumpsimus, tamen eos denique ad equas conditiones reduximus et huc una cum illis et universis subditis dominii hujus nostri venimus, recensitisque et ordinatis omnibus copiis, misimus eas sabbato intra octavam natalis S. Marie in terram hostilem versus Opoczka, nobiscum consilariis aliquibus et aulicis gravioris armature nonnullisque aliis gentibus nostris relictis. Et quia cesarea Mtas. sollicite agit cum per literas tum per nuncios suos, ut nos cum illo hoste in concordiam reduceret, postulavitque et suasit nobis, ut si aliter fieri non posset, ad illum tractatum pacem mitteremus, volentes illius ces. Mti. in hac re gratificari et ostendere, nos nec pacem detrectare nec adhuc bello succumbere, nolentesque aliquid pretermittere, quo ipsam pacem quam celerius facere posse videremur, ut tandem istuc ad regnum reverti et necessitatibus illius consulere et adesse possemus, misimus etiam ad eundem hostem nuncios nostros, prescripta illis formula, quam excedere ne transversum quidem digitum possint, et presertim de eo, ut sine restitutione arcis Smolensko nihil fiat. Qualitercumque succedet tam ipsis nunciis quam exercitui nostro reddemus, e vestigio Stem. tuam certiorem. Cod. R.

Inter has vero actiones et difficultates nostras magister Prussie non cessat urgere et premere multifariam subditos nostros partim grassatoribus partim etiam vectigalibus insolitis. De quibus illum per literas et nuncios nostros sepe admonuimus. Sed et in dies magis augeri ea maleficia ex terra ipsius videntur. Preterea cum hoste nostro nescimus, quid nunc tantum commercii habeat, ut nunquam alias magis. Eunt inter eos frequenter ultro citroque nuncii, unde manifeste apparet, quam successibus nostris faveat et quid rebus suis meditetur. Quare opus erit, ut Stas. tua tempori deliberet, quomodo ipsum magistrum coërcere possemus, ut, cum ad regna feliciter redibimus, consiliis meditatis rem aggredi valeamus, quam nec vellemus nec expediret temere ordiri. Dissimulare autem usque adeo tot injurias et damna, est incitamentum illi dare ad majora adversus nos et subditos nostros patranda et molienda.

Ceterum

MDXVII. Ceterum studuimus enixe in istis difficultatibus nostris Tartarum nobis devincire, ut actiones nostras non interturbaret, misimusque adhuc ante estatem mgcum. Gastoldum, palat. polocensem cum stipendio ad Czerkassi; promiserant enim se nobiscum arctam societatem contra hostem nostrum et fedus inituros, filiumque imperatoris obsidem daturos, tamen pro astu suo solito expectabant hucusque, quorsum res nostre aut ducis Moscovie inclinarent. Et interim Gastoldum verbis de pecuniis circumvenire tentabant, qui in Kiiow subsistens noluit nisi obside recepto eas illic numerare. — Nunc autem scripsit ad nos idem Tartarus, se missurum exercitum in Moscoviam, cum etiam nos mitteremus, firmareque velle fedus nobiscum, sed filium obsidem dare ad presens non posse, promittens tamen se postea daturum. Quod utrum facturus sit nec ne, adhuc satis compertum habere non possumus. Bene tamen nobiscum actum putabimus, si saltem actiones et dominia nostra non infestabit. Datum in Poloczko fer. VI. ante translationem S. Stanislai.

CCXLIV. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Andree de Thanczin, Palat. Lublinensi.

Cod. B. Mgce. dne. amice charissime ac honorande. — Scripsi literas donationis propter nuptias dne. uxoris vre. Dtionis., quas dnus. Olesszniczki a me accipiens non me fecit certiorem, quando illas remittere vellet; quo factum est, quod nihil tunc scripsi vre. Dtionis., nec ejus literis respondi.

Post nostrum ex Vilna discessum habuimus multum difficultatis tractando cum militibus mercenariis de valore monete hujus ducatus et propterea tarde huc venimus, et primum sabbato post festum natalis domine nostre S. Marie preteritum exercitum in terram hostilem hunc dimisimus; speramus tamen, quod juvante dno. Deo aliquid boni faciet.

Missi sunt etiam oratores illuc in Moscoviam dnus. Scith et Bogusch, ut satisfieret consilio et postulationi cesaree Mtis. — Prescripta est eis tamen formula, ex qua discedere non poterunt, ut videlicet sine restitutione arcis Smolensko nihil fiat. Sunt in ea re ita constantes dni. Lithuani ut dicant: nisi ipsa arx restituatur, se a prosequendo bello non destituros, usque ad projectionem ultimi pueri. Suntque profecto in hac re optime constantie et voluntatis.

Erat hic his diebus nuntius imperatoris Tartarorum, qui retulit, quod filius unus ejusdem imperatoris, Halb soltan, tendebat versus partes nostras, sed alius, Bohatir soltan, eum retravit, allegans debitum, quo tenentur Majestati regie, et quod fecerint juramentum, ire omnes, vel mittere exercitum in Moscoviam, seque ab illis locis nobis sus pectis dimoverent. — Retulit preterea, quod imperator filium suum in obsidem dare nobis adpresens non posset, promittit tamen, se postea daturum. Quod utrumque facturus sit nec ne, satis compertum non habemus. Utcumque est, si irrumperent Tartari in terram hos stilem et ex una parte nostri, ex altera illi terram ipsam vastarent, poterimus rebus nostris optime sperare, quod videlicet hostis sapere aliquando ad pacem incipiet.

Die crastina proficiscimur hic cum Mte. regia in Braczlaw et illic advocabit ad se Mtas. regia dnum. cancellarium et notarium regni Bohemie, qui ante dies octo Vilnam advenerunt. Quomodocunque

Quomodocunque autem successerit, tam exercitui, quam oratoribus in Moscoviam missis, reddet Mtas. sua Dtionem. vram. et ceteros dominos certiores. Que sit incolumis et felix et me diligat. Datum in Poloczko fer. IV. prox. ante f. translationis S. Stanislai. MDXVII.

CCXLV. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Paulo, Duci Olsanensi, Epo. Luccoviensi.

Rev. in Christo pater et dne. amice charissime. Die crastina proficiscimur in Braczlaw et illic expectabimus, quoad intelligamus, quomodo tam exercitui quam oratoribus in Moscoviam missis succedet. Speramus autem, quod hostis pertesus tam longi et gravis belli sapere aliquando ad pacem incipiet, presertim cum Tartari promittant, se etiam terras illius ab alia parte vastaturos. Commendo me vre. Dtioni. Dat. in Poloczko. Cod. R.

CCXLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley, Pal. Sandom., Exercituum regni Polonie Capitaneo generali.

Mgce. sincere nobis dilecte. — Scripsit nobis Illustris dux Constantinus et significatum est nobis per exploratores et interpretes nostros, quos in orda Tartarorum habemus, quod Bohatir sultan cum aliis fratribus et nepotibus suis sit instructus, ut dominia nostra adoriatur. In quo discrimine id, quod solum ad presens facere potuimus, scribimus universe nobilitati et officialibus terrarum Russie, hortantes illos, ut ubi necessitas ingrueret, non deessent Reipublice et accurrerent in subsidium stipendiariis nostris illuc, ubi per Stem. tuam locus designaretur. Quam etiam hortamur, ut prudentia sua operam omnem, que fieri potest, adhibeat, ne quid Respublica detrimenti patiatur. Et quia non placet nobis tam propinqua Stis. tue circa Leopolim mansio, nullo modo enim tempestive necessitati alicui adesse posset, volumus, ut quam celerius mutuum cum Illri. duce consilium et intelligentiam capiat, ubi se uterque vestrum ponere debeatis cum hominibus, ut in omni necessitate possitis invicem commode et absque mora convenire. — Factura pro virtute et officio suo ac gratia nostra. Cod. R.

CCXLVII. Sigismundus, Rex Polonie, Andree Tanczynski, pal. Lublinensi.

Mgce. sincere nobis dilecte. Reddidit nos certiores palatinus noster Kijoviensis, ordam Tartarorum universam una cum imperatore suo ad hanc partem Boristhenis trajecisse, seque ab ipso imperatore admonitum esse, ut id subditis nostris denunciaret curaretque, ut homines ad arces se transferrent et essent in bona custodia; fieri enim non posse, ut tanta multitudo Cod. R.

MDXVII. titudo ab eo contineri debeat, quominus ob inediam excurrat ad dominia nostra et predetur. Quare provideat tua Stas. una cum aliis dignitariis et officialibus nostris, ne incautis hominibus subditis nostris aliquod grave damnum inferatur. Factura pro debito suo et nostra gratia.

XXIV Septembris. Rex discessit ex Poloczko
XXIX — Rex venit ad Braczlaw.

CCXLVIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius Christophoro de Shidlowyecz, Palatino et Capitaneo Cracoviensi R. P. Cancellario, Gostinenti, Sochaczoviensi et N. civitatis Korczin Capitaneo.

Cod. R. Post exitum nostrum ex Vilna venit ad nos in itinere famulus dni. palatini Russie, qui mihi fasciculum literarum a vra. Mgcia. attulit, in quibus erant nonnulle litere rev. dni. posnaniensis et aliorum, que fuerant ad illum scripte, quas bene intellexi et Mti. regie perlegi. Imprimis vero quod attinet id, quod scripsit ipse rev. dnus epus. hominem illum *(Jo. Laski, archiepis.)* scire pleraque, que de se fiunt et scribuntur, miror unde istud scire deberet. Nam et vram. Mgciam. scio esse cautam et ego secretissime omnia custodio omniaque manu propria scribo; potest tamen esse, ut ex multis actionibus, que contra voluntatem ejus fiunt, conjecturam capiat, aut quod exploratores apud nos habeat. Nam hoc studium ejus semper fuit, ut talium, qui multa perperam agunt, haberet ubique aucupes sermonum de se hominum. — Utcumque est, non permoveatur hac re vra. Mgcia.; nam ego utcumque sum pauper episcopus, nihil tamen formido ea alicui palam fieri, que scribo aut dico pro bono Reipublice et principis. Quibus omnes omnia debemus. —

De dno. Kuna jam intelligit vra. Mgcia., eum non posse cum oratoribus Mtis. regie proficisci, potuisset tamen istud fieri, si ille prius consilio Mtis. sue et meo usus fuisset, ut videlicet ire secundo Barium non properasset. Tamen cum ita factum est, expedivi illi literas a Mte. regia, quas voluit, sed eas Mtas. sua valde gravate concessit, putans testimonia et commendationes eo tendere, ut commodum aliquod privatum procurarent. Videturque ejus Mti. istud indignum, quasi ipsa non sit sufficiens alicui de se merenti gratiam rependere, ni per intercessiones tales premia illi, et presertim in tali casu, ordinarent hancque de se apud exteros levitatem notam literis facere et utcunque contraheret frontem et supercilia, ut solet, mulceret, quotienscunque de hac re agebam. Ego tamen per multos dies leniendo rem impetravi, ut sua Mtas. ipsas literas dari mandaret et ipsa scriberet, non adeo quidem ample, quantum ad commendationem, ut ille voluit, sed non vulgariter tamen, et quod in sensu parum vel nihil differt ab intentione ipsius, omnino vero nisi esset propter vram. Mgciam. et illum, quem valde amo, non fecissem tantam operam reluctante adeo sua Mte., nam cum fidei mee sit, custodire dignitatem Mtis. sue, multum erubesco id petere ab illa, quod ipsamet censet se esse indignum.

Noluit

Noluit Mtas. sua significare adhuc aliquid aliis dominis de itinere ad Viennam quam vestre Mgcie., priusquam sciat, quomodo apud cesarem res constituetur, tamen ego locutus sum jam cum Mte. sua de rmo. dno Posnaniensi et dno. capitaneo Majoris Polonie, quos ultra alios Mtas. sua libentius missura videtur, et dixit, se mittere velle. Quam primum vero facta fuerit certior de constitutione rei apud cesarem, mox illis voluntatem suam significabit. — MDXVII.

Vult autem Mtas. sua, ut scribatur primoribus dnis. consiliariis de hoc negotio matrimonii, qualiter constituerit, ego tamen, ut id tardius fiat, curabo propter illum hominem, ne prius quam apud cesarem res finiatur faciat adhuc aliqua impedimenta, ut est ad eas technas optimus architectus, licet jam, juvante dno. deo, nihil obstare poterit.

De domina duce Masovie scripsi adhuc ex Vilna vre. Mgcie. que illic acta sunt. Expectat nos ibidem, donec ex bello revertamur, ut si hic filius centum equis militans cum affinibus et dno. Lanczkoronski impetrare non poterunt ea, que volunt et fabricarunt, adoriantur Vilne Mtem. suam majori arte et conatu et jam heri, ut a dno. capitaneo Samogitie accepi, peroravit dnus. Lanczkoronski apud dnos. Lithuanos, veniens ad eos cum duce et ejus consiliariis gravando excessum subditorum illorum contra ipsos duces ad summum quod videlicet coacti fuerint flexis genibus eosdem subditos suos orare, ut vim eis non facerent, tum cum in Makow venerant; petivitque summis precibus, intercederent ad Mtem. regiam, ut eos puniri faceret, ita ut magnitudo delicti poscere videretur. — Ego tamen non dubito, Mtem. suam se constanter gesturam et custodituram, in quo habeo semper diligentem advertentiam et quod ad subditos illius ducatus attinet, omnia ut ad regnum rejiciantur curabo.

De consensu ad eximendum Sambor miror, qui has et multas alias nugas istic seminant; nam de hac re dnus. Maldrzik ne minimam hic quidem fecit mentionem quamvis nescio, quid contra Mgciam. vram. peccatum esset, cum nunc primum sciam, illam esse eorum bonorum tutorem, et cum id sciam nihil vereatur, ut tale aliquid Mtas. regia absente illa concedat.

Habuimus in itinere multum difficultatis tractando cum stipendiariis de valore monete hujus et propterea tarde huc venimus et heri primum exercitum in terram hostilem misimus, speramus tamen, quod juvante dno. Deo aliquid boni faciet. Missi sunt etiam nuncii illuc in Moscoviam dnus. Scith et Bogusch, ut satisfieret consilio et postulationi cesaree Mtis.; prescripta est tamen eis formula ex qua discedere non poterunt: ut videlicet sine restitutione Smolensko nihil fiat. Suntque in ea re ita constituti domini Lithuani, ut dicant: nisi ipsa arx restituatur, se a prosequendo bello non destituros usque ad projectionem ultimi pueri, ut est in proverbio de dracone. Sunt profecto in hac re optime constantie et voluntatis.

Noluit Mtas. regia mittere ullo modo nuncios in Bohemiam et quomodo rescribit domino regi Hungarie, mitto vre. Mgcie. copiam, mitto etiam literas, quas scripsit eadem Mtas. sua dno. palatino lublinensi, que allate fuerunt post ejus discessum. Libenter hic nobiscum mansisset, verum Mtas. regia voluit, ut se conferret ad Russiam propter Tartaros. Scribit enim dnus. Gastholt, eos ita esse animatos, ut irrumpant ad nos et Lithuaniam.

Dominus

MDXVII. Dominus Jordan hic existens nihil agit, quod scire possim, preter res paucas suas et amicorum, nisi aliquid secreta collocutione cum Mte. regia, ut id sepe fecit, egisset, quod me lateret. Nam non soleo aucupari, que quis secreta cum Mte. sua tractet, permittoque libenter, unumquemque res suas ita ut vult agere, quamvis Mtas. sua, cum quid tale sit, solet mihi plerumque sponte sua dicere.

CCXLIX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Proconsulibus et Consulibus Gedanensibus.

Cod. B. Spectabiles domini, amici charissimi. — Agimus Dtionibus. vestris non vulgares gratias de munere et propensione, quam erga nos habent, volumus vicissim illis hanc benivolentiam animi opera et studio nostro semper referre.

Exercitui Sermi. dni. nostri hactenus in terra hostili feliciter succeddit, bino enim conflictu nostri excubias hostium validas fuderunt. — Quod hostes ipsi intelligentes se inter aquas posuerunt, pugnam vitantes. Nostri vero, ut eos eliciant, ferro et igni depopulantur omnia. Arcem Opoczka, licet ad hoc non sint instructi, expugnare student, in qua multi nobiles ex hostibus se munierunt. Qualitercunque res cesserit, id enim in arbitrio divino constitutum est, reddemus vras. Dtiones. certiores. Quas felices et incolumes esse cupimus. Datum in Braczlaw in Septembri.

Opoczka oppugnata,
XXX Octobris Rex rediit Vilnam.

CCL. Sigismundus, Rex Polonie, Fabiano, Epo. Varmiensi.

Cod. B. Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. — Per totum id tempus, quo in dominio hoc agimus, fecimus impensam operam, ut hostem nostrum, ducem Moscovie potuissemus ad aliquas decentes ac honestas pacis conditiones inducere; verum cum ille temere ac pertinaciter se in omnibus adversum nos exhiberet, coacti sumus cogitare, ut illum bello satiare aliquando et stringere ad concordiam et pacem amplectendam possemus, confeceramusque non vulgarem exercitum militum mercenariorum et cum eis ac universis subditis dominii hujus nostri profecti fuimus in Poloczko. Recensitis et ordinatis illic omnibus copiis miseramus eas sabbato intra octavam natalis S. Marie in terram hostilem versus arcem Opoczka, circa quam supra unum mensem jacentes et hostium exercitum, qui se in locis aqua munitis prope illam collocaverat, ad pugnam provocantes, longe lateque omnia ferro et igni depopulabantur binisque conflictis validas hostiles excubias profligarunt. Et licet semel duntaxat arcem ipsam expugnare tentarint, temereque res et sine scientia prefectorum ac nullis instrumentis, cepta fuit; tamen, gratia Dei, salvi omnes, paucis ex peditibus

tibus

tibus et uno vel duo de equitibus desideratis redierunt. Nam non fuit voluntas nostra, ut MDXVII. diu circa oppugnationem ipsius arcis occuparentur. Nunc nescientes, qualiter hostis noster sit animatus, presidia opportuna in finibus collocavimus. Et quia cesarea Mtas. sollicite agit cum per literas tum per nuncios suos, ut nos cum illo hoste nostro ad concordiam reduceret postulavitque et suasit nobis, ut si aliter fieri non posset, ad illum tractatum pacem mitteremus. Volentes illius Mti. in hac re gratificari etc.

CCLI. Conservatio Bohemorum in juribus et religione eorum.

Nos Sigismundus, dei gratia rex Polonie, Mg. dux Lithuanie, Russie, Prussie, Masovie, dnus. Cod. R. et heres, recognoscimus et notum facimus tenore presentium universis. — Quia cum duo status baronum et militarium regni Bohemie sponte et libera eorum voluntate, sine prejudicio jurium et libertatum suarum, nos in tutorem et protectorem illius regni una cum Sermo. et excellentissimo principe et dno., domino Maximiliano, divina favente clementia Romanorum imperatore semper augusto, ac Hungarie, Dalmatie, Croatie rege, archiduce Austrie, duce Burgundie, Brabantie et comite palatino, fratre et consanguineo nostro charissimo, usque ad legitimos annos Sermi. principis et domini Ludovici, Hungarie et Bohemie etc. regis et marchionis Moravie, nepotis nostri charissimi, per suos insignes oratores susceperint ea lege, ut ipsos et regni Bohemie terras ac dominia ad id pertinentia in eorum privilegiis, juribus, ordinationibus, institutionibus et laudabilibus consuetudinibus ac etiam fide seu religione prout in literis a priscis Romanorum imperatoribus et regibus ac etiam a Sermis. Bohemie regibus desuper concessis, similiter a bone memorie Sermo. Vladislao, Bohemie et Hungarie rege, germano nostro charissimo, confirmatis, et novis literis per status etiam regni Bohemie factis et in tabulam seu regestrum regni inscriptis patet et continetur, conservare dignaremur, ita ut rex Bohemie illorum dominus facere tenetur, Nos considerantes eorundem statuum regni Bohemie singularem fidem, bonum animum et confidentiam erga nos et eorum honestam postulationem, promisimus ipsis sub fide et dignitate nostra regia et tenore presentium promittimus et pollicemur, quod una cum prefato Sermo. fratre nostro, Romanorum imperatore, quandoquidem ab ipsis statibus simili modo susceptus est: nos tanquam tutor et protector status supra nominatos regni Bohemie ac terras et dominia ad id pertinentia in predictis eorum privilegiis, juribus, ordinationibus, institutionibus et antiquis eorum bonis et laudabilibus consuetudinibus et etiam in fide seu in religione et ad que predicti status in regno Bohemie jus habent, gratiose premittere et inviolabiliter observare et in eo ipsos manutenere. Et si qui essent, qui in contrarium eos vel regnum Bohemie aggravare attentaverint, contra eos ipsos tuebimur et protegemus, sicuti tenetur facere rex Bohemie sine dolo et fraude. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum appensum. Datum in arce nostra Braczlaw fer. VI. die S. Galli.

CCLII. SIGISM.

CCLII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner.

MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Generose etc. Adduxit nobis Wieczorek a te acetum et pomarancia; acetum quidem id quod incipi fecimus, non satis nobis placet, nescimus tamen an reliquum erit potius. Sed quod de pomaranciis dubitas, scito: te nobis rem gratam fecisse; semper enim libenter videmus, cum aliquid nobis mittis, quod hic non habitur. Alioquin voluimus jam tibi pro illis significare.*

Fuit apud nos Italus cum exemplo sacelli, quod nobis constituere debet, et bene nobis placuit, tamen commutari nonnulla ex sententia nostra fecimus, que sibi declaravimus. Ostendimus etiam illi, quantum in sepulcro ex marmore fieri velimus, ut ab illo et charta latius cognosces. Itaque cures, ut ex Hungaria tantum marmoris, quantum sat erit, illi adducatur, nam ibi potius esse dicit pro tali labore, quam alibi et commodius est illinc ducere. Dixit etiam nobis, opus esse sibi aliis octo juvantibus, qui imagines sculperent, quibus habitis perficere vellet ipsam capellam in semi quarto anno, qui terminus licet sit longior desiderio nostro, tamen cum plura impendimus ad temporalia edificia, quare ad illa nos comprimere deberemns, in quibus est perpetuo habitandum? — Et proinde admittas illi, ut suscipiat tantum aliorum juvantium, quantum opus erit, etiam totidem, quot nunc sunt et tam ipsum magistrum quam illos, ita ut tu ipse intelligis, ad laborem constituas et cum illis de pretio constituas.

CCLIII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Strigoniensi, Legato apostolico.

Cod. R. Rme. in Christo pater etc. Intelleximus rev. Joannem, epum. cracoviensem, delatum esse apud vram. rmam. Ptem. tanquam opprimeret clerum suum et temere se in jurisdictione sua gereret, sed et citatum esse ad eandem vram. Ptem. capitulum ejus cracoviense ad instantiam cujusdam presbyteri, hominis versatilis et levis. Quare sumus non mediocriter admirati, quippe qui sciamus, dictum dnum. episcopum esse pontificem rara pietate et mansuetudine preditum, capitulum vero refertum viris et doctis et gravibus, qui nunquam aliquid temere vel indecenter agere consueverunt. — Proinde rogamus vram. rmam. Ptem.: nolit ejusmodi delatoribus fidem adhibere, nec prebere illis ansam, homines claros indigne turbandi, plurisque sit apud illam pontificalis et prelatorum autoritas ac nostrum denique testimonium, quam unius sacerdotis levis ac frivola assertio. Quod vram. rmam. Ptem. cum rei decentia tum causa nostri facturam non diffidimus, quam felicissime valere cupimus.

CCLIV. Sigismundus, Rex Polonie, Jo. Laski, Archiepo. Gnesnensi, Primati et Legato nato.

Cod. R. Rme. in Christo pater etc. Orta est lis inter duos doctores artis medicine ratione prioris loci in gymnasio cracoviensi, cumque apud rev. dnum. epum. cracoviensem judicium de hac re

re ageretur, lata est sententia, ut congrue fieri debuit, pro illo, qui prior respondit. A qua tamen alter ad vestram rmam. Ptem. appellavit. Quia vero indecens est, ut ii, qui studiis mancipati sunt et quietissimi esse debent, sese invicem litibus et controversiis incessant, presertim communes suas constitutiones et morem habentes, postulamus a vra. rma. Pte.: ut predictos doctores vel premittat decreto cancellarii universitatis et consuetudini ejus parere, vel si auctoritatem suam adhibere velit, committat hanc causam Cracovie prelatis aliquibus determinandam, ne per tales longinquas evocationes pax et consuetudines collegii illius turbentur. Rem nobis Ptas. vra. rma. gratam factura. Que bene valeat. MDXVII.

CCLV. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. et Cap. Cracoviensi, Cancellario Regni.

Mgce. sincere nobis dilecte. Inter cetera retulit nobis nuncius cesaree Mtis., omnem impenderit operam, ut conciliare nobis in matrimonium potuisset neptem suam, Illmam. principem Leonoram; verum non potuisse ullo modo hanc rem perficere, propterea quod renuant omnes tam regni Hispanie, quam Burgundie optimates, illam tam longe tradere, ad quam omnia illa dominia mortuis fratribus, qui adhuc pueri et debiles sunt, devolvi deberent et consulit nobis illius ces. Mtas. et optat multum, ut accipiamus dominam Bonam, principem Bari, asserens, se nullam preter eam scire, que congruat eque dignitati et rei nostre quam illa. Declaravitque nobis s. Mtas. et genus et dotem illius, utrumque non vulgare. Preterea venit cum nuncio secretarius matris ipsius virginis et imaginem ejus attulit, que nobis bene placet. Retinuimus illam tantisper donec a Raphaele certiores fiamus, et licet non dubitamus, quod illius Mtas. jam aliter non respondebit, quam nunc significavit; tamen non videtur nobis, ut cum illic nuncius noster sit aliquid aliud constituere ejus responso non habito debeamus. Quidquid autem facere deliberabimus, reddemus prius Sinceritatem tuam et alios consiliarios nostros certiores. Cod. R.

CCLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Mathie de Drzewicza, Epo. Vladislaviensi.

Rev. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Libenter quidem videmus et incumbimus ad hoc, ut cultus domini in regno nostro augeatur, verum quando id publico decreto constitutum est, ut non consentiamus ad novas inscriptiones pecuniarum in titulum redemptionis, id nobis adeo insigniter et passim facere non licet, quia per ejusmodi venditiones censuum in bonis terrestribus diminuitur communis defensio Reipublice, cujus nunc eo major habenda est ratio, quo plures hostes et pericula dominiis nostris undique immineant.

Itaque Dtio. vra. equo ferat animo, quod consensum, quem a nobis petit, non prebeamus, et profecto quemadmodum nobis publicas constitutiones infringere ac labefactare non licet, ita

MDXVII. ita et vre. Pti., cujus tanta est consilii nostri autoritas et officium in Republica, minime decere ea postulare, que firmitatem decretorum conventualium et communem defensionem minuere videntur.

Nos hic frustrati spe pacis vel concordie alicujus cum hoste, cogimur diutius immorari et bellum restaurare, que difficultas nostra fit potissimum opera et instinctu ordinis Cruciferorum de Prussia, ubi etiam sentimus quosdam motus et apparatus bellicos fieri, contra quos, id quod ad presens facere potuimus, locavimus presidia, ne quid dispendium in terra Samogitie ab illis accidat. Sin autem aliquid majus contingeret, id etiam majori consilio indigeret, et non negligeremus Ptem. vram. et alios consiliarios nostros de hoc reddere certiores. Bene valeat vra. Ptas. Datum in Lithuania.

CCLVII. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao de Schidlowyecz, Thesaurario.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Miramur vehementer et molesto ferimus animo, quod, ut tua Stas. nobis scripsit, modice pecunie sunt ad thesaurum congeste. Nos quidem hactenus parsimus de dispensandis illis, volentes, quo pro necessitate publica quam plures cogerentur, et speravimus ita futurum. Verum si aliter sit, Stas. tua curet et hortetur exactores, ut celerius exigant et comportent ipsas pecunias.

Et quia scripserunt nobis consiliarii nostri ex Russia, necessarium esse, ut hoc instanti tempore conducantur plures mercenarii, volumus, ut Stas. tua absque mora conducat adhuc quadringentos equites. Et si pecuniam paratam non habet, illam aliquo loco conquirat ne quid per negligentiam majus Reipublice accidat detrimentum.

Ceterum intelleximus, hos stipendiarios, qui nunc in Russia sunt, magnum accepisse damnum persequendo Tartaros et cum eis confligendo. Volumus itaque, ut eis de ipsis eorum damnis, que nunc sunt passi, Stas. tua una cum stipendio satisfaciat, quo deinceps fiant in militia sua diligentiores.

Ceterum habemus gratias Sti. tue, quod illic in Russia non defuerit communi necessitati presentia et impensa sua aliosque ad id cohortari et ducere secum curavit. Volumus illi hoc officium dignum meritis et virtute ipsius, gratia et beneficientia nostra semper referre. — Scribimus id reliquis consiliariis et primarie nobilitati, que sponte sua illuc contra hostem accurrerat. Aliis autem, ad quod non scripsimus, de quibus Sti. tue melius constat, ipsa nostro nomine gratias agat et polliceatur illis hanc laudabilem operam gratam apud nos et non neglectam futuram. Datum Vilne.

CCLVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Palatinis Regni.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. — Gravi et acerbo animo ferimus damnum, quod Tartari nunc in terris Russie perpetrarunt, et non putavimus nos quidem, quod imperator eorum initam

tam nobiscum et jurejurando firmatam amicitiam et societatem violare debuisset. Verum cum tam insignem perfidiam in nos commisit, opus erit, ut de hac re novum adversus illum consilium capiamus. Interim vero, quia veremur, ne in gratificationem hostis nostri, ducis Moscovie, iterum terras nostras adoriatur, commisimus ad numerum stipendiariorum adhuc quadringentos equites conduci, et insuper ad Stem. tuam literas restium mittimus, ut si illi opportunum videbitur eas publicari et nobilitatem omnem ad arma commoveri curet diemque et locum, ad quem eadem nobilitas conveniat, adscribi faciat. Sin vero conditio temporis aliter suadebit, agat unacum aliis consiliariis et primoribus, prout melius expedire videbitur. Nam nos nollemus quidcunque negligere, quo tam subito et inopinato discrimini occurri possit. Aliud vero nunc presentius remedium huic malo afferre nequivimus, scribente nobis mgco. thesaurario regni, nullas in thesauro esse pecunias, quod et miramur et valde est nobis molestum. Hactenus enim parsimus a dispensatione ipsarum pecuniarum publicarum, speravimusque, congestum iri debere non parvas summas ex fertonibus et Czopowe, que sustinere potuissent onus defensionis Russie. Que quidem spes nos fefellit. Itaque Stas. tua his adminiculis, que fieri possunt, adnitatur, ne quid iterum perfidus hostis damnum inferre valeat. MDXVII

Ceterum habemus gratias Sti. tue, quod istic in Russia non defuerit communi necessitati opera, presentia et impensa sua aliosque ad id cohortari et confirmare curavit. Volumus illi hoc officium dignum meritis et virtute ipsius gratia et beneficentia nostra semper referre. Scribimus idem reliquis consiliariis et primarie nobilitati, que sponte sua illuc contra hostem accurrerat. Aliis autem, ad quos non scripsimus, de quibus Sti. tue melius constat, ipsa nostro nomine gratias agat et polliceatur illis, hanc eorum laudabilem operam apud nos non neglectam fore. Datum.

CCLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao de Schidlowyecz, Thesaurario.

Mgce. sincere nobis dilecte. Commisimus mgco. palatino sandomiriensi: ut sit in Russia per ista tempora suspecta, volumusque, ut tua Stas. illi per hoc tempus, quod ibi fuerit, solvat ad XXX equos per X flor. ad quartale; peditibus vero et tormentis bellicis non videtur nobis opus esse adversus Tartaros. Tamen si pecunie defensionis suppetere possunt, suscipiantur tantum peditum, quantum necesse videbitur cum intelligentia dicti palatini sandomiriensis. Cod. R.

CCLX. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley, Palat. Sandomiriensi, Campiductori.

Mgce. sincere nobis dilecte. Intelligimus opus esse, ut Stas. tua in Russia sit, postquam defensio in conventu generali sit leviter constituta, ubi enim necessitas aliqua ingrueret, Cod. R.

 facilius

MDXVII. facilius se homines in presentia illius congregarent. Itaque sit illic Stas. tua. Commisimus illi stipendium dari ad XXX equos per X florenos tam diu quamdiu illic manserit. Non censemus opus esse multis prefectis stipendiariorum, cum mala sit pluralitas principum, sed sit unusquisque illic, ubi eum Stas. tua collocaverit, et faciat illud, quod ei ab illa committeretur. Tworowski jam diu commisimus dari stipendium ad XX equos per X flor. et proinde nescimus, quare ille a nobis vel quam provisionem petit, cum ratione prefecture, quam gerit, id ei quod nulli alteri pendimus. Quod nobis Stas. tua scribit de peditibus et tormentis bellicis, nobis non videtur adeo opus esse illic contra Tartaros, presertim cum pauce sint pecunie defensionis; tamen committimus id eidem tue Sti. una cum mgco. Nicolao Schidlowyeczki, thesaurario, ut id faciant, quod magis intelligent expedire, habendo respectum ad facultatem pecunie, ut illa suppeteret. Bene valeat Stas. tua.

CCLXI. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao Lanczkoronski, Capit. Camenecensi. Excubiarum Prefecto.

Cod. R. Generose fidelis dilecte. — Miramur jam bina hoc anno incursione Tartaros terras nostras Russie infestasse, cum tu istic sis cum militibus mercenariis et nihil sit a nobis neglectum, quod ad presidium partis istius videtur attinere. Committimus igitur tibi districtius, ut diligentissime intendas per custodes et speculatores, ne deinceps vel irrumpant ipsi Tartari, vel, quando adventarent, possis tempestive dominos et nobilitatem reddere certiores. Significarunt enim nobis nuncii nostri, quos in Perekop habemus, nullum illic esse ordinem et obedientiam, conarique partem Tartarorum non modicam se ab imperatore scindere et in terras nostras Russie irrumpere et itidem aliam partem, que adheret fratri imperatoris, Achmet soltan, moliri ac jam esse in procinctu. Quod tibi propterea denunciamus, ut eo diligentius incumbas, quo id, quidquid ipsi Tartari inceptarent, tempestive scias et subditis nostris declares, ne quod grave dispendium inopinatis illis accidat, et quando irruptionem aliquam facerent, tu quo numerosius posses una cum aliis occurrere celerius communi necessitati et periculo. Pro gratia nostra aliter non facturus. Datum Vilne.

CCLXII. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao Lanczkoronski, Capit. Camenecensi. Excubiarum Prefecto.

Cod. R. Generose fidelis dilecte. Non libenter videmus, quod Tartari tam sepe et furtim irrumpunt in terras Russie preter scientiam tuam et considerationem speculatorum tuorum; proinde hortamur te, ut diligentius ad ipsam speculationem et custodiam intendas, ne per tam crebros eorum insultus damnum magnum subditis nostris inferatur, et hostibus animi adversus nos augeantur. Declaravimus palatinis et capitaneis nostris in Russia hec, que nobis nuncii

nuncii nostri ex orda significarunt et commisimus illis, ut parati sint, utque cum aliqua necessitas ingruerit, omnes ad eam concurrerent. Tu etiam cum stipendiariis nostris paratus sis et attentus ad conatum Tartarorum; sed nec minus ad vojevodam Moldavie, a quo non minor hostilitas nobis incumbit. Commisimus mgco. Nicolao de Schidlowyecz, thesaurario, ut daret peditibus in Camieniecz mille florenos in pecunia et alios mille in panno. Tu itaque quando voles literas ad eum mittes. MDXVII.

CCLXIII. Petrus Tomiczki, Vicecancellarius, Stanisl. Lanczkoronski, Cap. Camenecensi.

Generose dne. amice. Adhibui diligentiam, ut iste Thelephus, quem vestra Dtio. huc misit, sit celeriter expeditus et responsum ei ad omnia datum, que coram Mte. regia protulit. Cod. R.

Hic Mtas. sua mittit omnes istas gentes versus fines hostis sui, qui nec pacis, nec induciarum conditiones aliquas acceptare voluit, que per cesaream Mtem. fuerunt illi oblate. Et ita dum nos cum Moscis et Cruciferis hic depugnabimus, vos istic a Tartaris et Valachis, ut potestis, vos protegatis, qui omnes in perniciem nostram simul sentiunt, quos dominus Deus non consoletur.

Ago Dtioni. vre. plurimas gratias pro gradario, quem mihi misit, et rependam illum eidem omni benivolentia et gratificatione mutua in rebus ejus omnibus. Que valeat feliciter et me diligat.

CCLXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Solimano, Imperatori Turcorum.

Ee litere date fuerunt Oratori Cesaris Turcorum Vilne, illo absoluto ac dimisso.

Serenissime princeps et dne. amice et vicine noster charissime. Gratulamur ex animo Serti. vre. quod tam multis et insignibus victoriis hostes suos devicerit imperiumque suum longe lateque propagaverit. — Quandoquidem tantam erga nos benivolentiam et affectum pre se fert, ut non gravata sit per ea magna locorum intervalla nos per hunc oratorem suum invisere successusque suos, quos libenter audivimus, nunciare. Curabimus vicissim hanc illius humanitatem et benivolentiam ac propensionem omnibus amicitie officii referre nosque erga illam ita conservare, ut bonum amicum et vicinum decebit. Cod. R.

Inducias vero, de quibus eidem Serti. vre. significaverat f. m. Sermus. frater noster, dnus. Vladislaus, rex Hungarie, libenter acceptamus et inire cum illa volumus. Ad quas conficiendas et firmandas mittemus brevi ad Sertem. vram. oratorem nostrum proprium, quando illam intelligemus ex partibus istic asiaticis in Greciam rediisse. Et quia intra has inducias, que nunc inter nos labuntur, Tartari Biallogrodenses multa damna clandestinis incursibus

MDXVII sibus patraverunt in dominiis nostris, postulamus a vra. Serte.: committere velit prefectis et officialibus suis finitimis, ut provideant: ne deinceps talia fiant contra bonam amicitiam nostram et jura federum. Quod Sertem. vram. facturam credimus. Que optime valeat et nos diligat.

CCLXV. Sigismundus, Rex Polonie, Mathie de Drzewicza, Epo. Cujaviensi.

Cod. R. Reverende in Christo pater, sincere nobis dilecte. Nondum rediit cubicularius, quem ad consiliarios Majoris Polonie misimus, qui cum primum veniet, statuemus de agendo conventu prout plurium sententie censuerint, quamquam veremur, ut commode ipsum conventum peragere possemus, hiemantibus hic circa Boristhenem in campis nostris cum imperatore suo universis Tartaris, qui nullo modo contineri poterunt, quin ad dominia nostra continuo excurrant. Que res nos plurimum angit. Et impendimus quidem omnem operam, quo hic pecunias aliquas conquiramus, quibus delinire possemus animos istorum, ut se versus Moscoviam converterent et dominia nostra non infestarent. Sed an efficere id poterimus adhuc plane nescimus, et quamvis sint in Russia mille et septingenti equites, tamen nescimus, quomodo illic usque ad estatem servari poterunt. Scribit enim nobis mgcus. castellanus Sandomiriensis, sibi ad thesaurum publicum toto hoc anno non plus collatum esse ex omnibus exactionibus quam viginti milia florenorum, ex quibus jam solvit militibus mercenariis et qui dudum serviunt et quos postea susipi fecimus, stipendium demeritum, et pro illis etiam, quos demum consiliarii terrarum cracoviensium et sandomiriensium suscipi fecerunt, summam mutuo acceptam exolvi mandavimus. Preterea ex eadem summa solvendum erit Tartaris, et ita qualiter sufficere debeat, non videmus. Consiliarii vero nostri nihil aliud, cum eos paulo ante per literas consuluimus, nos edocuerunt faciendum. Omnes id committunt arbitrio et dispensationi nostre. Sed hec est valde gravis dispensatio, cum id deficiat, quod dispensari deberet. — Ut autem respicere deberemus ad id, quod in futuro conventu decernetur, si ventum erit ad fertones more solito juxta quittantias antiquas, qui tam incendiis et pestilentia quam etiam malo ordine exigendi continuo decrescunt, Nos probe scimus et vra. Ptas. non ignorat, quantum id faciat. Quare sumus anxii et perplexi, quid facere debeamus; intelligimus quidem omnino necessarium esse, ut illic in Russia milites mercenarii serventur, sed unde id fiat non videmus.

A duce Moscovie nihil ad presens inquietudinis habemus, cum quo quid agendum erit deinceps consulere nunc cum his consiliariis et subditis nostris volumus. Bene valeat vra. Ptas.

CCLXVI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Nicolao Firley, Palat. Sandomiriensi, Exercituum Regni Capitaneo generali.

Cod. R. Mgce. dne. amice et fautor honorande. Reversi sunt tandem nostri ab Opoczka, circa quam supra unum mensem jacentes et hostium exercitum, qui se in locis aqua munitis prope illos

los collocaverat ad pugnam provocantes, longe lateque omnia ferro et igne depopulabantur binisque conflictibus validas hostium excubias profligarunt. Semel tentarunt arcem ipsam oppugnare, sed infeliciter illis cessit; nimium enim celeriter et alacriter magis quam prudenter sine ullis instrumentis irruerant ad ipsam oppugnationem, jamque tria vexilla nostrorum in arce constituerant, sed multis in ea hominibus se constanter defendentibus nec deficientibus in omnibus rebus ad defensionem necessariis, arceque ipsa magna et optime munita existente, repulsi sunt nostri cum clade non mediocri. Occisi enim sunt supra LX, inter quos optimus miles Sokol et MCD vulnerati. Mtas. regia nesciens, qualiter hostis ejus sit animatus, presidia opportuna in finibus collocavit et in regnum abire hinc festinat statuitque indicere conventum generalem Cracovie propter matrimonium suum et omnino pro die natalis domini prox. in Radom venire decrevit, nisi aliquis insperatus eventus illam hic diutius retineret. Itaque accingimus nos jam ad iter, et spero, quod circa festum S. Barbare auxiliante Deo hinc discedemus et brevi simul conveniemus. Interim commendo me vre. Mgcie. et valere felicissime desidero. Datum Vilne. MDXVII.

CCLXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Firley de Dambrovicza, Palatino Sandomiriensi, Exercituum Polonie Capitaneo.

Mgce. sincere nobis dilecte. Cum primum nos generosus Stanislaus Lanczkoronski, cap. camenecensis, certiores fecit de strage Tartarorum, egimus mox gratias dno. Deo imprimis et demum per literas generosis Tworowski et Seczigniewski, quorum ductu hec victoria est parta, aliisque omnibus, qui cum illis erant, gratia nostra rependere curabimus. Cod. R.

De renunciando autem servitio septingentis equitibus, non fuit mandatum nostrum expressum, sed factum est, ut remur, id a mgco. Nicolao, thesaurario, respectu summe pecuniarum, quam habet in thesauro, tamen scripsimus illi, ut stipendium illorum demeritum illis exolveret et equos confectos ab eis reciperet, istis vero reliquis equitibus, qui illic serviunt, mandavimus servitium ad aliud quartale futurum indicere. Datum Vilne.

CCLXVIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

Mgce. domine, dne. et fautor colendissime. — Post reditum huc meum major occupatio fuit cum domina duce Masovie, que intelligens spe matrimonii regii, cujus causa potissimum huc concesserat, se esse frustratam, nesciebat, quomodo de rebus suis domesticis constituere, quidque a regia Mte. petere deberet. Tandem vero volens tam diuturnam hic moram suam colorare, cepit sollicite agere et rogare: ut Mtas. sua hinc in regnum proficiscens in Masoviam divertere et ibi motum illic excitatum sistere dignaretur. Fuitque mihi magnus labor obsistere magnis et importunis illius precibus, quas non parum adjuvabant, Cod. R.

 non

MDXVII. non solum domini Lithuani, sed etiam nostri, ducentes magnis rationibus Mtem. suam in tanta ducum regni sui necessitate jure id facere debere, et mihi magna munera promittentes, ut illorum desideria adjuvarem aut saltem illis me non opponerem. Verum ego cognoscens quanti res hec sit momenti, quantumque periculi et timoris in se contineret, curavi pro virili mea supplicare et suadere Mti. regie, ne ullo modo id faceret, sed se cum angustia temporis, tum publicis regni et privatis suis necessitatibus excusaret. Obtinuique tandem, licet cum magna difficultate et labore, quod Mtas. sua dignata est ire in meam sententiam, sicque ut ego consului et optavi, ipsi domine duci respondit. Que in hac sua petitione, in quam omnes suas vires et nervos intenderat, repulsam passa, iterum, nescio, quid aliud molitur, quod quale sit, adhuc incertum habeo, sed cum id intelligam et quomodo illam expediemus, scribam postea vre. Mgcie. aut solus referram. Spero enim, quod feria quarta proxima ante festum S. Barbare, Deo bene juvante, hinc egrediemur et in Radom sacra natalis domini celebrabimus. Commendo me plurimum vre. Mgcie., et valere illam felicissime desidero. Datum Vilne.

CCLXIX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Jordano de Zakliczin, Castell. Vojnicensi, Scepusiensi, Zatoriensi et Oswetimensi Capitaneo.

Cod. R. Mgce. dne. amice et fautor honorande. Nudius tertius discessit hinc domina dux Masovie et cum ea dominus Lanczkoronski, cui cum hactenus non dederit vra. Mgcia. in mutuum pro redimendo Novoforo octingentos florenos, per dnum. castellanum cracoviensem apud eam depositos, vult Mtas. regia, ut eos non det, sed expectet cum ea re Mtis. sue istuc adventum. Illa vero docebit vram. Mgciam. quid tandem facere debebit.

Non placet Mti. sue, quod pauci pisces Cracoviam sunt dimissi, quando tamen id non negligentia, sed aque paucitate est factum, nemo propterea vestram Mgciam. jure accusare potest.

De oratoribus regie Mtis., qui in Moscoviam sunt missi, nihil adhuc auditur. Nos vero feria quinta, auspice Deo, versus Cracoviam hinc discedemus. Felicissime valere cupio vestram Mgciam. eidemque me plurimum commendo. Datum Vilne in Novembri.

CCLXX. Petrus Tomiczki, Eps. Prem., Vicecancellarius, Nicolao Firley, Palat. Sandom., St. de Chodecz, Marschalco.

Cod. R. Mgce. dne. amice et fautor honorande. — Nos jam fer. V. prox., auspice Deo, versus Cracoviam hinc discedemus, sed turbavit nos vehementer invasio Tartarorum, quam paucis ante diebus fecisse in Russiam et terram Volhinensem dicuntur, fracto juramento, quod nuper prestiterunt, et tempore alias nunquam solito; nescimus tamen adhuc certo, qualiter illic sit actum et quantum damni illatum.

Orator

Orator vojevode moldaviensis, qui est istic, consulit nomine domini sui, *ut ipsis Tartaris nulla fides habeatur, nec stipendium illis ullum solvatur, quo ipsi ditati validius et potentius nos oppugnant, sed ut querantur in campis et armis ac bello fatigentur, presertim hoc tempore, quo vires illorum dicit esse multum tenues ac attritas.* Sed de hoc in conventu generali futuro, Deo bene juvante, consultabitur. Et certe bonum esset, ut aliquando contra hoc perpetuum malum, quod nos et regnum universum continue affligit, aliquod solidum et longo tempore duraturum remedium inveniamus. MDXVII.

De oratoribus regie Mtis., qui sunt in Moscovia, nihil adhuc audivimus. Felicissime valere cupio vram. Mgciam., eidemque me plurimum commendo. Datum Vilne.

CCLXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Solimano, Cesari Turcorum.

Serenissime ac victoriosissime princeps et domine, amice et vicine noster charissime. Fuit apud nos orator Mtis. vre. Dragomanli eo tempore, quo expeditionem contra ducem Moscovie, hostem nostrum, faciebamus, referens nobis cum victorias vre. Mtis. in Syria et Egipto, tum etiam benivolentiam erga nos et qualiter nobiscum id fedus et pacem inire vellet, de qua Sermus. olim frater noster Vladislaus, Hungarie et Bohemie rex, agere ceperat. Nos gratissimam hanc significationem habentes, volebamus tunc ad Mtem. vram. oratorem nostrum mittere. Verum quia illa valde remote in transmarinis partibus agebat, et idem orator vre. Mtis. non suadebat mittendum, nisi cum illa ad Constantinopolim reverteretur, distulimus hucusque missionem ipsam oratoris nostri ad Mtem. vram. nam ipsi etiam in longinquo a regno nostro his temporibus agentes, celerius de reditu Mtis. vestre in Greciam compertum habere non potuimus. Nunc autem cum intelleximus illam feliciter et potitis amplissimis victoriis ad Adrianopolim rediisse, designavimus ad illam oratorem nostrum mittendum. Propter quod hunc celerem nuncium premittere voluimus, quo Mtis. vre. Serenitatem inviseremus, successibus ipsius gratularemur et qui salvum conductum pro oratore nostro magno afferret. Rogamus itaque Mtem. vram., ut eundem salvum conductum concedere et mittere huc per ipsum nuncium nostrum dignetur, quandoquidem nos ea causa oratorem nostrum magnum ad vram. Mtem. mittimus, ut ille inducias et fedus inter nos faciat et conciliet, volentes cum vra. Mte. concorditer, amice et in bona pace semper esse. Cujus amori nos commendamus et cupimus, ut sit felix et incolumis. Cod. R.

CCLXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Solimano, Cesari Turcorum.

Serme. princeps etc. Mittimus ad Mtem. vram. presentem mgcum. Jacobum Seczigniewski, magnum oratorem nostrum, cui commisimus et invisere Mtem. vram. et nonnulla negotia ad bonam amicitiam et pacem inter nos pertinentia cum illa tractare et concludere. Quam rogamus, Cod. R.

MDXVII rogamus, ut quidquid cum illa nostro nomine egerit, tractaverit et concluserit illi non secus quam nobis ipsis plenam et indubium fidem adhibere dignetur. Valeatque felicissime et nos diligat.

CCLXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni.

Ex cod. mss. bibl. Korn. *Universis et singulis prelatis, proceribus, dignitariis, officialibus status utriusque ecclesiastici scilicet et secularis, capitaneis castrorum, civitatum, oppidorum, villarum et aliorum locorum prefectis ac eorum vices gerentibus, ubilibet in regno nostro existentibus aliisque quibuscunque, ad quos presentes litere nostre pervenerint, salutem et gratiam regiam. Non incognitum vobis esse volumus, quod sctmus. in Christo pater dnus. Leo, divina providentia papa decimus, gratiam jubilei, prius nobis ad regnum et dominia nostra concessam prorogare ejus Sctas. dignata est adhuc jam a fine primi anni usque ad duos sequentes durandam. Que ut debito modo et ordine dispensetur pecunieque ex illa collecte et colligende non distrahantur, commisimus et presentibus committimus venerabili Paulo de Scudla, sacrarum literarum professori, capellano nostro, quem etiam venerabilis et religiosus frater Raphael de Proschewicze, vicarius provincie regni nostri ordinis fratrum minorum de observantia, principalis executor ejusdem gratie commissarium ad hanc rem instituit, non solum in terris regni nostri et totius gnesnensis et leopoliensis provincie, sed etiam in aliis terris ditioni nostre subjectis ordinem in dispensatione ipsius gratie Jubilei facere, pecunias colligere et utrumque officium, tam commissarii, quam collectoris gerere. Quare mandamus vobis et unicuique vestrum: ut eundem Paulum doctorem pro commissario et collectore pecunie ex dicta gratia provenientis et proventure habentes, ipsum ubique terrarum ad faciendum et ordinandum omnia, que ille pro necessitate ejusdem gratie opportuna ac nobis ac reipublice tam regni nostri quam terrarum ac dominiorum ad nos pertinentium utilia esse videbuntur, ipsique consilia et auxilia detis et salvos conductus ubi opus fuerit, pro officio vro. et gratia nostra facturi.*

CCLXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Archiepiscopo Gnesnensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rme. in Christo pater. Fuit apud nos Ill. dna. dux Masovie una cum filiis suis et questi sunt de injuriis et contumacia subditorum suorum adversus se, que vre. Pti. satis constant. Nos eam rem ut perniciosam et mali exempli non libenter audivimus et intelligentes eam longiori mora in pejus vergere et minores illuc motus assidue excitari, necessarium putavimus aliquos, qui consilio et auctoritate prestarent, illuc mittere, quandoquidem nos ipsi magno et repentino negotio districti non possumus illuc descendere, deputavimusque inter alios vestram Ptem., quam postulamus, ut ad conventum, quem ipsi domini duces Varschovie in crastino S. Thome, apost., habebunt, descendat et una cum aliis collegis operam faciat, quo ipse motus honestis et decentibus conditionibus sistantur et differentia omnis componatur. Factura etc.*

CCLXXV. SIGISM.

CCLXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis et Proceribus Masovie.

Universis et singulis consiliariis, officialibus communitatum, nunciis ac aliis nobilibus ducatus Masovie in conventu varschoviensi constitutis salutem et gratiam nostram regiam. Gravi ac molesto animo ferentes eos motus et differentias, que sunt isthic excitate, res enim cum indecora est, tum reipublice vestre perniciosa, mittimus ad istum conventum vestrum rmum. in Christo patrem etc., quibus omnem facultatem dedimus damusque presentibus cognoscendi componendique nostro nomine equis et decentibus conditionibus omnem discordiam et dissidium vestrum. Quare hortamur vos, ut quidquid illi retulerint, tractaverint et constituerint vobiscum et plenam illis fidem adhibeatis et omnia inviolabiliter observetis. Ubi vero dicti oratores et consiliarii nostri omnes venire isthic non possent, tunc iis, qui venerint integram auctoritatem prestamus et fidem non minorem illis adhiberi volumus, quam si omnes adessent. Facturi etc. MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCLXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopis et ceteris Consiliariis Regni Polonie.

Reverendi in Christo patres et mgci. sincere. nobis dilecti. Allatum est nobis nunc breve summi pontificis, quo illius Sctas. significat, se concilium lateranense jam clausisse, inter cujus tractatus et decreta hoc potissimum esse, ut fieret expeditio contra Turcos, prout ex copia ipsius brevis Ptas. vra. rev., quam illi mittimus, clarius cognoscet, et quomodo illius Sctas. postulet a nobis, ut ad tractandum de eadem expeditione mitteremus ad se vel nuncium cum plena potestate, vel mandatum ad aliquem res nostras illic agentem. Que res licet nobis ut periculo propinquioribus esset adeo grata et salutris, ut facile absque solenni testificatione credi possit, nos omnia, quantum nostra interesset, et bella et difficultates alie sinerent facturos: ne tamen videremur nostre imprimis ac demum totius rei christiane saluti deesse, hortamur vram. Ptem. ut nobis consilium et sententiam suam perscribat, qualiter in ea re illius Scti. respondere et exhibere nos debeamus. Cod. R.

Ceterum venerat ad nos jam pridem orator imperatoris Turcorum nuncians imprimis victoriam et successus illius felices contra Soltanum, ut illum ad internecionem fuderit et dominia illius in potestatem et ditionem suam redegerit, deinde quod inducias cum nobis inire vellet, non eas solum, de quibus Sermus. olim frater noster, dnus. rex Hungarie ad illum significaverat, sed tam prolixas quam esset voluntas nostra. Nos tenuimus hactenus illum oratorem apud nos donec a Sermo. dno. rege Hungarie et consiliariis ejus certiores essemus de voluntate et sententia ipsorum, quandoquidem ex federibus nostris ita est conventum, ut inducie non nisi mutuo cum Turcis inirentur. Verum cum tantisper nihil nobis significarent, nobisque alie actiones nunc incumbunt, absolvimus eundem oratorem et inducias suscepimus quemadmodum communi decreto nostro in conventu piotrkoviensi faciendum consulistis, sed persuasum item nobis habemus: dnos. Hungaros in eandem sententiam

MDXVII. tiam venturos, siquidem intra hoc induciarum tempus vix generalis expeditio, que dudum nequicquam struitur, constitui posset. Quia vero ipse orator nullum habuit mandatum ad juramentum a nobis capiendum, nihil cum illo conclusimus, sed retulimus nos ad oratorem nostrum, quem brevi illuc mittemus. — De quo voluimus Ptem. vram. rev. certiorem facere.

Preterea dominus magister Prussie multiplices per hoc omne tempus infert injurias vicinis subditis premens eos partim conniventia de incursionibus predonum partim vectigalibus novis in terra sua contra pacta federum, ut ne minime queque res a nostris illic emi et educi possint, quin spolientur, retrahantur, mancipentur, non alia ratione, quam ut illi pertesi tante oppressionis se illi dedant aut tributum solvant. Nos causa cesaree Mtis. et aliarum difficultatum, que nunc nobis incumbunt, dissimulavimus usque huc tantas injurias et indignitates nostras admonentes ipsum nihilominus sepe, ut ab illis et contineret nec cogeret nos aliter erga se gerere quam postulat conjunctio et necessitudo nostra; nihil tamen profecimus. Quare nolentes ulterius querelas subditorum et preces obaudire, quibus assidue sollicitamur, ut nos quoque aliquid contra subditos dni. magistri in terra nostra statuamus et provideamus opportuno remedio huic calamitati, consulere Ptem. vram. et alios consiliarios voluimus, quid nobis faciendum putent, utrum etiam precludere libertatem educendi res et mercimonia ex terris nostris vel strictis humeris hec incommoda ferre et dissimulare debeamus. Proinde consilium suum de hac etiam re nobis perscribat. Postremo, ut non sit nescia Ptas. vra. eorum, que hic nobiscum aguntur, fecit nos certiores orator ces. Mtis. ex Moscovia, ducem illum nolle tractatus aliquos pacis ingredi nisi nuncios ad se mittamus. Que res quia nobis gravis et indigna est visa, ut quasi mendicatum pacem ad hostem nostrum mittere et subdere nos et hoc dominium, huic indigne consuetudini deberemus, scripsimus ad illum, ut ageret, quo ipse hostis noster mitteret nuncios cum plena potestate vel ad fines sui dominii, vel ad civitatem rigensem et nos itidem nostros illuc mitteremus, ubi autem neutrum istorum perficere posset, mitteret nobis ab illo salvum conductum pro nunciis nostris: ita videlicet ut simul pertentata voluntate et animo ejusdem hostis de restitutione Smolensko nos certiores faceret, ut quasi ad rem paratam nuncios aliquos leviores mitteremus, ostenderemusque ces. Mti. per nos nihil stare, quo equa pax medio et opera illius Mtis., ut id valde studet, conficiatur. Alioquin sine restitutione ipsius Smolensko nullo modo nos neque posse nequo velle pacem inire aut nuncios mittere. Parum vero spei habentes, quod istis tractatibus aliquid boni perfici deberet, nisi arma accedant, suscepimus non contemnendum numerum militum mercenariorum et recta jam adversus illum, freti auxilio divino et justitia nostra, proficiscemur. Ubi qualiter nobis successerit, reddemus deinde Ptem. vram. certiorem. Interim vero postulamus ab illa, ut quia prope adest dominus invocantibus se, et nos sicut in aliis rebus ita maxime in actione bellica Dei et patronorum adjutorio et favore indigemus, fieri mandet pro nobis a clero sibi subjecto publicas et privatas ad ipsum dominum Deum et sanctos ejus supplicationes, ut quod pro pace et quiete populi nostri loboris subimus, id cum optato fine conficiamus. Factura Ptas. vra. suum officium et nobis rem gratam, quoniam procul abest, ut in alio quam in divino auxilio opem nostram ponamus. Bene valeat vra. Ptas. Datum Vilne.

CCLXXVII. SIGISM.

CCLXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Alberto, Episcopo Vilnensi.

Rde. in Christo pater. Venientes huc Vilnam intelleximus, tuam Ptem. vetuisse gratiam Jubilei nobis et dominiis nostris a sede apostolica concessam publicari asserendo in bulla ipsius nonnihil honori huic Mg. ducatui Lithuanie dectractum esse, de qua re sumus plurimum mirati et male contenti, quandoquidem nos in conventu brzestene presente dno. archiepiscopo gnesnense eidem Pti. tue et dno epo. luccoviensi mandavimus: ut quandocunque a commissariis fratribus S. Francisci de observantia requirerentur, ipsum Jubileum promulgari facerent, proinde cum sciamus, officii Ptis. tue non esse corrigere bullas summi pontificis, vel illi formulam scribendi illas et nominandi dominia nostra exhibere, hortamur illam et volumus omnino: ut per hunc presentem nuncium committat capitulo, ut publicetur eadem gratia, ne diutius salus animarum et utilitas, que hinc nobis et Reipublice debetur, differatur. Vilne.

MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCLXXVIII. Decretum regium in causa Conradi Hitfelt et Ludovici Engelhartt, civium Thorunensium.

In causa injuriarum, quam coram nobis et judicio nostro famati Conrad Hitfelt proconsul et Ludovicus Engelhartt, scabinus thorunensis, contra Joannem Nemptz, civem gedanensem intentarunt et egerunt ob id, quod ille capto olim Simone Materna extorquere ab eo confessionem quandam et cirographum contra bonam famam et honorem eorum debuisset, perpendentes utriusque partis dicta et allegata, et comperientes dictum Simonem Maternam fuisse a prefato Nemptz auctoritate nostra captum et ea, que dicti Conradus et Ludovicus, cives thorunenses, asserebant Joannem Nemptz et negasse et rationibus, literis et testimoniis diluisse, decrevimus et presentibus decernimus: eundem Joannem Nemptz in his, que sunt ei objecta, reum non esse et culpa vacare, et quidquid cum dicto Materna egit recte ac absque ullius injuria vel honoris detractione egisse, et propterea id, quod a dictis civibus thorunensibus est inculpatus, non debet illi et ejus bone fame posterisque ipsius quidquam nocere et obesse nunc et in posterum.

Quia vero predicti Conradus et Ludovicus, civ. thor. eam causam moverunt retuleruntque ad judicium nostrum tutandi et conservandi honoris sui causa ut quemque bonum et probum hominem decet, et dictus Joannes Nemptz coram nobis clare testatus est, contra illos se nihil mali scire eosque se pro bonis et bene in honore suo conservatis hominibus habere, quiaque illa omnia, que Simon Materna contra illos loqui et confiteri debuit, fuerunt rursus per ipsum aperte et sufficienter revocata, ut id clare literis et testimoniis apparuit, probamus hanc eorum pro fama et honore suo operam et inceptum, decernimus ac declaramus illos homines probos et in conditione sua bene ac honeste conservatos omniaque que contra illos sive a Joanne Nemptz sive Simone Materna dicta, confessa et divulgata fuerunt, esse inania, irrita et que nihil penitus illis et eorum bone fame, honori et existimationi posterisque ipsorum nocere nunc et in posterum debeant et possint.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Ceterum

MDXVII. *Ceterum quod ad reconventionem attinet, qua dictus Joannes Nemptz Ludovicum Engelhartt ratione quarundam injuriarum verbalium coram nobis judicialiter reconvenit, quia de iis ipse Nemptz nihil legitime docuit nosque per tantum temporis ad nos et judicium nostrum, ubi locus est actioni de fama et honore uniuscujusque subditi nostri, hanc rem detulit et verba, que dici debuerant, erant ea ratione dicta, quam nos presenti decreto nostro sustulimus: videlicet ob dicta, contestata Simonis Materne predicti, decrevimus eadem verba, si que talia fuerint, nullius esse momenti nihilque tam ipsi Joanni Nemptz, quam Ludovico Engelhartt eorumque ac posterorum ipsorum fame, honori et bone existimationi officere posse vel debere nunc et in perpetuum. Postremo literas, testimonia et dicta quecunque tam Simonis Materne quam partium predictarum contra se invicem producta cassamus, annullamus et in irritum ac inane omnia vertimus hoc decreto nostro mediante.*

Matrimonium Sigismundi regis Polonie et Bone Sphortie.

CCLXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Bonero.

Generose. Scripsit nobis Raphael ex curia cesaris: se adhuc in re, in qua missus illuc est, nullum responsum accepisse, sperare se tamen obtinere postulata nostra; verum utcunque res cedet, nos juvante dno. deo decrevimus jam conjugem ducere et longius non expectare, et proinde, ne ut prius tumultuarie nos paremus, volumus ut tempestive veniens laborari ad postam facias atlassi rubei, carmesini, brunatici de grano, albi et nigri de omni perfectione, cujuslibet istarum ad duas vestes pro nobis et una diploide; ad vestem quamlibet fieri oportet XXVIII. ulnas et ad diploidem sex itta ut cujuslibet atlassii ex quatuor predictis sint LXVIII. Item scarlatum perfectum etiam ad duas vestes tales amplas nobis ibidem Venetiis disponas. Item axamenti altembassi rubei boni et perfecti carmesini ibidem Venetiis pro una veste pariter disponas. Ceterum ab axamento, atlassio, adamasco cum auro singula et perfecta volumus ut etiam compares, nam, istis opus erit nobis ad multa. Item cures illius axamenti cum auro, quod ad sepulturam Serme. olim conjugis nostre accepimus, totidem ulnas et coloris ejusdem, quot prius erant omniaque ista celerius, ne in mora sint, provideas, curesque, ut ipse res sint ita perfecte et excellentes ut perfectiores et excellentiores esse non possint. Dat. Vilne.

MDXVII. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCLXXX. Erasmus, Eps. Plocensis, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. rex et dne., dne. gratiosissime. Post debitam sui et mentis obsquentissime commendationem. Habui et alias literas secretiores Serme. Mtis. vre., quibus mihi descripsit mentem cesaree Mtis. quantum ad rem uxoriam attinet et querit consilium: an conjunx querenda sit, et que inter duas per cesarem propositas. Dignissimum misterium est matrimonii vinculum, neque enim potest nisi sanctissimum esse, quod Deus instituit, religio tenuit semper, leges humane ac superne sanxerunt. Hoc unum enim ad productionem humani generis propagationemque legitimam nature inventum est, isto regna et civitates et omnes hominum status et pene mundus totus consistit. Quod ante oculos habens Licurgus, philosophus, apud Lacedemonios instituit, ut qui uxorem non ducerent, hi estate arcerentur a ludis et hieme nudi forum circuirent, et a senibus atheniensibus, qui uxoribus carebant, contemnebantur, et veteri lege sancitum est, ut crescant, alioqui genus humanum deficeret, si liberis creandis opera non daretur. Magnam insuper partem consolationis vir optimus ex bona uxore habere solet, dum sit idem pene quod ipse et in duobus corporibus unus est animus, unus consensus, eadem illi tristia, eadem jucunda, et vix alter potest esse in vita alio fido migrante, quorum jam partem teste experientia discere potuit vra. Mtas. Denique, qui uxorem non habet, domi non est, alio suspirat, denique non quidquam gratum

Cod. R.

MDXVII. tum est. Et nisi viri sapientes uxores duxissent, non essent in orbe terrarum tot excellentes reges, tot dignissimi principes et strenui milites, a quibus omnes respublice gubernantur, florent et manutenentur. Et ut ad privata descendam. Si non esset hujus sanctissimi matrimonii misterium, non haberemus vram. s. Mtem., ex qua regni hujus et multorum dominiorum salus dependet, non haberemus Ludovicum, in quo tot et tantorum regnorum felicitas consistit. Saluberrimum itaque consilium est cesaris, qui vram. Mtem. super hoc pulsat, in quo etiam singularis integritas et fidelis in eam amor denotari possunt. Debet merito suis in hoc persuasionibus acquiescere et causam uxoriam quantocius curare et eque tandem cum vita contendere, ut heredem nobis optatissimum relinquat, qui multarum discordiarum sementa cum tempore aboleret.

Augustus privigni sui filios, adhuc pueros, populo romano in publico spectaculo ostendit et hortatus est alios, ut eum in tam pulcherrimo fructu imitarentur: quandoquidem natura non amplius quam unum nobis patrem dare potest, uxor vero ut multorum pater efficiaris tribuit. Sed que inter duas propositas eligenda sit? hoc opus, hic labor est. Quia tamen in hac vita honor maxime cum utilitate attendi et queri solet — cetera sunt fabule — regium ego sanguinem, ut honori satisfiat, eligendum censeo eam, que Alphonsi, Aragonum regis, neptis est, neque virtute alteri cedere potest, que Bona re et nomine credi debet. — Conjunctio preterea cum alti gradus hominibus magis semper appetenda est, in quo plerumque major sapientia relucere consuevit. Ea vero, que ad commodum et utilitatem attinent: quamvis in historiis leguntur multi, qui dotem uxoribus dabant tantum, non accipiebant, sed dum ista matrimonii sint additamenda, jure etiam omnium gentium et equitate summa observata, majus commodum minori juste preferendum est. Ista enim septingenta milia cum his, que post matris obitum accedere debent, secum pro dote afferet, et sunt certiora illis, que per devolutionem Flandrie et Burgundie ducatuum sub magno dubio expectari deberent, cum duo supersint veri heredes, qui et alios ex se relinquent et iste successiones semper cum armorum strepitu queri solent. Etatem demum si recte metiri oporteat, et ista multo habilior est, que decimum nonum annum attigit, philosopho in politicis ita testante: puellam connubio aptam, cum octo supra decem annos impleverit, virum autem cum septem supra triginta superaverit. Et jacta est alea. De pulchritudine disputare nil necesse est. Solent enim omnes puelle italice, ut singulariter neapolitane decore ac venustate ceteris prestare, dummodo defectus aliqui in sanitate aut membris principalibus non ocultarentur, que omnia debent et possunt facile explorari. — Supplebunt reliqua fides, benivolentia et amor mutuus conjugalis, et dnus. Deus rem omnem diriget et felicitabit.

Si demum Viennam eundum erit, quemadmodum cesar optat, de hoc in proximis regni comitiis Mtas. vra. mutuis colloquiis et argumentis liberius consulet; quia tamen sub eo tempore cesaree Mti. respondendum erit, ut de voluntate Mtis. vre. certior reddatur, ego etiam Viennam eundum consulo, quo et impense nuptiarum minuentur et major necessitudo cum cesarea Mte. indies crescet et cum ordine Cruciferorum omnes differentie facilius fortasse inter solatia componi poterunt. Et roganda esset Mtas. cesarea, ut magistrum et primarios

rios ex Cruciferis ibidem advocet. Secretum autem hoc, ut mandat Mtas. vestra, apud me manebit. — MDXVII.

Cupio Mtem. vram. optime valere et feliciter regnare. Cujus clementie me commendo. Ex Mąkolin XIX Novembris.

CCLXXX. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Boner, Zuppario Cracoviensi.

Generose dne. amice charissime. — Et miror et valde doleo, quod diu litere provisionis ad preposituram S. Michaelis mihi ex Urbe non afferuntur, et volebam ego quidem, ut dnus. olim Gallus, custos cracoviensis, misisset proprium nuncium pro eisdem literis. Jam enim pluries sum expertus, quod negligenter ii, quibus negotia mea Rome committo, agere illa consueverunt, verum ille aliter fecit quam ego censebam et cupiebam, et ita circiter decem menses casdem ipsas literas expecto. Rogo plurimum vram. Dtionem. quando afferentur, det eas in manus dni. Bedlenski, scholastici cracoviensis. Ipse autem sciet quod facere ulterius in re mea debebit. Cod. B.

Quod scribit mihi vra. Dtio. non placere sibi, quod summa dotis est divisa et non integra simul regie Mti. exolvi debet, sciat, nos plurimum in hoc laborasse, ut tota dos una cum Illma. dna. Bona allata fuisset, verum nuncius, cum quo tractavimus, dnus. Chrisostomus, dixit, se non habere aliter in instructione sua, nisi ut in duobus annis medietas dotis reliqua exolveretur, nec Illmam. dnam. Isabellam, ducem, citius illam solvere posse. Quare ita ut fieri potuit conclusimus. Satis tamen multis penis obfirmavimus solutionem ejusdem dotis, ita ut non suspicemur aliquam difficultatem in ea solvenda et reddenda futuram.

Mitto literas obligationis consulibus cracoviensibus super summa X milium flor. quam mutuarunt pro conducendis stipendiariis in Russiam, et cum eis mandatum ad dnum. thesaurarium, ut eandem summam exolvat de publicis contributionibus.

Tria milia ducentos flor., quos vra. Dtio. dedit in mutuum dno. Janussio Swirczewski et Iwachno, thesaurario, Mtas. regia accepit ex thesauro et pecunia hujus ducatus pro aulicis et hac bellica expeditione sua. Quare vult Mtas. sua, et eam summam sibi ex proventibus zupparum recipiat et exolvat vra Dtio.

Literas quas optavit rmus. dnus archieps. gnesn. ad exequendam gratiam Jubilei, et quas vra. Dtio. habere voluit pro Iodoco suo et rebus per eum pro Mte. regia ex Venetiis adducendis, cum presentibus mitto.

Quod vero attinet ad prebendam sandomiriensem, que vacavit per mortem olim dni. Galli, custodis cracoviensis, Mtas. regia me instantissime et diligentissime petente consensit, ut cognitio de jure conferendi illius ita pendeat ad suum felicem in regnum adventum. Ita ut optavit rmus. dnus. eps. cracoviensis.

Tarde nimis res geritur contra Moscum. Fuit magna difficultas cum Stipendiariis ratione valoris hujus monete; interim vero dum cum eis tractamus, tempus melius et ad belligerandum aptius effluxit et supervenerunt frigora et continui imbres. Utcumque tamen est, Mtas.

MDXVII. Mtas. regia, missis prius oratoribus in Moscoviam ad tractandum de pace, cras mittet etiam illuc exercitum suum; sperat enim hostem suum facilius equas pacis conditiones susceptu-rum, cum cognoscet, se a Mte. sua bello urgeri.

Egre autem et cum magno difficultate consenserunt dni. Lithuani ad mittendum illuc oratores, tamen deferri in hoc placuit sententie et postulationi cesaree Mtis. Que cum mediatorem se posuit inter Mtem. regiam et illum ducem, non fuit visum honeste ejus voluntati et consilio non obtemperare. Prescripta tamen est formula oratoribus, ex qua discedere non poterunt.

Ceterum paucas vestes habeo pontificales, nam in his difficultatibus et impensis, quas extra regnum serviens facere continuo cogor, comparare illas mihi non potui. Cum vero quisque se ornare studebit ad nuptias regie Mtis. futuras, vellem, ut Iodocus, familiaris vre. Dtionis., mihi Venetiis quatuordecim ulnas satie venete de scarlatho pro pallio et caputio pontificali et XX. ulnas de athlassio nigro veneto meliori quod illic haberi poterit compararet. Pro una veste satie ulna una venditur tribus aureis et athlassii una ulna venditur uno aureo et aliquot marcellis. Mitto itaque pro satia emenda XL et pro athlassio XXX aureos. Spero autem, quod leviore pretio emi poterit athlassii nigri ulna quelibet quam uno aureo cum medio, misi tamen ut dixi ad illud XXX aureos. Nam si quid supererit, non dubito, quod non perdetur et mihi restituetur. Commendo me vre. Dtioni., que sit incolumis ac felix. Datum in Poloczko.

CCLXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Boner, Zuppario Burgravio et Procuratori magno Castri Cracoviensis.

Cod. R. Generose, fidelis dilecte. Ut nobis scripsisti designationem capelle ab architecto itidem ipse hic existens omnia nobis declaravit et placet nobis totum preter quod testitudinem illam ante fores ecclesie deponere vellet. Nam et confessiones ibi solite sunt fieri et homicide illuc introduci, et proinde nollemus, si diruet illum parietem ut rursum testudinem faciat. Hoc tamen fieri prius non poterit, quam nos istic constituemur et tunc coram omnia melius dimetiemur et designabimus.

Istos nuncios nostros, quos ad cesaream Mtem. et dominam ducem Bari mittimus, edocuimus, ut agerent summa diligentia, quo absque sponsalibus educeretur illma. dna. Bona, verum si aliter fieri non poterit, ut ea illic in loco contrahent. Pro quibus postulamus a te, ut annulum istic acquiras valore ducentorum aut trecentorum aureorum cum diamante aptum ad tam insigne negotium, et des mgco. Stanislao Ostrorog, cast. calissiensi. Si vero istic Cracovie talis qui valeret non reperiretur, scribas Venetias, ut illic eodem pretio emeretur et daretur ibidem prefato dno. castellano.

Ceterum ordines et Vienne et Venetiis, quo litere a nunciis nostris, quos ad cesaream Mtem. et illmam. dominam ducem Bari misimus, celerius per postas ad nos transferantur, quas tam ex curia cesaris quam ex Bari ad nos scribent.

Non

Non opus jam putamus profectionis istius generosi Viti, nuncii cesaree Mtis., qui istic est, in Moscoviam, quandoquidem a longo tempore illic est alter, Sigismundus ab Herbersteyn, et si quid fieri poterit, fiet per illum. Nam totum negotium in una summaria re pendet. Et nos jam cum exercitu ad fines proficiscimur jamque brevi conficietur id omne, quod fieri debet, et proinde revertetur domum et tu illi gratum nobis ejus adventum esse dices et eum ex hospitio redimes. MDXVII.

Quod tibi prius scripsimus, ut nobis disponeres axamentum rubeum, altembassum de carmesino pro una veste, volumus ut dispensas pro duabus.

Reliquum est, scripsit nobis mgcus. palatinus et capit. cracoviensis, castrum nostrum Nove civitatis Korczin egere magna reformatione. Quare volumus, ut tu cum eo aliquo tempore illuc descendas et revideas, que sunt ad reficiendum necessaria et nobis deinde una cum eo significetis. Datum Vilne.

CCLXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Christ. Ssidlovicio, Castel. et Capit. Cracoviensi, Regni Polonie Cancellario.

Mgce. sincere nobis dilecte. Postquam significavit nobis Raphael responsum cesaree Mtis. consiliumque de Illma. domina Bona, conclusimus rem cum illius matris nuncio domine ducis Isabelle, quem hic ea ratione a longo tempore tenuimus, et quia res ipsa tam longe producta nihil minus patitur quam moram propter tantum vie intervallum, confecimus hic articulos omnes, ita ut nihil restet, nisi illos firmare. Nam etiam mandatum ipse nuncius hic non habebat. Pro honestate itaque cesaree Mtis. detulimus totum conclusioni et determinationi illius, et quo res citius et firmius expediretur, misimus primum ad illius Mtem. demum illuc pro Illma. domina Bona eos oratores, quos in isto procinctu nostro bellico et temporis angustia mittere potuimus expeditiores, videlicet mgcum. Stanislaum Ostrorog, cast. calissiensem, et venerabilem Joannem Konarski, secretarium nostrum, quibus commisimus, ut omnia que a nobis in mandatis habent referant coram tua Ste. seriemque legationis, quam habituri sunt tam coram Mte. cesarea, quam Illma. dna. duce Bari illi ostendant, unde cognoscet, quod omnia ad conjunctionem nostram cum cesarea Mte. proficiscuntur. Que istos nuncios nostros, quo se quam celerius isthinc ex Cracovia expediant, hortetur. Cod. R.

Oratorem Turci expedivimus priusquam nobis dnus. episcopus vladislaviensis sententiam dominorum Hungarorum significavit, quandoquidem ita in conventu preterito piotrkoviensi faciendum censuistis. Alioquin nos arbitrio nostro aliter fecissemus, nisi id vereremur, quod alioquin vitare non possemus, ut non culparemur istic in regno tanquam parum consulte omnia ageremus. Non mittemus tamen Seczigniewski, donec audiemus: ipsum Turcum ex Asia in Constantinopolim rediisse. Itaque non opus est, ut se tam cito paret.

Ceterum nobis significavit Stas. tua de congressu, quem habere vellet cum ea dnus. epus. Quinqueecclesiensis. Nobis licet hec res suspecta fore videtur aliis dominis Hungaris et timemus,

MDXVII. timemus, ne aliqua major simultas inter eos oriatur, tamen non renuimus, ut cum eo congrediatur, quando velit.

Preterea de reformatione castri Nove civitatis, quod per Ozarowski nobis declaravit, volumus, ut aliquando cum Boner ad illud descendatis et revideatis, que sunt ad reficiendum necessaria, et nobis deinde significetis. Bene valeat Stas. tua. Datum Vilne.

CCLXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni Konarski, Archidiacono, Oratori e Lithuania in Poloniam, inde vero ad Cesarem ac ad Isabellam, Ducem, misso.

Cod. B. Venerabilis devote nobis dilecte. Post discessum tuum subierunt quedam alia preter hec, que tibi in mandatis dedimus istic in conventu agenda, quorum mittimus tibi instructionem, juxta quam ages ea cum aliis rebus diligenter pro gratia nostra.

CCLXXXV. Instructio a Sigismundo, Rege Polonie, data Stanislao de Ostrorog, Castellano Calissiensi, et Joanni Konarski, Archidiacono Crac. Secretario, Oratoribus in negotio matrimonii per Cesarem Maximilianum conficiendi.

Memoria cum Cesare agendorum.

Cod. B. Ut vigore mandati concludant dni. oratores apud cesaream Mtem. articulos scriptos, quando alia pars suum habebit mandatum.

Ut cesarea Mtas. efficeret, quod sponsa Mtis. regie applicaret Viennam pro die nativitatis Christi futuro, aut ad summum duabus hebdomatibus post. De traductione vero illius committendum prudentie et arbitrio illius cesaree Mtis. et postulationi domini Chrisostomi, nuncii dne. ducis Bari.

Ut ces. Mtas. agere et providere dignaretur via qua intelliget tutiore, quod bona hereditaria, que postea devolvi debent ad Illmam. dnam. Bonam, sint firma.

Quod Mtas. regia existens jam in procinctu itineris ad bellum et propter temporis ad tantum vie intervallum angustiam non potuit insigniori apparatu oratores mittere illuc in Bari causa contrahendi sponsalia et proinde ageret Mtas. cesarea, quo sponsalia non fierent nisi Vienne et si dubitaretur de Mte. regia, illius ces. Mtas. sponderet pro ea. Quod si aliter fieri non posset, propter rei certitudinem, dicendum, quod habeant facultatem ad sponsalia contrahenda.

Ut significaret ces. Mtas. Illme. dne. duci Isabelle, quod non relinqueret dne. Bone in regno Polonie nisi matronam unam et duas virgines. De viris vero, ut se Mtis. regie voluntati conformaret, quos illa et quot numero relinquere vellet.

Postremo,

Postremo, ut satagerent, quo se celerius a cesarea Mte. expedire possent et iter suum ita dirigere, ut in tempore munus hoc perficerent. MDXVII.

Memoria agendorum in Bari apud Isabellam, Ducem Barensem, in negotio matrimonii regii.

Dicendum erit de sponsalibus, ut Vienne res differretur. Itidem ut apud Mtem. cesaream fuerit dictum. Cod. B.

Pro sponsalibus vero ipsis, in quantum ibi fient, ordinabit dnus. Boner annulum, qui in desponsatione tradetur Illme. domine Bone.

Ut agerent juxta scriptos articulos, quo subditi et vasalli illius ducatus prestent juramentum Illme. dne. Bone, priusquam ex Bari discedat, et curarent videre privilegia et munimenta dne. ducis super illis dominiis et transsumpta illorum reciperent.

Ut agerent, quo mox post conclusionem rerum mitteretur hic Illma. dna. Bona, ut ad festum nativitatis domini applicare posset Viennam, ubi illam. Mtas. regia excipi solenniter faciet, nam intra ipsum festum nativitatis et carnisprivium deberent nuptie fieri.

Ut cum primum se a cesarea Mte. absolvent et quando res conficient, quo die discedent ab illa, significent Mti. regie, dentque et mittant literas Viennam ad vicedominum Austrie.

Itidem quando ex Bari solvent, premittant literas Venetias ad bancum Fuccarorum et describant veri similiter, quo tempore applicare possint Viennam, et de omnibus, que egerint, reddant Mtem. suam certiorem.

Si queretur de numero servorum, qui relinqui deberent in regno, dicant ut apud ces. Mtem.

Et si etiam queretur de profectione Illme. dne. Bone dicant: malle Mtem. regiam, ut persona sua transeat per terram et non per mare, tamen id committit Mtas. sua arbitrio et voluntati Illme. dne. ducis matris.

CCLXXXVI. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Joanni Konarski, Archidiacono.

Venerabilis dne. Mitto vobis instructionem aliarum rerum, que post vestrum discessum subierunt cum dominis in conventu agenda, quas rogo diligenter cum aliis transigatis. Et memineritis, vos aliam personam in obeundis regiis mandatis sustinere debere quam in privatis negotiis. Nihil hic hesitandum, utrum aliquem offendat, vel juvet, placeat alieni vel displiceat sermo vester, sed directe regiis jussis et voluntati insistendum. Quod non ideo scribo, ut dubitem in fide et animo vestro; sed vos ut novum regium nuncium et eum, quem multum amo, admonere volui. Valete feliciter et me istic dominis meis commendetis. Cod. B.

 ADDENDUM

Addendum ad instructionem datam Ostrorogo et Conarski euntibus ad Cesarem ac ad Barum.

MDXVII. Cod. R. Agende cesaree Mti. amplissime gratie de hac cura et studio illius ad pacem inter Mtem. regiam et hostem ejus ducem Moscovie faciendam, quodque ob eam rem Mtas. illius tot nuncios ad eundem hostem mittere non gravatur.

Deinde referendum illius Mti., quod dux Moscovie noluit amplecti ullas conditiones, que fuerunt illi per dnum. Sigismundum nomine illius cesaree Mtis. proposite, nisi ut ad se nuncii mitterentur. Quodque Mtas. regia suasu et intuitu illius Mtis. cesaree significavit illuc in Moscoviam ad dnum. Sigismundum pro salvo conductu suis nunciis, verum nescire adhuc illius Mtem., utrum illos mittet nec ne, recusantibus id valde dominis Lithuanis et non credentibus salvo conductui illius, per quem etiam jusjurandum violari solet. Utcunque tamen res cesserit, quod Mtas. sua faciet illius cesaream Celsitudinem certiorem.

CCLXXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Maximiliano, Cesari.

Cod. R. Serenissime princeps et domine. Mittimus ad Mtem. vram. ces. mgcum. Stanislaum de Ostrorog, cast. calissiensem, consiliarium nostrum sincere nobis dilectum, et venerabilem Joannem de Konari, protonotarium apostolicum et archidiaconum cracoviensem, secretarium nostrum fidelem dilectum, quibus commisimus nonnulla apud eandem Mtem. vestram ces. agere et conferre cum illa nostro nomine. Quorum effectum et conclusionem pro nostra in Mtem. vram. observantia ejus auctoritati deferimus. — Quare rogamus eandem Mtem. vram.: ut ipsis oratoribus nostris fidem omnem adhibere et eos, cum res ita exigat, celerius absolvere dignetur, factura rem sua erga nos benivolentia et amore dignam et nobis eque multo gratam atque necessariam. Commendamus nos ex animo eidem Mti. vre., quam ad multos annos sanam, sospitem et victoriosam esse cupimus. Datum Vilne.

CCLXXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni, Pape decimo.

Cod. R. Beatissime pater. Commisi hisce oratoribus meis, quos in negotio matrimonii mei isthuc in Italiam misi, discedere ad vram. Sctem. illamque et invisere deoscularique ejus beatos pedes et nonnulla meo nomine referre. Supplico eidem vre. Scti.: ut ipsos oratores benigne audire meumque istud connubium sub benedictione approbare et fortunare dignetur. Cujus gratie me et regnum dominiaque mea commendo et ad vota devoveo.

CCLXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Isabelle Sphortie, Duci Barensi.

Illrma. princeps et domina tanquam soror nostra charissima. Mittimus ad vestram Illtem. mgcum. Stanislaum de Ostrorog, castell. calissiensem, et venerabilem Joannem de Konari, archidiaconum cracoviensem, secretarium nostrum fidelem dilectum, quibus commisimus nonnulla cum vestra Illte. nostro nomine ad vinculum et conjunctionem nostram mutuam pertinentia agere et tractare. Postulamus igitur ab illa, ut eisdem oratoribus nostris plenam fidem in omnibus, que retulerint tractarintque, tanquam nobis ipsis adhibere velit. — Valeat felicissime et nos diligat. MDXVII. Cod. R.

CCXC. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Cesarem Maximilianum, data Stanislao Ostrorog, Castell. Calissiensi, et Joanni Konarski, Archidiacono Cracoviensi, Secretario regio, oratoribus.

Sacra cesarea Mtas. Proficiscens dudum in Moscoviam orator vre. Celsitudinis dnus. Sigismundus de Herbersteyn et idem mandata ejusdem apud Sermum. dnum. nostrum obiens retulerat inter cetera, quomodo nonnulle cause et impedimenta intercesserint, propter que non potuerit vra. Mtas. eidem Sermo. dno. nostro Illmam. principem dominam Leonoram, neptem suam, ita ut animo destinaverat proposueratque illius Mti. in matrimonium conciliare, fuitque hortatus et suasit nomine vre. Celsitudinis, ut ad alteram, videlicet Illmam. dnam. Bonam, principem Bari ducendam illius Mtas. animum induceret, declarans id connubium non minus etiam cordi vre. Amplitudini cesaree et illius Mti. emolumento et honestati futurum, cum multas alias ob res tum necessitudine vre. ces. Mtis., que illi cum dicta Illma. dna. Bona intercedit. Propter quod misisse Mtem. vram. una cum eo secretarium et nuncium Illme. domine Isabelle, matris illius, dominum Chrisostomum, ut per eum illius Mtas. clarius omnibus certior fieri posset. Cod. R.

Et quia in ipso matrimonii negotio expediverat prius Mtas. sua adversus Celsitudinem vestram dnum. Raphaelem de Lesszno et propositum suum institutumque animi sui illi significaverat, retinuit hactenus apud se istum dnum. Chrisostomum et vre. Mti. nihil respondendum agendumve putavit, donec ab oratore suo, quid ab illa responsi haberet edoceretur.

Tandem vero, cum Mtas. sua fuit ab eodem oratore suo certior facta, ipsam vram. Celsitudinem iterum presente illo coram, per id omne tempus incubuisse, ut postulationi Mtis. illius satisfecisset, nihilque studii et opere pretermisisse, tamen quibusdam de causis et impedimentis, que intervenerunt, non potuisse rem ad optatum finem perduci, hortarique iterum et postulare vram. cesaream Celsitudinem, ut illius Mtas. Illmam. dominam Bonam acciperet, remque in tempore confici curaret propter homines studia vre. Mtis. impedientes,

MDXVII. tes, Serma. illius Mtas. alioquin id super omnia desiderans, ne in ipso matrimonii negotio diutius penderet, e vestigio nos expedire dignata est ad vestram Amplitudinem cesaream cum eo apparatu, qui in ipso procinctu bellico et festinatione opportuna fieri potuit. Cui imprimis eas, quas majores potest, et agit et habet gratias de hac ejus in se constanti affectione et amore fraterno, quo dignetur tanta sollicitudine et studio cum de hoc ipso matrimonii negotio, tum aliis omnibus agere et curare id omne, quod illius Mtis. rationibus et honori congruere et expedire videtur, vultque et pollicetur illius Mtas. hec tanta in se vre. Celsitudinis officia vicissim omni benivolentia, studio et observantia fraterna, quoad vita et facultas suppetet vestre Mti. tanquam fratri suo majori semper referre et demereri, speratque illius Mtas., quod quemadmodum hoc connubium ratione concupitum, ut eo vinculo major arctiorque inter ambas Mtes. vras. benivolentia et necessitudo intercederet, sic postquam per utriusque voluntatem non stetit, quum ita factum fuisset, nihil hec res huic accessioni, que fieri debuit, dempsisse videbitur.

Ceterum quia illius Mtas. ita jam pridem secum statuit, ut ne transversum quidem digitum discedat ab animo et voluntate vre. Celsitudinis in ejusque arbitrio et consilio tota conquiescit, intelligens hoc illius desiderium et sententiam, ut Illmam. dnam. Bonam in matrimonium duceret, quamvis illam nemo subditorum Mtis. sue viderit compertumque de illa quoque habuerit, tamen soli commendationi vestre Celsitudinis innitens, acceptat ejus consilium et quod felix faustumque sit ac fortunatum, eandem Illmam. dnam. Bonam sibi conjugem deligit. Sperans, quod vra. Celsitudo id illi minime consuleret censeretque faciendum, nisi intelligeret, hac affinitate non vulgarem accessionem cum ad conjunctionem mutuam vrarum. Mtum. tum etiam rationes et decorem tam illius Mtis. quam regni et dominiorum suorum futuram.

Jamque illius Mtas., tractata et condicta re, cum ipso hoc dno. Chrisostomo, totam conclusioni et determinationi vre. Celsitudinis defert et committit, rogans eandem: dignetur agere et efficere, quo, amputata omni supervacanea mora, dicta Illma. domina Bona mittatur ad Viennam, ubi illam Mtas. sua sine multa difficultate per oratores suos solennes excipere et domum traducere ad se posset. Factura vra. ces. Mtas. rem sua benivolentia et humanitate dignam, qua illius regiam Mtem. sibi et rebus suis reddet perpetuo divinctissimam.

CCXCI. Oratio, data oratoribus a rege, dicenda, ad Isabellam, viduam Ducem Barensem, in postulata Bona, filia ejus, in matrimonium Sigismundo, Regi Polonie.

Andr. Cricius fecit.

Cod. B. Maluissem ego, Illma. princeps, maluissem profecto, ut Sermus. et invictissimus dnus. noster rex alicui alteri vel ex senatu vel ex aula sua amplissima munus id referendi mandata sua coram tua Illte. injunxisset, quam mihi. Negotii enim hujus, de quo verba facturus sum, magnitudo et sublimitas maturius ingenium et majorem dicendi facultatem exposcebat.

poscebat. Quo fit, ut plurimum verear, ne, jejuna mea oratione id exequens, aliquid de rei dignitate dempsisse videar. Verum cum sors et eventus ita tulit, ut absente quam longissime a regno suo ipso Sermo. rege, dno. nostro, constitutoque in medio belli estu, inciderit hoc faustissimum negotium, nihilque minus patiebatur quam moram et cunctationem propter temporis ad tanta locorum intervalla angustiam, visum fuit illius Mti. Serme., postposito ad eam rem opportuno apparatu, nos ex procinctu suo bellico tanquam expeditiores mittere et mihi hoc dicendi onus imponere. Quare exponam, Illma. princeps, fretus humanitate et benignitate tua, nuda et simplici oratione rem ipsam, que alioqui per semet clara est et illustris, ut si eam verbis ampliare vellem, soli, ut dicitur, lumen addere viderer. MDXVII.

Ab eo tempore, quo sublata fuit ab humanis Serma. domina regina Barbara, conjunx Mtis. domini nostri clementissimi, fuit Mtas. illius Serma. cum per summum pontificem et cesaream Mtem., tum per consiliarios et subditos suos crebro cohortata, ut, quia id maxime ex usu esset non solum regno et dominiis suis, sed etiam universe reipublice christiane non vulgari commodo, animum ad secundas nuptias inducere dignaretur, Mtas. sua Serma. affecta tunc partim gemino dolore tam conjugis charissime quam concordissimi fratris Sermi. dni. Vladislai, Hungarie et Bohemie regis, obitu, partim etiam tumultu et inquietudine bellica non potuit longo tempore ad eam contrariam cogitationem mentem suam flectere, verum cum modo subditi Mtis. sue, modo ces. Mtas. identidem de ea re instarent, proponereturque Mti. sue ab illius cesarea Celsitudine inter alias Illma. domina Bona, filia vre. Illtis., quam cum alias sepe per literas et nuncios suos, tum novissime per dnum. Sigismundum de Herbersteyn, oratorem suum, commendavit et suasit Mti. sue ducendam, ac ob eam etiam rem dnum. Chrisostomum, nuncium vre. Illtis., illuc venire voluit, Mtas. sua Serma. retinuerat eum apud se tantisper, donec orator suus, quem pridem ad illius cesaream Mtem. in ipso matrimonii negotio miserat, rediret. Qui licet nondum etiam reversus fuerat et satius existimavit illum Mtas. sua regia prestolari, tamen accepta jam ob illo sententia et consilio cesareo tempusque instabat, quo Mtas. sua recensere debuit exercitus suos et progredi adversus hostem, retinendum diutius ipsum dnum. Chrisostomum non putavit, nosque cum ea significatione ad vram. Illtem. mittere unacum illo voluit. Quod postquam Mtas. sua Serma. compertam habet sententiam cesaree Celsitudinis, in cujus integra fide, benivolentia et amore fraterno tota conquiescit, cumque, quod precipuum est, Mtas. sua sacra intellexit, Illmam. dnam. Bonam, filiam vre. Illtis., preter generis amplam et regiam dignitatem esse etiam singulari virtute morumque honestate ac aliis egregiis et preclaris tam corporis quam animi dotibus preditam, acceptavit consilium illius ces. Mtis. et quod felix, faustum ac fortunatum sit, ipsam Illmam. dominam Bonam sibi in conjugem pre ceteris eligit et poscit. Deditque nobis illius Mtas. regia amplam et plenariam potestatem concludendi et conficiendi primum apud ces. Mtem. demum vestram Illtem. hoc negotium; sperans et optans a dno. deo, cujus providentia ac ordinatione, cum relique res mortalium, tum precipue connubia fiunt et disponuntur, futurum id matrimonium charum imprimis ejus sue s. Mti. demum regno et dominiis suis ac universe denique reipublice christiane proficuum et salutare. Et quia, Illma. virgo — ad te enim mihi sermo est convertendus — inquit Lepidus poëta: si qua voles apte nubere, nube pari, scin ad istam tuam generis cla-

 ram

MDXVII. ram et regiam dignitatem regiasque et raras inter mortales dotes, qualem tibi maritum fata conciliant? quanta sceptra porrigant? Posceris ad regnum, quod sua amplitudine et gloria sua rerum omnium et virorum copia nulli cedit; in quo nobilitas, fides et fortitudo singularis viget, et proinde principatus stabilis nulli fortune tempestati obnoxius; posceris in complexum, in consuetudinem perpetuam ab eo principe, in quo quidquid boni a natura, a fortuna a superis dari potest mortalibus, in eo totum est et eximium et cumulatissimum. Est heroica corporis proceritas, est forme tum dignitas, tum gratia, robur membrorum, status et habitudinis majestas, ingenium, prudentia, gravitas et magnitudo animi admirabilis. In natalium splendore sunt tot clarissimi majores illius reges, tot imperatores affines, tanta heroum et principum propinquitas.

Sunt preterea tot res immortales ab eo geste, tot acti de finitimis et potentissimis ecclesie dei hostibus triumphi, est denique in tam magnanimo et invicto principe singularis cum erga omnes, tum — quod maxime tua refert — erga conjugem amor, mansuetudo et honestas, ut ea nulla dicendi vi, nulla verborum ubertate complecti possint.

Quare, o felix virgo, tantum sortita maritum, amplectere feliciter hanc sortem tuam clarissimam et progredere ad faustos et destinatos tibi thalamos, ad decus regium preparatum, evum in eo longum et jucundum actura.

Quod reliquum est, deus optimus, maximus, qui hoc tam faustum, tam excelsum, tam omni ex parte congruum disponere et ordinare voluit connubium, illud fovere, illustrare et promovere ad summum dignetur pro gloria nominis sui et rei christiane incremento. Et quod in omnium est votis, brevi ea prole coherede decoret, augeat et stabilitet, qui referat tales vultu et virtute parentes devictumque suis teneat sub legibus orbem.

Dixi.

CCXCII. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Ostrorog, Joanni Konarski, Oratoribus.

Cod. B. Mgce. et venerabilis sincere et devote nobis dilecte. Si visum fuerit domine duci Barensi, ut per Urbem Illma. sponsa nostra iter faciat, vos ad summum pontificem descendetis literasque credentiales, quas vobis mittimus, offerentes dicetis: nos vobis commisisse ejus Sctem. invisere pedesque deosculari, deinde referetis, qualiter de matrimonio nostro constituerimus, et quod id prius facere non potuimus, ut Sctem. suam certiorem fecissemus, donec per vos de illo esset cum cesarea Mte. conclusum ad quam totum hoc negotium rejeceramus, quod subito nobis in medio belli estu inciderat. Petitis postremo, ut ipsum connubium Sctas. sua cordi habere illudque sua benedictione faustum facere velit, offerentes illius Scti. et ejus ss. sedi regnum, dominia, opes et omnes facultates nostras.

Ceterum gratum est nobis, quod negotium ex sententia nostra et tempori apud ces. Mtem. confecistis, quare ut que reliqua sunt celerius et pro dignitate nostra perficiatis curetis.

De servis etiam et aliis rebus, quas in commissis habetis, ita statuatis, ne quid cum impetitione et contra animi nostri sententiam fiat, nam nos jam illos servos, qui nobis et Serti. sue congruere videntur, deligemus. Datum.

CCXCIII. SIGISM.

CCXCIII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni Polonie. Joanni de Lubrancz, Epo Posnauiensi, Erasmo, Epo. Plocensi, Luce de Gorka, Cast. Posn. et Capit. Maj. Polonie generali, Christophoro de Schidlowyecz, Pal. et Cap. Cracoviensi, Regni Cancellario.

Rev. in Christo pater. Mgce. sincere nobis dilecte. Quemadmodum scripseramus jampridem vre. Mgcie. cesaream Mtem. nobis in connubium duas clarissimas virgines proposuisse, et fuit visum consultius majori parti eorum consiliariorum, cum quibus hanc rem ita ut cum vra. Mgcia. communicaveramus, ut neptem illius ces. Mtis. eligeremus, expediveramus ad illius Mtem. oratorem nostrum, generosum Raphaelem de Lesszno, capitaneum slochoviensem, per quem voluntatem nostram illi declaravimus postulantes, ut efficere curaret ejus Mtas., quo ipsa neptis sua nobis in matrimonium collocaretur. Post cujus quidem Raphaelis abitum, licet illius cesarea Mtas. primum per literas suas, demum etiam per oratorem, quem ad nos et ducem Moscovie misit, significaverat nobis, contravenire sibi proceres regni Hispanie et Burgundie de nepte sua nobis locanda propter debilem valetudinem fratrum ejus et successionem eorum regnorum et dominiorum, que in illam tanquam majorem natu cadere possent, suadebatque illius Mtas., ut alteram, videlicet Illmam. dnam. Bonam, principem Bari acciperemus, non minus quidem quam illam dignitati nostre convenientem, ut que esset sue Mti. et Sermo. regi Gallorum propinqua, haberet majores suos paternos clarissimos Mediolani duces, maternos vero Arragonie et Apulie reges, quodque id connubium eque cordi esset Mti. sue atque ubi cum nepte sua initum esset. Verum nos, antequam per oratorem nostrum edoceremur, nihil Mti. sue respondere et constituere aliud in hac re voluimus, postquam vero ab illo fuimus denique certiores facti, illius ces. Mtem. ipso presente adhuc coram cum nepotibus suis summo studio egisse, quod postulatis nostris satisfactum esset, nec tamen ob causas predictas rem efficere potuisse, hortarique iterum nos, ut dictam Illmam. dnam. Bonam acciperemus remque tempori confici curaremus propter regem Gallie, qui eam alteri cuidam principi conciliare studeret, ac alios proceres illam petentes; et ut nuncios nostros ad suam Mtem. pro conclusione totius rei, cujus plenam potestatem haberet, mitteremus, animum ad eam ipsam Illmam. dnam. Bonam appulimus, ac illam, quod felix faustumque sit, nobis in conjugem delegimus, tractatusque necessarios super hac re cum oratore matris ejus, domine ducis Barensis, fecimus, qui missus a cesarea Mte. et illa hic longo tempore responsum ejus rei a nobis expectavit, quandoquidem non defuerunt aliqui ex consiliariis nostris, qui adhuc ab initio ipsam Illmam. dnam. Bonam eligendam censebant, sumusque a fidis nostris edocti, illam, dempto hoc solo cesaree neptis nomine, in reliquis omnibus prestare. Nam quod ad viciniam attinet, propter quam illa alia magis expedire videretur, satis documento sunt nostre vicine necessitudines, quam nobis et regno nostro ad utilitatem cesserunt. — Quia vero negotium hoc nimis fuit remoratum, tarda responsione cesaree Mtis. Raphaeli data, veriti, ne ulteriore cunctatione rem inficeremus eamque negligeremus, qua dempta, MDXVII. Cod. R.

MDXVII. dempta, nullam nunc aliam videremus, quam cum nostra et regni dignitate ducere deberemus, coacti sumus jam in ipso procinctu nostro bellico eam deliberationem facere, et oratores ut fieri per festinationem potuit in ea re mittere, qui primum apud cesaream Mtem. demum Barii negotium totum juxta tractatus ac articulos jam hic cum predicto oratore domine ducis Barensis factos determinarent et conficerent, sponsaliaque, si aliter fieri non posset, illic in loco contraherent nomine nostro, et ipsam Illmam. dnam. Bonam Viennam circiter initium Januarii adducerent, ubi illam deinde per solennes oratores nostros excipi et traduci ad nos faceremus. Alioquin hoc anno res nullo modo ad effectum perduci potuisset et ii, qui indignis modis connubium nostrum interturbant, majorem ansam texendi et officiendi ceptis nostris habeant.

Misimus autem mgcum. Stanislaum de Ostrorog, castell. calissiensem et venerabilem Joannem Konarski, archidiaconum cracoviensem, secretarium nostrum, qui nobis in ea festinatione, ad tantum itineris spatium magis idonei et expediti esse videbantur. Quod significare Pti. vre. voluimus, ut non ignoret, qualiter a nobis in ipso matrimonii negotio constitutum sit, et quod nos inter inquietudines et curas nostras bellicas agere et cogitare non pretermittimus, quo votis subditorum nostrorum de ducenda uxore ac herede relinquendo satisfaciamus. Postquam vero per ipsos oratores nostros edocebimur, qualiter ab illis ea, que reliqua sunt, conficientur, reddemus Ptem. vram. certiorem. Que interim parare et ornare se curet, quantum potest, seque itineri accingat. Nos enim cognitam habentes ejus erga nos et res nostras fidem et affectum, mittere illam ad ipsum iter Viennense una cum aliis dominis constituimus. Que bene valeat.

CCXCIV. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Miramur vehementer, quod tam diu nihil nobis nuncii nostri ex Neapoli significant. Negligitur hec res tota, ut prorsus nescimus, quid facere debeamus. Invitare enim hospites, non habita certa illinc scientia, non licet, et iterum sero invitare, levitas et rediculum. Quare sumus valde perplexi et anxii, postulamusque a tua Ste., ut cum primum litere illinc pervenerint, ad nos eas sine ulla mora mitti faciat. Volumus vero, ut jam Illme. filie nostre Cracoviam deducantur et in domo illic designata collocentur. Quod tua Stas. disponat. Et bene valeat.

CCXCV. Stanislaus de Ostrorog, Cast. Calissiensis, Jo. Konarski, Archidiaconus Cracov. Oratores, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serme. et invictissime princeps et dne., dne. clementissime. Post servitiorum nostrorum in gratiam Mtis. vre. commendationem. Postquam a Mte. vra. discessimus, nihil nobis magis cure

cure fuit, quam ut iter nostrum ea celeritate conficeremus, qua negotii nobis per Mtem. vram. concrediti ratio expostulabat. Die igitur dominica XIII Septembris Viennam venimus. Premiseramus autem eo ex Nikielsburg, qui nobis de hospitiis prospiceret, dederamusque literas ad dnum. Nicolaum Cikler, secretarium, quem rebamur esse Vienne, rogantes: ut de adventu nostro Mtem. cesaream, que duobus a Vienna miliariis venationis gratia abesse dicebatur, redderet certiorem. Cum primum autem servitores nostri Viennam pervenerunt, neque illic dnum. Nicolaum Cikler invenissent, uti illis a nobis negotium datum fuerat, adiverunt dnum. Mrakiesch. Qui audiens, nos adventare, mira quadam celeritate in curru „Coczi“ ad Mtem. cesaream contendit eamque de nostro adventu reddidit certiorem. Datum ergo continuo negotium, ut nobis officii gratia obviam prodiretur. MDXVII.

Appropinquantibus igitur nobis Viennam, venerunt nobis obvii ultra pontem majorem Danubii duo insignes viri, videl. dnus. Albertus de Wolfstayn, magister curie et idem unus de regimento Austrie, et quidam doctor, advocatus camere Mtis., qui nos illius Mtis. nomine exceperunt et deduxerunt Viennam, jusseruntque postero die Vienne subsistere, ut daretur spatium Mti. cesaree se ex venationis loco in Novam civitatem recipiendi.

Tandem die Martis XV Septembris Vienna discessimus mane, pervenimusque in Novam civitatem eadem die comitante nos ex mandato cesaris assidue et per totum illud iter cum numero X equorum armatorum altero ex illis, qui nobis pridie ultra pontem obvii venerant. Is est, ut superius diximus, miles grandevus de regimento Austrie et a XXXV annis servitor Majestatis cesaree.

Non modico ante Novam civitatem spatio ecce alii tres Mtis. ces. consiliarii nobis venerunt obviam, videlicet rev. dnus. epus. Tergestinus, Dr. Paulus, prepositus viennensis, et quidam miles, capitaneus Nove civitatis. Hi ubi nos iterum ces. Mtis. nomine excepissent, dixerunt: Mtem. suam nos summo cum desiderio expectare, gratumque illi fore, si eadem ipsa die, qua venimus, legationis nostre munus obivissemus, alioquin futurum, ut Mtas. sua in crastino venatum proficiscens ante vesperam non rediret. Nos qui sciebamus, nihil nobis magis vitandum esse quam moram, occasionem hanc tanquam e celo oblatam accepimus et hora fortasse XXII. ad Mtem. suam in arcem Nove civitatis deducti mandata Serme. Mtis. vre. exposuimus.

Intrantibus nobis assurrexit cesar et passus aliquot processit obviam, dicentibus autem sepe manu annuit, ut sederemus atque tectis capitibus diceremus.

Dixi ego, Joannes Konarski, prior stans: Serme. mi domine, salutationem. Inquisivi de salute et felici statu et de eo sum vestre Mtis. nomine cesaree Celsitudini gratulatus, obtuli pro statu et obsequio Mtis. sue opes, fortunas, regnum et dominia Mtis. vre. Respondit rev. dnus. Tergestinus Mtis. ces. nomine humanissime, et ultra ea, que in ejusmodi negotio accommodate dici poterant, tota illa responsione declarabat summum quendam amorem et benivolentiam fraternam Mtis. ces. in Mtem. vram. Exhibitis tandem et lectis credentie literis et restricto auditorum numero, ubi jussu ces. Mtis. consedimus, dixit legationem mgcus. Calissiensis, collega meus, ea facundia et decore, ut omnes tantam vim dicendi in homine militari admirarentur palamque dicerent: nullum esse militem in Austria, qui tantum latino eloquio polleret.

 Responsum

MDXVII. Responsum est iterum ad omnem legationem per rev. dnum. Tergestinum non multis verbis. Summa responsi hec est, ut diceret: licet sacra Mtas. cesarea nunquam dubitaverit in amore et benivolentia fraterna Mtis. vre., gratissimum tamen illi esse, quod vra. Mtas. hanc benivolentiam hoc fausto connubio declarat, quodque reginam sibi diligit Illmam. dominam Bonam, quam ces. Mtas. habet charissimam et consanguineam futurumque procul dubio, ut hoc fausto connubio non parum accessionis fieret ad veterem illum et constantem amorem et benivolentiam fraternam inter Mtes. vestras.

Egimus postremo gratias de hac cura et studio illius ad pacem inter Mtem. vram. et hostem ejus, ducem Moscovie, componendam; quandoquidem ob eam rem Mtas. sua ces. tot nuncios ad eundem hostem mittere non gravatur. Retulimus deinde Mti. sue, quod dux Moscovie noluit amplecti ullas conditiones, que fuerunt illi per dnum. Sigismundum nomine vre. Mtis. proposite, nisi ad se nuncii mitterentur. Quamquam Mtas. vra. suasu et intuitu sue Mtis. cesaree significavit illic in Moscoviam pro salvo conductu suis nunciis, verum nescire adhuc vram. Mtem., utrum illos mittet nec ne, recusantibus id valde dominis Lithuanis et non credentibus salvo conductui illius, per quem jusjurandum violari solet. Utcumque tamen res cesserit, quod Mtas. vra. faciet illius cesaream Mtem. certiorem. Et hec de Mosco propius accedentes et nemine alio, quam cesare et dno. Tergestino audiente, retulimus.

Respondit Mtas. sua similiter submissa voce pene sub hoc verborum serie: Mirari sese, ajebat, quod Moscus sit adeo dure cervicis et ideo missurum propediem alium suum ad Majestatem vram. oratorem, qui subinde ad Moscum proficiscatur et eum, quam maxime poterit, ad pacem urgeat. Habiturum autem dictum oratorem etiam credentiam et mandata ad magistrum Prussie et ejus subditos, quos sua Mtas. cesarea in armis esse intellexisset, ut omnino ab armis recedant et bone paci studeant ac quietem agant. Quodque eo oratore uti poterit Mtas. vra. arbitratu suo, sive ad Moscum, sive ad magistrum Prussie eum mittendum duxerit, habiturum eum tam ad hunc quam ad illum sufficientem instructionem et credentie literas a cesarea Mte.

Nos respondimus uti antea agentes sue Mti. ces. gratias, deinde declarantes: Mti. vre. futurum gratissimum quidquid sua Mtas. cesarea pro ejus commodo et quiete facere dignabitur.

Jussit tandem Mtas. sua, sibi exhiberi articulos legationis nostre descriptos. Quod statim fecimus, habebamus enim eos in promptu, suspicantes, quod a nobis peti deberent.

Tandem quia crepusculum et cena Mtis. sue instabat, jussi sumus reliquas actiones in aliud tempus differre. Quod etiam tunc facere oportuit, quia dnus. Chrisostomus nondum habebat mandatum. Et ita accepta bona venia, reducti sumus ad hospitium, quod una habebamus cura ces. Mtis. honorificentissimum.

Quemadmodum autem feliciter nobiscum actum erat, quod hic ces. Mtem. invenimus, ita hec unica molestia mirifice profecto nos angebat, quod mandatum Illme. dne. ducis dno. Chrisostomo nondum missum fuerat. Que res omnia vota tardabat, et ces. Mtas. procul dubio celeri expeditioni nostre, si mandatum adfuisset, ob cujus absentiam aliquot insomnes noctes duximus, cogitantes temporis angustiam et natalis Domini proximitatem, pro qua die jussi sumus adesse Vienne.

Tandem

Tandem die sabbati XIX Septembris vesperi allatum est mandatum ab Illma. domina duce sufficientissimum, cujus copias diligenter auscultatas mittimus vre. Mti., originale ipsi, deo duce, allaturi. Lator mandati fuit Hispanus quidam, servitor Illme. domine ducis, qui in XVIII diebus venit ex Bari. MDXVII.

Fecit nostro nomine dnus. Mrakiesch pene eadem hora, qua mandatum venerat, Mtem. cesaream certiorem, mandatum advenisse ex Bari, Mtas. vero sua jussit sibi dari exemplar tractatuum matrimonii. Quod exscriptum per dictum dnum. Mrakiesch misimus.

Die dominica XX Septbris. hora IV. post meridiem deducti sumus ad Mtem. cesaream et ante omnia, uti antea feceramus, exponentes mandata et postea per dnum. Mrakiesch, ita etiam tunc rogavimus, ut bona hereditaria manerent salva Illme. dne. Bone post obitum matris.

Respondit sua Mtas. quod quantum ad bona hereditaria attineret de successione nullam dubietatem futuram. Et hoc nobis pollicita est verbo suo cesareo, quandoquidem bona ipsa sint patrimonialia Illme. dne. Bone et non materna. Et ideo curaturam Mtem. suam cesaream, ut dicta hereditas, etiam invita matre, ad filiam post obitum matris, uti debet, perveniat. Effecturamque, ne rex Sicilie patiatur, ut mater quidquam alienare possit, immo dixit sua cesarea Mtas.: si rex Sicilie, nepos ac filius noster, nobis ipsis dicta bona dare vellet, nos nullo pacto ea acciperemus, sed curaremus omni fide, ut ad Illmam. dominam Bonam et ejus stirpem pervenirent, que ipsorum est vera, legitima et unica heres. Dixit tamen: non videri Mti. sue, quod propter varios rerum humanarum eventus quidquam velit pro Illma. dna. duce Mti. vre. scripto promittere, presertim quando ipsa dna. dux sit in dominio alieno, effecturam tamen omnino, quod Sermus. dnus. rex Hispanie, filius et nepos Mtis. sue, etiam denuo nova privilegia det Illme. dne. duci licet jam dederit amplissima, quod dominium post ejus obitum cedat filie. Idque Mtem. suam ces. unacum nepote rege Hispanie et Sicilie omni fide et diligentia curaturam et omnino effecturam.

Credimus omnino, Serme. dne., quod ces. Mtas. sinceriter sese gerat cum Mte. vra. quodque ejus commodis mirifice faveat, et quantum in ea et in nepote est enitetur, ut omnia promissa suum sortiantur effectum. Cupit etiam summo studio, ut matrimonium hoc celerius consumetur.

Eadem die et hora, videlicet XX Septbris. IV. hora p. m., produximus utrinque mandata et primum dnus. Chrisostomus nomine Illme. here sue, tandem etiam nos sacre Mtis. vre. nomine ratificavimus et approbavimus ac conclusimus, que super matrimonio sunt tractata. Mtas. sua tanquam supremus tutor et patronus Illme. dne. Bone et frater et consanguineus Mtis. vestre et conciliator et autor hujus sacri connubii omnia confirmavit approbavit etiam et literas patentes desuper decrevit. Quarum exemplar Mti. vre. mittimus, literas ipsi allaturi.

Hoc peracto apta quadam verborum formula, Mtis. vre. nomine invitavimus Mtem. suam, ut presentia sua cesarea nuptias s. Mtis. vre. decorare dignaretur. Respondit sua Mtas.: obortas sibi nonnullas difficultates in partibus inferioribus, quarum componendarum gratia illic cogeretur descendere, si tamen interim componerentur et Mtem. suam in his regionibus agere contingeret, se venturam omnino et ducturam choreas cum Mte. reginali, sin minus, interventuram tamen per oratores suos solennes.

Dixit

MDXVII. Dixit sua Mtas.: ut sacrum hoc connubium majore cum dignitate utriusque Mtis. peragatur, missuram se Barium usque duos oratores suos, qui etiam comitentur reginam nobiscum. Alter oratorum est jam in Italia, Augustinus quidam Zomentius, mediolanensis, eques auratus, antiquus servitor ducum mediolanensium, alter vero a Mte. sua infra quatriduum recedet et nos assequetur in itinere aut Barii. Vocatur Sebastianus Sperantius, prepositus brixiensis, Almanus et secretarius rmi. dni. Gurcensis, quem ego Posonii bene et familiariter novi, et iste habebit primas partes.

Rogavimus diligenter et instantissime, ut matrimonii contractus Viennam differretur utque Mtas. ces. pro Mte. vra. promitteret contractum Vienne futurum. Respondit sua Mtas.: se quidem libenter promissuram, dilationem tamen hanc nullo pacto fieri posse propter securitatem Illme. dne. ducis. Itaque sciat s. Mtas. vra. contractum per verba de presenti, jubente ces. Mte., futurum Bari aut Neapoli.

Habemus in manibus tractatus matrimonii subscriptos manu propria Illme. dne. ducis et sigillatos ipsius sigillo, allatos ex Bari simul cum mandato, et nos vicissim vigore mandati aliud exemplar subscripsimus et subsignavimus.

Rogavimus, ut ces. Mtas. significaret Illme. dne. Isabelle, quod non relinqueret Serme. dne. Bone in regno Polonie nisi matronam unam et duas virgines. De viris etiam, qui mansuri essent, ut se voluntati Mtis. s. regie conformaret. Respondit sua Mtas.: oportere, ut Serma. dna. Bona habeat comitatum regine convenientem, futurum tamen in arbitrio Mtis. vre., quos et quot velit relinquere. Nam et cum Serma. olim domina imperatrice venisse multos, quos Mtas. sua cesarea intra septimum diem omnes remiserit. Jussit tamen dari literas super hac re ad Illmam. dnam. ducem, et nos hoc quam diligentissime curabimus, ne multe puelle veniant, quia hec non est merx, que commode remitti possit Barium.

Usi sumus hic in servitiis Mtis. vre. plurimum opera dni. Mrakiesch, qui eum se nobis exhibuit, ut in hac aula nullum esse credamus, qui ea promptitudine et fide Mti. vre. serviat. Voluimus igitur ut haberet hoc nostrum apud Mtem. vram. servitutis sue verissimum testimonium.

Munifice nos tractavit civitas viennensis, cujus nomine, Mtis. vre. intuitu, nobis hic in Nova civitate existentibus, per vicedominum Austrie et dnum. Cuspinianum magnum vas vini optimi donatum est et duo boves saginati, duo currus avene et cetus, alias jesiotr, satis rare magnitudinis, que omnia nobis huc ex Vienna missa et hic per dominos prefatos presentata sunt.

Cesaree vero Mtis. nomine nihil nobis datum nisi capreolus, quem danielem vocant, coram nobis jussu cesaris sagitta interemptus in vivario Nove civitatis, quo honoris causa ejusdem Mtis. jussu per Ludovicum, ducem Bavarie et capitaneum Nove civitatis, deducti fueramus. Nos tamen nulli sumptui pepercimus pro honore et dignitate s. Mtis. vestre et persone, quam representamus.

Vidimus etiam particulam literarum, qua Illma. dna. dux dno. Chrisostomo significat, se statuisse, ut Serma. dna. Bona non naviget, sed ut proficiscatur itinere terrestri per Neapolim, ubi erit festum et tripudia, ac subinde per Urbem, vetatque ullam mentionem de triremibus apud dominum Venetum fieri, et scribit, se jam facere apparatum pro itinere terrestri. Nam

Nam uti hic etiam a nonnullis dnis. Italis intelleximus, quemadmodum Serma. dna. Bona est valde tractabilis, ita Illma. dna. dux Isabella est magni et excelsi animi et volet procul dubio facere aliquas demonstrationes pomposas in Urbe, potius domina et capite orbis, qua profectura est filia, quam in Umbria et Loreto. Quocirca s. Mtas. vra. pro regia sua prudentia considerare dignetur: primum, quam sit inconveniens, quod futuri in reditu in Urbe nulla prorsus mandata ad pontificem habeamus, que tamen nobis adhuc satis tempestive mitti possunt simul cum credentia. Illuc enim in Bari euntes, per Marchiam et Loretum ituri sumus, deinde, quantum etiam sumptus nobis accrescet per Urbem revertentibus. Proinde supplicamus s. Mti. vre. ut in reditu aut Rome aut Venetiis aliquo viatico per bancarios jussu Mtis. vestre et dni. Boner sublevemur. Quisque enim ex nobis pene duplo plures equos habet quam Mtas. vra. mandaverat. MDXVII.

Ex comitibus primariis, qui Sermam. dnam. Bonam in regnum Mtis. vre. deducent, futurum intelleximus Illrem. dnum. Prosperum Columnensem, virum grandevum et militia clarissimum et primum in familia Columnensi.

Significamus Mti. vre. pro re certissima, regem catholicum, nepotem cesaris Austrie, octava presentis conscendisse classem et ivisse eodem die extra vada Flandrie, speraturque ad hanc diem esse in Hispania.

Ex Urbe allatum est nuncium ces. Mti., res pontificias bene se habere. Desciverunt enim ad partes Sctis. sue omnis exercitus hispanus et germanus, qui sub Duce militabant, Vascones adhuc sequuntur profugum Ducem, qui perditis rebus, Mantuam ad socerum profugit.

Hesterna die auditus est a Mte. ces. orator Hungarus in Thermis. Quid afferat, nondum scire potuimus.

Biduo post discessum ces. Mtis. coacti fuimus summo cum tedio expectare litera confirmationis ces., cujus exemplar mittimus s. Mti. vre., simulque coacti fuimus pari cum animi molestia expectare dnum. Chrisostomum, qui in curru „Coczi“ Viennam retrocesserat gratia cambii nummorum nuperrime sibi allatorum simul cum mandato; inofficiose enim facturi videbamur, nisi senem expectavissemus.

Jam tandem et cesaream confirmationem et dnum. Chrisostomum habemus et discedimus hinc hoc mane videlicet die Jovis die XXIV Septbris., confectis rebus Mtis. vestre summa felicitate et bene et cito. — Datum in Nova civitate Austrie die Jovis XXIV Septembris mane cum jam ocreati et jamjam in Schadwin ituri essemus. Et quantum in nobis est iter nostrum ita acceleraturi, ut vestre Mtis. desiderio tempestive satisfiat. Commendamus deditissimam servitutem nostram in gratiam s. Mtis. vestre, quam divina Mtas. felicitet et victorem semper faciat. Ignoscat s. Mtas. vra. literarum perplexitati, malui enim perplexitatis quam negligentie et brevitatis argui.

CCXCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lubbrancz, Episcopo Posnaniensi.

Reverende in Christo pater, sincere nobis dilecte. Edocti sumus per oratores nostros, quos Barium misimus, eos VIII die Octobris Venetias appulisse et facto diligenti calculo, quot Cod. R.

 diebus

MDXVII. diebus Barium eundo, cum Illma. sponsa nostra redeundo iter facere deberent, certiores nos fecerunt, se Viennam circiter festum circumcisionis Domini applicaturos. Quare Ptas. vra. se jam ad id tempus itineri accingat et exeat ita, ut pro eodem festo circumcisionis Domini Viennam una cum aliis collegis suis venire possit. Et habeant mutuam intelligentiam cum mgco. palatino cracoviensi, ut tempori cum eo in Olomuncz conveniant.

Commisimus vero Gromaczki, ut Pti. vre. de panno et viatico provideat.

Non possumus vero ad presens vobis munus aliquod ipsi Illustrissime sponse nostre pro arrabone a nobis offerrendo, mittere, donec Cracoviam perveniemus, sed mittemus illuc tempori, propter quod etiam iter nostrum illuc acceleramus.

CCXCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro Szidlovicio, Palatino Cracoviensi, Cancellario.

Cod. R. Quamvis antea cesarea Mtas. nobis significavit, oportere illic in loco sponsalia fieri, sine quibus dna. dux Barii filiam non mitteret, tamen si nuncii nostri id efficere non potuerunt, ut res Viennam differatur, tunc sponsalia per vos illic nostro nomine contrahantur. — Ad que mittimus vobis mandatum. Si autem jam ea confecta illic Neapoli fuerint, nihil opus erit, quam ipsam Illmam. sponsam nostram excipere nostro nomine et adventui ipsius gratulari.

De domo, quod nobis Stas. tua scribit, abunde intelleximus, verum ipsa scit, quod quando pro ea nos rogavit, concessimus ipsam illi tantisper solum donec pestilentia cessaret et nos filias nostras ad Cracoviam reduceremus. Pro quarum habitatione domum ipsam illis deputavimus. Nam et alias semper et nunc precipue in tanto tumultu, qui erit in castro, non habemus, ubi eas et commodius et honestius collocare possemus. Et quia scribit Stas. tua, deficere sibi habitacula in suis istic domibus, concedemus illi ad presens illa habitacula, que sunt ante thesaurum, in quibus prius dicte filie nostre habitarunt, ut, si velit, conjugem suam in illis locet, et proinde faciat tempestive domum ipsam evacuare etiam prius quam Cracoviam veniamus, volumus, ut istuc filie nostre traducantur.

Cellaria vero in domo eadem, in quibus se vinum habere Stas. tua scribit, dimittimus illi, ut eis utatur nec vinum ex eis transferat.

CCXCVIII. Mandatum Regis ad excipiendam Vienne Bonam, Reginam, et sponsalia contrahenda.

Cod. R. Sigismundus etc. Manifestum facimus per presentes universis. Quia reverendum in Christo patrem dnum. *Joannem*, episcopum posnaniensem, et mgcos. *Christophorum de Schidlowyecz*, palatinum et capitaneum cracoviensem ac regni nostri cancellarium, et *Lucam de Gorka*, castell. posnaniensem et Majoris Polonie capitaneum generalem, consiliarios nostros sincere nobis

nobis dilectos, deputavimus et presentibus deputamus oratores nostros ad excipiendum Vienne Illmam. principem, dominam Bonam filiam Illmi. olim principis, dni. Joannis Galiacij Sforcie, comitis ducis Mediolani etc., sponsam nostram charissimam, ac cum ejus Illte. conjunctim cum aliis oratoribus nostris, quos prius ad illam misimus, sponsalia nostro nomine etiam per verba de presenti contrahendi, ubi illa adhuc per eosdem priores oratores nostros non fuissent contracta. Promittentes verbo nostro regio, quod quidquid per eos ipsos nostros oratores in ipso matrimonii negotio et sponsalium contractione actum et conclusum fuerit, id omne apud nos ratum, firmum et inviolabile futurum. In cujus rei testimonium sigillum nostrum presentibus appendi fecimus. Datum. MDXVII.

CCXCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lubbrancz, Episcopo Posnaniensi, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi etc.

Reverende in Christo pater et mgce. sincere nobis dilecte. Est nobis valde grata sedulitas Cod. R.
et cura vrarum. Stum. in pervestigandis conatibus dni. magistri Prussie et animis vicinorum. Nos quidem jam satis compertum habemus, ipsius domini magistri molimina et auxilia, que sibi adversum nos comparare satagit, querens multifariam de nobis ubique, et illud, quod ipse subditis nostris facit, nobis impingens. Propter quam causam non minus quam de aliis necessitatibus regni conventum agere statuimus, in quo cum vris. Sinceritatibus et aliis consiliariis existentes consulemus de nobis et subditis nostris id, quod opportunum videbitur.

Quod autem ad profectionem viennensem earundem Stum. vrarum. attinet, nos, quando illis scripseramus, ut ad festum Circumcisionis illic esse contenderent, speravimus, quod interim debuissemus ab oratoribus nostris plane certiores fieri, ad quem diem esset Illma. sponsa nostra illuc ventura, sed cum hactenus nihil significarunt, quod valde miramur, volumus, ut interim se non moveant, donec eas Joannes Boner faciet certiores.

Instructio vero nulla alia vris. Statibus est necessaria, quam ut prefatam Illmam dominam sponsam nostram excipiant nostro nomine et felici ejus adventui gratulentur. Quod ipse Sinceritates vre. eo modo et eis verbis, quibus decebit, abunde exequi scient, ubi autem sponsalia contracta non fuerint, ea contrahent juxta mandatum, quod erit apud mgcum. palatinum cracoviensem. Erunt et credentiales litere ad eundem Illmam. dnam. sponsam nostram et ad cesaream Mtem. cum instructione eorum, que cum illa erunt loquenda, si illic aderit.

De locis vero aliquibus, qua Sinceritates vre. redire cum ipsa Serma. dna. sponsa nostra deberent, que peste infecta referuntur, erit diligentie earundem Stum. vrarum., cum iter illac facient, sedulo exquirere de tutiori transitu. Et nos etiam Cracoviam venientes idem faciemus. De quo nos tamen ante Stes. vre. edocebunt. Que bene valeant.

CCC. SIGISM.

CCC. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro de Schidlowyecz, Cancellario.

MDXVII. Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Non fuit amplius voluntatis nostre ad hungaricos et bohemicos conventus nuncios nostros mittere, quandoquidem he omnes missiones, quas hactenus fecimus, nullum Sermo. domino regi Ludovico et regnis ejus commodum, nobis vero non parvum dispendium et indignitatem afferre consueverunt, utpote cum ipsi conventus semper a dominis Hungaris pro eorum arbitrio statuuntur, nihil penitus ad nos tanquam imaginarios tutores referentibus. Verum quia cesarea Mtas. et dictus Sermus. dnus. rex Ludovicus nobis nunc scripserunt postulantes enixe, ut primum Budam pro conventu ad festum Sct. Michaelis oratorem nostrum mitteremus, qui illic simul cum oratoribus illius utriusque Mtis. concordata instructione, deinde ad bohemicum pro festo S. Martini proximo se conferret, quod negotia prefati Sermi. dni. regis Ludovici id valde indigerent, volentes utriusque Mti. satisfacere et ne officium necessitudinis nostre pretermittere videremur, deputavimus ad conventum bohemicum mgcum. Andream de Thanczin, palat. lublinensem; nam hungarici terminus jam est elapsus, et nos primo nudius quartus literas de ipsis conventibus accepimus.

Quod autem nobis Stas. tua scripsit de his, que cum ea doctor Balbus egit super matrimonio Serme. neptis nostre, abunde intelleximus et probamus, quod rmus. dnus. cardinalis strigoniensis eam habet curam et ut eam prosequeretur ageretque per se cum cesarea Mte., nobis multum placeret, sed non videtur nobis, ut nos per alienas personas de tanta re cum Mte. sua tractemus. Volumus tamen ejus Mtem. sedulo admonere, ut pactis et conventis satisfiat, quandoquidem intelligimus, quod cum de ea re soli cum ces. Mte. insciis et absentibus consiliariis utriusque illius regni conclusimus, nobis acceptum ferretur, si bene succedet, sin aliter culpa omnis in nos transferretur.

Ceterum quod tua Stas. a nobis petit, ut illam ab eo itinere suscipiendi Illmam. sponsam nostram absolvamus, describens suas presentes difficultates, nos quidem ita esse credimus, ut scripsit, sed cum tempus est adeo angustum, ut nullo modo alteri ad apparandum se sufficere possit et nos Stem. tuam de hac re certiorem fecimus, ut eam, per quam semper omnia insigniora negotia obire consuevimus et cujus servitia nobis semper cordi et laudi fuerunt, postulamus ab illa, ut se non excuset, sed quod hactenus fecit, nunc etiam, cum tantus est opus, quantum unquam alias, desiderio et necessitati nostre satisfaciat, quandoquidem alii domini, quos mittimus, alacriter se nobis obtulerunt. Accingat autem se, sive in gravioribus equis seu in canteriis, ut lubet, modo, ut consuevit, splendide. Quando vero tempus instabit, nos illi et aliis faciemus de viatico provideri.

Postremo quod scripsit Stas. tua de militibus in Russia relinquendis, nos illi et mgco. thesaurario, fratri suo, dudum scripsimus, ut ita eorum susceptio metiretur, quod pecunia a civibus cracoviensibus et spiritualibus accepta sufficere possit, nam ea contributio, que Piotrkovie est decreta, nescimus quando edetur, ratione cujus jam facte sunt multe impense et restant alia onera supplenda. Quantum igitur residui erit de pecunia a civibus et spiritualibus

tualibus accepta, soluto e merito stipendio, pro eo stipendiarios illic in Russia locari et relinqui vellemus. Ad minus autem quingenti equites relinquendi et servandi essent, si erit pecunia, qua teneri possint. Nam ad plures prorsus nescimus, unde sumptus fieri debeat. Aliis vero ut servitium edicatur. MDXVII.

CCCI. Stanislaus de Ostrorog, Cast. Calissiensis, Jo. Konarski, Archidiaconus Cracov. Oratores, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. princeps et dne., dne. clementissime. Post servitiorum nostrorum in gratiam Mtis. vre. commendationem etc. — Arbitramur bonam partem actionum hujusque nostri muneris s. Mtis. vre. abunde esse cognitam. Nunc vero pro nostra in eam debitissima servitute et fide, que reliqua sunt hisce illi significanda duximus. Nos videlicet die XIV Octobris Venetiis discessisse et multis quotidianorum fluminum trajectuum incommoditatibus exhaustis, nonnullis etiam equis ex labore in itinere relictis magnis itineribus die V Novembris Barium pervenisse. Transeuntibus autem nobis per Barletam, qui locus tridui itinere a Bari distat, nunciatum est: Illmam. dnam. ducem Isabellam cum Serma. filia paucis ante diebus ex Bari discessisse Neapolim versus, constituisseque Neapoli pompam nuptialem celebrare, neque ullo pacto velle ob hiemis asperitatem et intemperiem Sermam. filiam ante veris initium in Poloniam dimittere. Nos re tam insperata conterriti, ut nobis, quod maxime cupiebamus, de omnibus clarius commodiusque posset innotescere, recta Barium perreximus, ubi nos summo cum desiderio ab his nobilibus expectari senseramus, qui nostri causa ab Illma. dna. duce illic relicti fuerant. Cod. R.

Intrantibus nobis Barium, prodiit nobis obviam civitatis prefectus cum omnibus optimatibus et civibus ad tria milliaria italica, exceptique sumus summa profecto celebritate et inestimabili tam maximi quam minimi cujusque letitia ex felicissimo Serme. dne. Bone connubio concepta. Urbem ingressi inspeximus arcem illam Barensem, bombardarum tantum numerum jacentem, ut nescio, quid tonitrui tam simile videretur. Que primum a Friderico Barbarusso, Romanorum imperatore erecta, deinde vero ab Illma. dna. duce non muliebri, sed virili quodam et excelso animo ita instaurata est, ut feminea hec et nova fabrica illam priscam cesaream longe superet, possitque hec arx meritissimo inter prima hujusce regni fortalitia recenseri.

Deducti sumus recta ad edem et sacrum divi Nicolai tumulum, ubi adoratione facta, ad palatium arci vicinum acclamante nobis omni populo: „viva! viva Polonia!“

Cum primum autem intelleximus, vera esse omnia, que nobis Barlete dicta fuerant, videlicet Illmam. dnam. ducem constituisse differe profectionem Serme. dne. Bone usque in veris initium, hoc nobis consilii capere visum est.

Dedimus per celerrimam postam literas ad Illmam. dominam suam, quibus de ea graviter questi sumus, quod contra omnem spem Mtis. ces. et Mtis. vestre desiderium, cui maxime obsequi deberet, hac itione Neapolim et aliis omnibus rationibus profectionem Serme. Bone differret,

MDXVII. differret, edocuimusque, dilationem hanc absque Mtis. vre. animi molestia et summo totius regni dispendio fieri non posse, ubi omnia ita constituta essent, ut faustissime hec nuptie, uti apud omnes mortales moris est, in Carnisprivio celebrarentur, pro quo tempore jam pridem et ces. Mtas. et plerique alii vicini principes invitati essent. Proinde curare dignaretur, ut omnino se voluntati Mtis. vre. conformare studeret, postponeretque pompas istas minime necessarias rebus et rationibus Mtis. vestre adeo in tempus Carnisprivii necessario decurrentibus et constitutis, ut hanc Mtis. vre. deliberationem infringere minime conveniret. His et aliis hujusmodi in hanc sententiam adjectis, rogavimus: ut Dtio. sua Illma. nobis diem constitueret tempori et deliberationi Mtis. vre. consentaneam, antequam Serma. dna. Bona felix hoc iter ingrederetur.

Respondit Illma. Dtio. sua etiam per literas: res et rationes suas eo jam in eam diem deductas esse, ut aliter neutiquam fieri posset, quam ut iretur Neapolim, ubi commodius decentiusque satisfacere posset tam suo quam filie sue honori, cui deesse non liceret. Quare rogabat nos summopere, ut ad se quam primum veniremus Marilianum, et inde una proficisceremur Neapolim, asseverans hanc itionem nostram nihil more allaturam, quinimo futuram magno honori et glorie Mtis. vre.

Quod vero ad celerem profectionem Serme. Bone attineret, eam nonnisi circa X Decembris posse fieri, misitque nobis literas patentes sua manu propria scriptas, quibus mutato jam veris expectandi et urbis Rome visendi consilio pollicetur Sermam. dnam. Bonam ante X Decembris Poloniam versus omnino iter arrepturam.

Hoc ipsum nobis pro Illma. dna. sua unus ex oratoribus cesaris, alter nondum advenerat, literis suis et in persona sua, quam representabat, pollicitus est. Ita acceptis binis hisce patentibus literis et materno desiderio coacti sumus concedere et die XII Novbris. qua die jam pene potuissemus cum sponsa ad Mtem. vram. reverti, coacti sumus Bario discedere et ab adriatico usque ad mare mediterraneum per dorsum importunissimarum Alpium latitudinem Italie emetiri. Ita die XX Novbris. ad Illmam. dnam. ducem Marilianum venimus, qui locus X a Neapoli italicis milliaribus distat. Ideo autem Illma. dna. dux ingressa est iter versus Neapolim antequam nos Barium veniremus, quia verebatur, ne eam a proposito eundi Neapolim averteremus, prout omnino avertissemus, si eam reperissemus Barij, coacta fuisset mutare consilium.

In civitatem Nolam, que a Mariliano IV distat milliaribus, venit ad nos dnus. Augustinus Cemensius, Italus, orator cesareus, collega dni. Sebastiani Sperantii, qui jam pridem nobiscum erat; et ita ab illo tempore una omnes quatuor omnia nobis concredita cum summa dignitate Mtis. vre. obivimus.

Ubi Marilianum venimus excepti sumus humanissime, sed satis familiariter, nam Illma. domina dux erat in procinctu eundi Neapolim; salutavimus eam et Sermam. reginam nostro tantum nomine, uti premoniti fueramus, nullo tum cesaris aut Mtis. vre. mentione tamen facta. Id autem eo pertinebat, ut in Neapoli in loco celebri utriusque Mtis. legatio diceretur. Reperimus Sermam. dnam. Bonam una cum virginibus ex voto quodam nuper facto indutam albis vestibus. Eadem ipsa die sumpto gentaculo una equitantes, deduximus Illmam. dnam. ducem et Sermam. filiam ad Podzorcale, qui locus non procul est a portis neapolitanis, nosque

que non procul ea nocte diversati sumus, licet potuissemus ante horam vesperarum civitatem ingredi, retenti tamen sumus, ut spectaremus et spectaremur in pompa, que in crastino in urbis ingressu futura erat. MDXVII.

In crastino tandem ejus diei sabbati XXI Novbris. circa horam vesperarum ingressa Serma. regina Neapolim pene hoc ordine.

Deducti sunt imprimis ad manum octoginta equi, cooperti omnes panno brunatico et albo, singuli vero singulos ductores habebant simili panno et colore indutos.

Deducebantur vero XXV muli onerarii, ferentes cistas inauratas contectas ostro pretiosissimo, quibus inerat mundus muliebris, qui postea hic cum summa omnium admiratione ostensus est.

Hos sequebantur decem pueri serico induti insidentes equis pulcherrimis et vere regiis.

Ibant deinde in aliis similibus equis nonnulli purpurati aulici Serme. dne. regine.

Hos sequebatur promiscua turba baronum, comitum et ducum et aliorum hujuscemodi titulis preditorum, quorum nullum regnum feracius est, qui omnes officii et honorande Serme. regine causa prodierunt.

Deinde ducebantur similiter ad manum VIII alii equi generosissimi et ad arma aptissimi, quorum ephippia frena fulsere auro et argento miro quodam artificio decorati.

Deducebamur tandem nos oratores, quisque ab aliqua illustri persona et primaria.

Prodibat tandem Serma. dna. regina media inter oratorem cesareum et viceregem neapolitanum equo pulcherrimo et satis alto, quem hic Dzanetam vocant, albo habitu jam abjecto, adeo apte insidens ut Nymphe alicujus aut dee poëtice speciem pre se ferret.

Sequebantur matrone et virgines et numero et pulchritudine et superbo ornatu insignes. — Ipsa Illma. dna. dux, propter habitum lugubrem, quem adhuc ob mortem filii defert, huic pompe interesse noluit, sed longo post intervallo, non multo comitatu subsecuta est, nosque in arcem prevenit.

Ita Neapolim ingressi per magis celebria urbis loca Sermam. dnam. reginam ad arcem, quam Capuanam vocant, deduximus, ubi primarie et illustres femine ad eam excipiendam venerandamque convenerant. Perduravitque hec muliebris gratulatio multis diebus mixta semper tripudiis et choreis festivissimis.

Die XXIII Novembris auditi sunt oratores cesarei, quorum alter videlicet dnus. Sperantius longam et luculentam orationem habuit de laudibus Mtis. vre.

Triduo post auditus est mgcus. castellanus calissiensis, me tunc gravi febre duplici tertiana decumbente, que me adeo afflixit, ut in hanc diem egre traham spiritum.

Tandem, quod felix, faustum et fortunatum sit, die dominica VI Decembris, ipso die divi Nicolai, patroni barensis, hora circiter XX contraximus matrimonium nomine Mtis. vre. cum Serma. dna. Bona. Qui actus tanta heroum et feminarum illustrium frequentia, tanto etiam apparatu celebratus est, ut non tam vidue facultates, sed regium quendam splendorem pre se ferret.

Quia vero X Decembris jam instabat et nos omni studio urgebamus, ut die prefata obligationem nobis per literas factam, Serma. dna. Bona ex Neapoli Poloniam versus discederet, misit ad nos Illma. dna. dux, rogans summopere, ne sibi vitio daremur, quod votis nostris

MDXVII. tris et suis ea die, quam per literas pollicita fuerat, satisfacere non posset. Ut tamen celeritati, quoad maxime fieri posset, consuleret, polliceri nobis verbo et fide ducali, se omnino ante festa natalis Domini hinc Manfredoniam versus discessuram effecturamque, ut omnino circa primos dies Januarii Serma. dna. Bona cum equis et omnibus impedimentis sit in navibus.

Decrevit enim, Serme. princeps, eam per mare mittere vultque ut conscendat navim in Manfredonia, civitate Apulie maritima, ex qua per latitudinem seu transversum maris adriatici ipsa insula Dalmatie XC duntaxat italicis milliariis distat, que est secundo vento subserviente navigatio decem aut ad summum duodecim horarum per latitudinem maris.

Deinde inter ipsas insulas et littus Dalmatie, quod portuosissimum est, navigabit sua Mtas. securissime usque ad oppidum Mtis. cesaree in littore Hystrie situm, quod Flumen dicitur. Ex quo per Laibacum, primariam Carinthie urbem, in Villacum ad summum sex dietis commodissime pervenire potest.

Ita, Serme. princeps, hanc finalem resolutionem habemus et hoc promissum ab Illma. dna. duce, videlicet: quod circa primos dies Januarii ingredietur mare Serma. dna. Bona et, nisi tempus esset valde contrarium, poterit egredi navim intra XV dies in oppido Flumine, qui locus sex dietis distat a Villaco, et ita facile supputatio esset, quando Mtas. sua posset pervenire Viennam, si modo Illma. dna. dux in mittenda sua Mte. primis Januarii diebus servaret promissa, de quo nos multum addubitamus. Indulget enim sua Illma. Dtio. plurimum materno affectui; quo fit ut vereamur, ne rem extrahat usque ad veris initium, ne Sermam. filiam hibernis mensibus cogatur navi committere.

Speramus, Serme. princeps, quod s. Mti. vre. hac sola profectionis tarditate excepta de omnibus cumulatissime erit satisfactum, nam quod ad formam et etatem virginis, quod ad mores et egregias animi dotes attinet, nihil profecto desiderari potest.

Mundus etiam muliebris nobis, innumeris hujus regni nobilibus presentibus, ostensus est talis, qualem nulla fortasse reginarum hujus temporis in domum mariti intulit. In quo tamen auri et argenti non est multum. Abacus enim satis familiaris et cinguli aurei potius opera quam auri pondere conspicui, sed tota pompa consistit in vestibus plurimis et pretiosissimis.

Sunt etiam aulea et flandrensia et ex ostro pretiosissimo, quod Itali burcato riczo vocant, sunt papiliones seu tentoriolla pro lectis aurea multa. Sunt preterea lintheamina, camisie, manutergia ex tela subtilissima, aureo opere omnia sumptuosissime decorata ut omnia vix infra biduum possint conspici et multo plura sunt quam aliquis animo possit concipere, nisi quia ea viderit. Erit profecto res omnibus meritissimo admiranda.

Vidimus etiam LX, ut asserebatur et ut verisimile erat, aureorum milia.

Et ita omnino credimus, quod Mtas. vra. erit contenta de omnibus, hac duntaxat profectionis procrastinatione excepta, que nobis hic tantum negotii exhibuit, ut multas noctes insomnes duxerimus.

Serme. princeps! Existimabimus, nos omnia mandata s. Mtis. vestre ea diligentia et fide obivisse, ut nihil sit, quod non pro voto Mtis. vre. summa cum illius dignitate sit confectum preter hanc solam reginalis Mtis. profectionis tarditatem, quam nos hic incessanter oppugnavimus,

pugnavimus, utpote qui nedum suadele, diligentie, labori, sed, si res ita posceret, sanguini et vite non parceremus, quo votis Mtis. vre. satisfieret, sed rem, que aliena in potestate est, expugnare non potuimus; indulget enim Illma. dna. dux plurimum materno affectui et, ut res est, solliciti plena timoris, amor veretur filiam hibernis hisce diebus mari credere asserens: navigantes tantum a morte distare quantum sit maris crassitudo. MDXVII.

Erat nobis in animo comitari Mtem. suam in Manfredoniam, sed visum est Illme. dne. duci nos hinc dimittere, pollicetur enim mille promissis, circa primos Januarii dies Sermam. dominam reginam navem conscensuram, et a nobis petiit, ut Sermam. filiam in Villaco expectaremus: videri namque sibi indecorum, ait, Sermam. filiam per terras incognitas absque nobis debere proficisci.

Nos, Serme. princeps, fuimus non modo Bari sed etiam in hac urbe, regni hujus capite, XXX diebus. Ubi tametsi nobis per Illmam. dnam. ducem necessaria suppedita sint, majorem tamen profecto sumptum in mimos et tibicines ac alias res extraordinarias hic fecimus, quam si obscuriore aliquo in loco publico in hospitio diversati fuissemus. Proinde rogamus: dignetur hec sacra Mtas. vra. pro regali et excelsa sua providentia perpendere et nobis per celeres suas literas significare: debeamusne reginalem Mtem. expectare in Villaco necne? Quod si expectandum erit, dignetur nos s. Mtas. vra. sumptu opportuno providere; nam absque Mtis. vre. gratiosa provisione, aut expectare nequaquam possemus, aut cogeremur citra Mtis. vre. dignitatem meliores res nostras pignori opponere; quilibet enim nostrum, ita nobis Deus Mtis. vre. gratiam servet, in hanc diem id totum exposuit, quod nobis a s. Mte. vra. pro viatico datum est.

Quod ad comitatum Serme. dne. regine attinet, non ignoret vra. s. Mtas. primarium in eo futurum et omnibus aliis prefectum, Illrem. dnum. Prosperum Columnensem, alii erunt pene omnes nobiles vasalli, subditi Illme. dne. ducis et ii quidem omnes eo animo proficiscuntur, ut intra paucos dies cum ipso dno. Prospero revertantur excepto medico, coquo, curatore vestium et tribus aut ad summum quatuor pueris, qui fortasse conabuntur remanere. Virgines vero sex jam delegit Illma. dna. dux et duas matronas provectioris etatis, que venture sunt. Cui rei nos hic omni conatu obstitimus conatique sumus puellarum numerum restringere, et ut etiam unam tantum matronam acciperet, sed in hanc diem nihil profecimus. Dicit enim sua Illma. Dtio.: nihil esse indecentius, quam ut tanti regis conjunx absque debito comitatu proficiscatur.

Cesarea etiam Mtas. nihil de puellarum numero ad Illmam. dnam. ducem scribere voluit dissuasa ne scriberet, ut suspicabamur, per dnum. Chrisostomum, qui id metuebat, per nos pro ejuscemodi literis rogata. Respondit: indecens esse, nisi competentem puellarum numerum haberet, que postea possent remitti. Nam etiam cum uxore sua, bone memorie, venisse multas ex Mediolano puellas, quas omnes intra octo dies remisisset. Nos tametsi non ignoremus, facilius ex Germania Mediolanum, quam ex Polonia Barium virgines remitti posse, volumus tamen Mti. vre. tam sententiam cesaris, quam etiam propositum Illme. domine ducis describere.

Supplicamus s. Mti. vre., ne nobis vitio det, quod hactenus nihil scripserimus, in tanta enim rerum confusione, que preter omnem spem nostram orte sunt, nullam prorsus resolutionem habere

MDXVII. habere potuimus, nec adhuc etiam si questioni adhiberemur, Mtem. vram. certiorem facere possumus, quo tempore reginalis Mtas. Vienne futura sit. Qua ex re vram. Mtem. multum sollicitudinis habituram non ambigimus, quia nesciet: in quod tempus generalem regni conventum indicere debeat. — Arbitramur, reginalem Mtem. et omnem ejus comitatum nihil magis timere quam frigus, contra quod hujusce regionis homines pessime muniti sunt, utpote qui nunquam pelles deferunt. Itaque licet Illma. dna. dux promittat circa primos Januarii dies, Sermam. reginam discessuram, nos tamen veremur profecto, ne frigoris metu rem ad vernum tempus differat, licet ut diximus promittat Illma. domina dux, Sermam. dnam. reginam futuram in navi primis Januarii diebus, ac subinde pro Carnisprivio Vienne; nos tamen id Mti. vre. affirmare non audemus, sed id scribimus, quod nobis sepissime promissum est. Quoquo tamen tempore reginalis Mtas. in oppidum Flumen appulerit, mittetur celerrimus nuncius ad Mtem. vram. a dno. Prospero, qui eam de numero servitorum sue Mtis. et omnibus aliis cumulatissime reddet certiorem.

Illustrissima dna. dux et Serma. dna. regina hodie, que est dies Sct. Thome, apostoli, XXI Decembris hinc recedunt Manfredoniam versus, nos Dtiones. earum comitabimur ad aliquot milliaria, deinde reversi hic pernoctabimus et, Deo auspice, crastina die, videlicet XXII Decembris hinc discedimus, iter per Anconam non per Urbem facturi.

Mensuras s. Mti. vre. mittimus presentibus inclusas, mittimus etiam calceum sericum, qui si Mti. vre. majusculus visus fuerit, sciat hic a feminis caligulas usque ad genua deferri. — Mensura etiam cincture cum Serma. regina veste aurea et alia inferiori veste induta esset accepta est.

Quod vero ad forme excellentiam attinet, nihil a pictura illa per dnum. Chrisostomum allata discrepat, capilli pulcherrimi et albicantes, cum tamen, quod mirum est, palpetre sint nigerrime et supercilia, oculi angelici potius quam humani, frons leta et serena, nasus planus, nihil omnino aquilini vel adunci habens, gene rubentes et ingenuo quodam pudore condecorate, labia corallo coloratissimo simillima, dentes equales et candidissimi, collum rectum et rotundum, pectus candidum, humeri decentissimi, manus vero nusquam possunt contueri pulchriores. Et in summa sive tota forma sive singillatim quodque membrum spectetur, omnia sunt pulcherrima et venustissima. Gratia cum in omni actu tum presertim in loquela singularis, eruditio et facundia non illius sexus, sed mira quedam. Audivimus eam multa non premeditata, sed extemporanea, latine loquendam, et testamur deum, quod nullam clausulam profert, in qua non aliquid elegantiarum aut figurate aut ornatissime locutionis interluceat. Novimus a multis annis Italiam, sed magis apte tripudiantem dominam nunquam novimus. Que tripudii ars hic a preceptoribus hujusce artis magno pretio conductis traditur.

Erit igitur s. Mtas. vra. regia procul dubio de omnibus contenta. Quod autem ad tardiusculam profectionem Mtis. sue attinet, ab hac omnis culpa nostra abest, quum libenter ad Mtem. vram. cum Serma. dna. regina advolaremus.

Commendamus nos et deditissimam servitutem nostram in gratiam Mtis. vre., quam divina clementia ad vota sua felicitet. Neapoli XXI Decembris.

CCCII. ISABELLA

CCCII. Isabella de Aragonia, Dux Mediolani et Bari, Sigismundo, Regi Polonie.

Serme. et potentissime princeps, gener et fili noster observantissime. Etiam quod credam Mtem. vram. per oratores suos particulariter factam certiorem de felicissimis sponsalibus contractis inter Mtem. vram. et Sermam. meam filiam, et tamen non videtur mihi dignum omittere, quin etiam ego illi significem, quomodo favente domino nostro VI. die presentis mensis fuit celebratum matrimonium inter Mtem. vram. et prefatam Sermam. meam filiam. De quo sum consequuta tantam extremam letitiam et consolationem, ut major considerari non possit. Que tanto plus augetur, quanto in dies magis innotescunt regales et singularissime dotes Mtis. vre. Et proinde sicut dnus. noster deus per celebrationem ipsius matrimonii concessit mihi infinitam letitiam et voluptatem, ita etiam illam precor permittat illud augmentari, cum longa et felici vita vre. Mtis. et mee Serme. filie, tum susceptione abundantis prolis, ita ut desidero pro communi satisfactione et contentatione omnium. MDXVII. Cod. R.

Et quia isti oratores vestre Mtis. fecerunt me certiorem et multum sollicitarunt in suo adventu Neapolim, qui fuit XXI Novembris proxime elapsi, quod vra. Mtas. desiderat celeritatem adventus Serme. filie nostre ad se, et licet ego constitueram non habendo aliud contrarium documentum a domino Chrisostomo, meo oratore, tempore, quo fuit apud Mtem. vram., mittere prefatam Sermam. filiam meam primo vere, quod id tempus sit non ita adversum itinerantibus et non obstante, quod quasi sit impossibile in hieme facere tam longum et frigidum iter: nihilominus recipiendo id ad meum placitum, quod supradictum est, ut Mti. vre. satisfieret, mansi contenta, ut acceleraretur ipsa profectio quantum fuit possibile, et subito postquam oratores Mtis. vre. applicuerunt Neapolim, ubi eram convenienda profecta propter felicissima sponsalia, adhibui tantam celeritatem quantum erat possibile pro celeri expeditione itineris et utcumque simile ex sua natura indigebat tempore non mediocri, cum gratia tamen domini dei nostri hodie discedimus ad conducendum nostram Sermam. filiam usque ad Manfredoniam, iter septem dierum, unde illam per mare adriaticum navigare faciam, quia id cedet ad diminutionem itineris et evitabuntur mali passus, montes et flumina, que hieme sunt in Italia ut pertransiri non possint sine longo tempore, nimia defatigatione et maximo periculo. Et proinde spero in domino deo, quod celerrime perveniet incolumis.

Isti oratores Mti. vre. licet multum sollicitarunt de discessu, tamen continue viderunt, quod non defuit ullum momentum temporis ad id, quod cum celeritate potuisset expediri, et propterea rogo vestram Mtem., ut si tamen Serma. filia mea non veniret ita celeriter, ut Mtas. vra. et ego optamus, non ascribat alteri quam nature rei, quam maxime propter ignorantiam a principio intentionis vre. Mtis. non potui celerius expedire.

Restat solum, quod ego rogem Mtem. vram.: velit respondere mihi in eo amore, quo vram. Mtem. amo, eam certam faciendo, quod nunquam aliud a me cogitatur, quam illam posse magis securam facere de immensa affectione, quam erga Mtem. vram. habeo et quantum ego desidero, ut de me disponat, pro eo quo habeo Mtem. vestram in amore et loco veri filii,

MDXVII filii, et in omni alia re in eo respectu ac loco, ut merito ego debeo et teneor. Dominus deus prosperet et augeat illius felicissimum statum et vitam ita ut ego melius desidero. Neapoli XXVI Decembris.

Vestre Mtis. Serenissime

Vera mater et ad suum obsequium prompta Isabella de Aragonia, dux Mediolani.

CCCIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lubbrancz, Epo. Posnaniensi, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi.

Cod. R. Rev. et mgce. sincere nobis dilecti. Nos huc nudius tertius gratia Dei salvi et incolumes venimus magna admiratione simul et molestia affecti, quod usque huc nihil nobis nuncii nostri ex Neapoli significant. Compertum tamen aliorum scriptis ex Italia habemus, illos dudum illic esse nullaque impedimenta, quantum ad id, ut res infici deberet, ibi sentire. Que melius omnino Rome aut Venetiis scire deberent, quam hic, nulla certa ratione vel auctore, et proinde nos nihil aliud suspicamur in causa, quam parum cordate negotium agi et expeditionem muliebrem inexpeditam. Veremurque, quod res adeo negligetur, ut in Quadragesimam deveniat. Et cum ita sit, vre. Stes. expectent istic pariter et nusquam se moveant, donec hinc a nobis facte fuerint certiores.

De verbis, quibus apud Illmam. sponsam nostram uti debeant, erit earum muneris et prudentie.

Scripsimus illis prius nos dudum explorata habere, que dnus. magister Prussie adversum nos struit et satagit, tamen nihil de ea re statuere possumus, donec mutuum consilium cum vris. Stibus. et aliis consiliariis nostris habeamus.

De dno. marchione Joachimo ad nuptias invitando recte consulunt vre. Stas. et ita nos ipsi pridem de illo et aliis vicinis ducibus invitandis statuimus, prout eisdem Stibus. vestris etiam hoc prioribus literis declaravimus. Que bene valeant.

CCCIV. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Chodecz, Marschalco Regni Polonie.

Cod. R. Mgce. Jam antehac scripsimus Sti. tue, nos auspice deo ad regnum adventare, et ut ipsa quoque Stas. tua ad nos Cracoviam veniat sumus illam hortati, quod ipsum nunc quoque repetimus et volumus, ut Stas. tua ad nos quam primum potest veniat. Opus erit nobis illius presentia propter designanda hospitia pro hospitibus, qui ad nuptias nostras sunt venturi. Factura pro gratia nostra. Datum in itinere mense Decembris.

Annus Domini Millesimus Quingentesimus Decimus Octavus.

Anni Domini MDXVIII. memorabilia.

Sigismundus, rex Poloniae, Vilnae agens indixerat conventum generalem regni Cracoviae ad diem conversionis Sct. Pauli, ad quem quidem conventum rex ipse tertia die Decembris anni proxime praëteriti Vilna discessit primaque die Januarii Cracoviam venit.

Causae propter quas conventus hic generalis actus est erant haec: prima, ut de bello cum Mosco gerendo consultaretur, secunda, ut modus inveniri possit, quo pacto hostilitas magistri reprimeretur. Legatio a Sigismundo rege ad conventum Prussiae, in qua admonet consiliarios Prussiae, ut consulerent, qua ratione magister Prussiae refrenari possit et ad debitum regiae Mti. praestandum compelli.

Ordinatio defensionis regni in conventu generali cracoviensi facta.

Joannes Carnkowski legatus a Sigismundo rege ad Ludovicum, Ungariae regem, missus, invitatum eum ad nuptias.

Descriptio nuptiarum Sigismundi, regis Poloniae per Ludovicum Decium.

Sigismundus rex ut patruus et tutor Sermi. regis Ludovici nomine sacri imperii principis dat plenariam facultatem reverendo dno. Erasmo, epo. plocensi, Raphaeli de Leszno, cast. landensi, et Bogussio, marschalco magni ducatus Lithuaniae, ut simul cum aliis imperii electoribus regem Romanorum eligerent ac super decretum sigillum regium apponerent.

Avisamentum christianorum principum pro expeditione contra Turcas.

Instructio a Sigismundo rege data oratoribus caesaris Maximiliani ad Moscum pacem tractatum missis, in qua rex aperit animi sui sententiam, quod nollet pacem cum Mosco inire, nisi primum arx Smolensko ipsi restitueretur.

Tractatus pacis et induciarum per oratores caesaris Maximiliani inter regem Poloniae et ducem Moscoviae, ut pacem firmam stabilirent.

CCCV. Annus Domini Millesimus Quingentesimus Decimus Octavus.

Initio anni hujus actus est conventus regni generalis Cracovie ad diem conversionis Sct. Pauli apostoli, ad quem consiliarii convocati sunt literis sequentibus. MDXVIII. (MDXVII) Cod. R.

CCCVI. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis majoribus Regni Polonie.

Mgce. sincere nobis dilecte. Jam ex prioribus literis nostris intellexit Sinceritas tua, quas Cod. R. per hoc tempus preteritum operas adhibuerimus, quantumque laboris et impendii obierimus, ut vel bello, vel etiam tractatibus Mosco hoste nostro ad pacem decentem redacto, nos hinc eo citius explicare et regni necessitatibus incumbere possemus; licet vero exercitus noster, quem ad vastandum illius terram miseramus, jam gratia dei salvus redierit, facto illic eo damno, quod sub angustia et inclementia temporis fieri potuit, omnino autem non modico, tamen hactenus ignoramus, qualiter ipse hostis sit ad pacem propensus; nihil enim adhuc ex nunciis nostris, quos illuc misimus, accepimus. Et proinde utcunque status hujus dominii est adhuc in perplexo, nec prorsus intelligamus, in quam partem res verget, quia tamen cum multiplices regni necessitates tum vero negotium matrimonii nostri, quod posteritati regnoque et dominiis nostris consulentes nunc auspice deo inire debemus, id exigit, ut posthabitis rebus omnibus ad regnum concedamus, venire istuc propediem, relictis hic opportunis presidiis circa fines et rebus utcunque constitutis, decrevimus ad conventum regni generalem agendum et ipsius matrimonii negotium obeundum. Quod utrumque ut simul majori commoditate, majorique nostra et regni universi dignitate transigere possemus, conventum ipsum generalem Cracovie pro festo conversionis S. Pauli proxime futuro statuendum duximus, statuimusque et indicimus presentibus literis nostris. — Quem etiam particularem in Srzoda de more precedere volumus et indicimus pro feria quinta proxima post festum S. Lucie. In Colo vero non est visum nobis ad presens conventum fieri.

Quare Sinceritatem tuam hortamur: ut primum ad eundem particularem conventum, deinde ad generalem cracoviensem veniat, ubi nobiscum una et necessitatibus Reipublice consulet et faustissimum connubium nostrum celebrabit; factura pro officio suo et accessione gratie nostre non vulgari. Datum Vilne die S. Elisabeth.

CCCVII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis minoribus Regni Polonie.

Generose, fidelis, dilecte. Ex diuturna e regno nostro absentia evenerunt multe difficultates Reipublice, quibus consulendis necessarium duximus, istuc in regnum concedere et hinc Cod. R.

MDXVIII. (MDXVII) utcunque rebus hujus dominii in perplexo adhuc constitutis discedere, ut intra id coacte quietis tempus et conventum generalem peragere et nuptias, quas cum posteritati nostre tum regno et dominiis nostris consulentes auspice deo nunc sumus habituri, conficere possemus. Ut autem hoc utrumque negotium commodius et dignius exequi valeamus, nam etiam ad peragendum unum quodque seorsum nullo modo ipsum tempus suppeteret, statuendum duximus statuimusque et indicimus presentibus conventum ipsum generalem Cracovie pro festo conversionis S. Pauli, apostoli, proxime futuro. Quem etiam particularem in Prosszewicze sabbato proximo ante festum S. Prisce, et communem terrestrem in Nova civitate Korczin die S. Prisce de more precedere volumus et indicimus.

Quare hortamur tuam Fidelitatem, ut constituta prius in ipso conventu particulari et terrestri, demum Cracoviam pro tempore designato veniat, consultura una nobiscum et cum aliis consiliariis nostris necessitatibus Reipublice et nuptias celebratura. Factura pro officio suo et gratia nostra. Datum Vilne die S. Catherine a. d. MDXVII.

CCCVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Militaribus.

Cod. R. Generose fidelis dilecte. Ea diuturna a regno nostro absentia evenerant multe difficultates Reipublice etc. ut supra. — Quare hortamur tuam Fidelitatem ut ad ipsum particularem Prosszovicensem et terrestrem Nove civitatis Korczin conventum proficiscatur, illicque auditis ex nuncio nostro necessitatibus Reipublice, quo illis in conventu generali debito modo consuli et provideri possit, operam faciat, ut nuncii ad dictum conventum generalem cum plena potestate deputentur, factura pro Reipublica et gratia nostra. Datum Vilne die S. Catherine a. d. MDXVII.

CCCIX. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneis terrarum.

Cod. R. Generose, fidelis, dilecte. Ea diuturna a regno nostro absentia evenerant multe difficultates Reipublice etc. ut supra. Quare mandamus tue Fidelitati: ut istos conventus proclamari et publicari faciat in omnibus foris et congregationibus populi oppidorum et aliorum locorum publicorum capitaneatus sui, literas nostras, quas ad officiales et nonnullos nobiles scripsimus, ad eosdem mittat et perferri quam primum faciat pro debito suo et gratia nostra. Datum Vilne die S. Elisabethe a. d. MDXVII.

CCCX. Sigismundus, Rex Polonie, Nunciis ad Conventus designatis.

Cod. R. Generose, fidelis, dilecte. Instituimus conventum generalem regni pro festo conversionis S. Pauli proxime futuro Cracovie, quem de more particularis feria quarta proxima post festum

tum Sct. Lucie precedet, ad quem, cognitam habentes tuam industriam et diligentiam, te nuncium designamus volumusque ut illo proficiscaris et mandata nostra juxta instructionem nostram, quam tibi mittimus, exponas adnitarisque omni studio, quo nuncii cum plenaria potestate ad conventum generalem eligantur, ita exigentibus summis difficultatibus Reipublice. Pro gratia nostra, qua hanc operam tibi rependemus. Datum Vilne die presentationis beate Marie virginis a d. MDXVII. Regni nostri anno XI. MDXVIII. (MDXVII)

CCCXI. Legatio ad Conventus particulares.

Gratia regia cunctis nunciata, dicendum:

Quod Mtas. regia per hoc integrum biennium, quo hic in ducatu Lithuanie agit, curavit multifariam, ut hostem suum, ducem Moscovie, reducere ad pacem ineundam potuisset; nihilque Mtas. sua quo id quam celerius perficeret et se hinc explicaret reliquum fecit. — Misit enim dudum oratores suos postulante cesarea Mte. ad eundem hostem, qui una cum illius cesaree Mtis. oratore de concordia tractarent. Miserat etiam exercitus in terram illius, quem magno impendio confecerat, et ipsa usque ad fines cum eo profecta est, ut hostis ipse id, quod optaret, in promptu haberet, sive pacem tractare sive armis decernere. Verum illo pugnam detrectante et interveniente magna temporis inclementia, coacti sunt nostri illinc discedere, facto quidem multo damno, sed non adeo ut Mtas. sua speravit utque ad perdomandam hostilem temeritatem opus videbatur. Et proinde Mtas. sua licet a suis nunciis nihil adhuc acceperit, tamen nullam prorsus de pace spem habet. Cod. R.

Impendit etiam Mtas. sua omnem operam, ut Tartaros in fedus conduceret, ne inter istas Mtis. sue graves occupationes ac difficultatem bellicam, et eam hic impedirent et regno damna inferrent. Miserat enim ad eos Mtas. sua dominum Gastoldum cum pecunia, ut et filium cesaris, quem dare in obsidem fuerant polliciti, ab eis reciperet et fedus jurejurando firmaret, qui tametsi de federe cum illis convenerit effeceritque, ut terram hostis Mtis. sue hoc anno fuerint depopulati; tamen quia obsidem dare recusarunt, parum sibi Mtas. sua de ejusdem federis firmitate pollicetur existimatque oportere ab eis regno et dominiis Mtis. sue diligenter et omni tempore cavere, prout his diebus rupto federe et intra tempus insolitum ad terras Russie et magni ducatus Lithuanie validis copiis sunt ingressi et damnum ingens perpetrarunt.

Preterea magister Prussie magnam in his difficultatibus Mti. sue hostilitatem declaravit premens variis modis subditos Mtis. sue et continuis cum hoste, duce Moscovie, commerciis ita ut Mtas. sua plane intelligat, tum hoc totum bellum ejus opera studioque excitatum esse et in dies magis invalescere, tum omnem illam occasionem et facultatem querere, quo bellum adversus Mtem. suam ordiatur et se a debito sue Mti. prestando eximat.

Quibus de rebus Mtas. sua intelligens magis in dies non minus regno quam huic dominio suo periculum imminere, necessarium putavit intra hoc hibernum tempus statui regni sui consulere utcunque hic omnes res sint in perplexo et discrimine constitute; tamen relictis in

MDXVIII. (MDXVII) in finibus opportunis presidiis concedere ad regnum et conventum generalem habendum statuit.

Et quia Mtas. sua consulere volens sue posteritati et bono statui regni et dominiorum suorum, conjugem nunc auspice deo ducit, nec ad celebrandas nuptias aliud commodius tempus habere potest quam hoc idem, quo se paulo ad regnum subducet et quo ab impetu hostili minus sit verendum, ut tam ipsum matrimonium suum, quam generalem conventum sub eodem ipso tempore transigere valeat cum majori commoditate et dignitate tam sua quam regni universi, indixit conventum generalem Cracovie, nam ad agendum seorsum utrumque negotium nullo modo et tempus ipsum et Mtas. sua sufficere posset.

Quare hortatur Mtas. sua vras. Dtiones. ut super hisce rebus et aliis Reipublice necessitatibus id quod expediret in medium conferant et nuncios cum plena potestate ad generalem conventum de more eligant, cum quibus et aliis dominis consiliariis possit Mtas. sua impendentibus periculis maturo consilio occurrere et quod Reipublice utile et salutare videbitur constituere. Rem necessariam et gratam Mti. sue facture.

Postulatque Mtas. sua, ne graventur vre. Dtiones. nuncios Cracoviam mittere, cum ex predictis causis illic conventum agi sit necesse, ubi illos quoniam remotius vadent, Mtas. sua impensis gratiose providere dignabitur. Datum Vilne die pres. beate Marie virginis.

CCCXII. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis terrarum Prussie

Pro conventu Marienburgensi.

Cod. R. Reverende in Christo pater, sincere nobis dilecte. Gravi et molesto animo hactenus injurias et damna, que subditis nostris ex terra domini magistri inferuntur, audivimus, quibus adesse opportuno remedio nequivimus, cum propter occupationem bellicam, ut Ptas. vra. non ignorat, tum etiam, quia bellum aut quidpiam tale adversus ipsum dominum magistrum non licebat sine communi deliberatione consiliariorum nostrorum tam regni, quam etiam istius terre Prussie ordiri. Nunc autem licet adhuc res nostre sint hic in perplexo, nec ullum finem cum hoste nostro habeamus, tamen nunc relictis in finibus opportunis presidiis ad regnum concedimus, ut sub eo commodiori tempore simul statui terre Prussie et regni consulamus ac matrimonium nostrum, quod posteritati ac dominiis nostris providentes nunc auspice deo inimus, conficiamus. Et ea causa statuimus conventum generalem Cracovie pro festo conversionis Pauli. — In quo ut omnia melius, que ad statum istarum terrarum Prussie attinent, perpendi possint, indiximus etiam et indicimus presentibus conventum earundem terrarum in Marienburgk pro die S. trium regum proximo.

Quare hortamur Ptem. vram., ut constituta prius in eodem conventu et de rebus necessariis in eo, et iis, que per nuncium nostrum proponentur, diligenti consilio habito, demum ad generalem regni veniat. Debitum suum et nobis rem gratam factura. Que bene valeat. Datum Vilne.

CCCXIII. SIGISM.

CCCXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Equitibus Prussie.

Generose fidelis dilecte. Propter multas et arduas Reipublice necessitates, que publica consultatione indigent, statuimus et indiximus conventum istarum terrarum Prussie in civitate nostra Marienburgk pro die S. trium regum proximo, hortamurque te mandantes: ut ad eundem conventum venias et una cum consiliariis nostris de iisdem necessitatibus ac aliis, que per nuncium nostrum proponentur, consulas pro debito suo et gratia nostra. — Datum Vilne. MDXVIII. (MDXVII) Cod. R.

CCCXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Capitaneis Prussie.

Generose fidelis dilecte. Propter multas et arduas Reipublice necessitates, que publica consultatione indigent, statuimus et indiximus conventum istarum terrarum Prussie in civitate nostra Marienburgk pro die S. trium regum proximo, mandamusque tue Fidelitati: ut illum proclamari et publicari faciat in omnibus foris et congregationibus populi oppidorum et aliorum locorum publicorum capitaneatus sui. Ipsa etiam Ftas. tua ad eundem conventum veniat et una cum consiliariis nostris de iisdem necessitatibus ac aliis, que per nuncium nostrum proponentur, consulat pro debito suo et gratia nostra. Datum Vilne. Cod. R.

CCCXV. Legatio a Sigismundo, Rege, ad Conventum Prussie.

Constat jam satis vris. Dtionibus. quanta damna quanteque injurie inferantur rev. domino episcopo et ejus ecclesie varmiensi ceterisque subditis Mtis. regie e terra dni. magistri, que quo diutius a Mte. sua tolerantur, eo in dies magis pullulare videntur, datque patientia Mtis. sue quoddam incentivum dno. magistro et premendi audentius subditos ejus Mtis. et erga illam omnia adversa et hostilia moliendi. Compertum enim habet Mtas. sua, illum queri ubique de se et subditis suis et ea, que ipse facit vel facere permittit, impingere Mti. sue et ejus subditis, et cum Rome tum in Germania ubique auxilia sibi contra Mtem. suam querere. Quibus de rebus Mtas. sua intelligens noxiam esse suam tolerationem sibi et subditis suis, quam hactenus habuit, partim vitans cum necessario et christiano principe bellum ordiri, partim existens Mtas. sua alterius belli occasione districta, ferenda ulterius tot damna, injurias et molimina adversum se non putavit. Et utcunque res lithuanice adhuc sunt incomposite; tamen intra hoc hibernum tempus Mtas. sua, positis illic in finibus opportunis presidiis, ad regnum concedere et tam rebus hujus terre, quam aliis regni necessitatibus consulere statuit, quod una cum nuptiis suis, quas nunc Mtas. sua posteritatis Cod. R

et

MDXVIII. (MDXVII) et dominiorum suorum causa, Deo auspice, est habitura, commodius et honorificentius exequi possit, indixit Cracovie generalem conventum regni pro festo conversionis Sct. Pauli, apostoli, in quo nolens sua Mtas. quidquam, inconsultis prius vris. Dtionibus. statuere, presertim quod ad res harum terrarum attinet, hortatur illas, ut hic prius inter se conferant et consulant: utrum Mtas. sua provocata tot injuriis et contumacia dni. magistri, novum bellum adversus illum ordiri debeat, nec ne? Et quibus modis frenare illum et debitum suum ab illo exigere consultius videretur, et designatis aliquibus consiliariis de medio vestrum super eis suam sententiam ad conventum generalem significent: facture vre. Dtiones. pro bono statu et communi necessitate ac gratia Majestatis regie.

Postea consulto prius secretius dno. episcopo varmiensi et aliquibus majoribus: si postulandum putarent, ut contributio aliqua decerneretur pro defensione ipsius terre Prussie; tunc publice dicendum erit: Mtem. suam postulare, ut statuerent pro defensione Reipublice sue contributionem aliquam, quandoquidem Mtas. sua illam ad nullam alium usum esset conversura prout et illam, que data est, Mtas. sua intactam adhuc reliquit, conservans illam ad id opus, quod videt sibi ratione ejusdem terre incumbere. Alioquin faciendum ita erit, ut domini consulent. Datum Vilne.

Chronica.

MDXVII.	III Decembris.	Rex ex Vilna discessit ad Poloniam post Opoczkam oppugnatam.
MDXVIII.	I Januarii.	Sigismundus Rex ex Lithuania Cracoviam venit hora XVI ad futuras nuptias cum Regina Bona.

CCCXVI. Ordinatio ad defendendum Regnum. Sigismundus primus, Rex Polonie etc.

Cod. R. Cum in hoc generali conventu super omnibus regni nostri actionibus et necessitatibus domesticis et bellicis cum consiliariis nostris deliberando et consultando ageremus, inter cetera ea visa sunt majoris momenti, que ad defensionem terrarum ejusdem regni nostri attinent, et ad propulsandos hostiles impetus, qui ab aliquot partibus non sine gravi periculo imminere videntur, atque ideo prima deliberatio et constitutio ejusdem future defensionis visa est facienda, cujus seriem subsequenti ordine demandavimus subnectendam.

Imprimis autem, ut miles mercenarius ad presidia terrarum Russie currentis anni conscribi et teneri possit, constituimus et decrevimus consulente et assentiente senatu regni et nunciis a terris ex particularibus conventibus ad hunc generalem missis: ut hoc anno singularum villarum totius regni incole tam nostrarum quam etiam quorumcunque subditorum nostrorum spiritualium et secularium ex agris suis, quos laneos vocant, singulos fertones in manus exactorum contribuant et solvant.

Item

Item civitates et oppida duorum grossorum, ut cerevisie contributiones solitas contribuant et solvant. Sed quia potentia tartarica adeo invaluit atque aucta est, ut hec ipsa presidia supra dictarum contributionum mercede conscribenda ad sustinendum hostilem impetum non satis valida, nec eidem hostili potentie ad resistendum paria esse videantur, itaque ad earundem terrarum Russie defensionem aliam ordinationem eo ipso senatu regni nostri consulente et assentiente, nunciisque terrarum in eorum sententiam euntibus, constituimus et decernimus, ut regnum trifariam divisum singule partes ejusce divisionis hinc ad triennium singulis annis expeditione per nos indicta debeant militare. Ad quam expeditionem vel ipsi ituri sunt vel loco sui homines idoneos armis et equis instructos missuri, et quoad necessitas postulabit una cum supra dicto mercenario milite in ipsa expeditione permansuri. MDXVIII.

Terre igitur Minoris Polonie anno nunc currente militabunt. Militia vero terrarum Russie, que majoribus bellicis periculis quam relique terre sunt exposite, cum eis militabit.

Sequenti autem biennio terre Majoris Polonie bifariam divise similiter per se vel per vicarias personas supradicto modo militabunt. Ita ut uno anno nobilitas palatinatus posnaniensis, calissiensis, siradiensis et lanciciensis armis et equis instructa expeditione per nos indicta in Russiam proficiscatur, altero vero anno nobilitas palatinatus brestensis, junivladislaviensis, plocensis, ravensis et dobrinensis id ipsum supradicto modo exequatur.

Item hoc ipso sequenti biennio illa pars regni, que in expeditione erit, ex singulis agricolis singularum villarum integros laneos agri habentibus sex grossos contribuet.

Ex civitatibus autem et oppidis mediam partem solite exactionis et item contributionem solitam cerevisie queque persolvet, ut et mercenariis, sine quibus ista expeditio fieri non potest hinc pro mercede satisfiat et reliqua bellica onera absolvi et perfici possint.

Item ville ecclesiastice concordantes cum villis nostris et secularium subditorum nostrorum, quia dominis suis nihil in expeditionem contribuent, loco contributionis sex grossorum, fertones tunc persolvent, quando illa pars regni, in qua site sunt, ibit ad bellum.

Secularium etiam ville, quando sub hoc sequenti biennio domini earum vacationem a bello habebunt, similiter ex singulis laneis singulos fertones ad obeunda predicta bellica onera persolvent.

CCCXVII. Leo, Papa X., Sigismundo, Regi Polonie.

Charissime in Christo fili noster. Salutem et apostolicam benedictionem. Gratissimus admodum nobis fuit oratorum tuorum ad nos nuper destinatorum adventus, opportune enim venerunt; nam cesaree Mtis. ac christianissimi et catholici Anglieque et Portugalie regum aliorumque principum christianorum oratoribus ex forte eodem tempore convocatis, proposueramus, que pro sancta et salutifera contra Turcas expeditione suscipienda et prosequenda agendaque forent, quibus omnibus Mtis. tue oratores interfuerunt, placuitque nobis plurimum multa per eos in negotii hujus consultatione et discussione hinc inde facta audivisse, prout latius dilectus filius Laurentius, prepositus vilnensis, orator et secretarius tuus prudens Cod. R.

MDXVIII. dens et diligens Mti. tue postquam redibit referet. A quo etiam percepimus, Celsitudinem tuam duplex nunc bellum et utrumque grave ac necessarium, unum contra Moschos scismaticos pertinacissimos, alterum vero adversus Scithas Tartaros pro fidei catholice defensione simul gerere. In quibus quidem bellis omnipotens et clementissimus deus, qui sperantes in se non deserit, et in cujus manibus omnis consistit, victoria pios conatus tuos prosperet ac secundet.

Retulit quoque nobis idem Laurentius, orator, Turcarum tyrannum oratorem ad Mtem. tuam e Damasco Syrie civitate misisse, ut diuturniorem tecum treugam firmaret. Cum quo licet induciarum ejusmodi fedus non pepigeris, tamen per proprium oratorem tuum opportunum se illi responsum desuper daturum repromisit, quod ea potissimum ratione fecisse diceris, ut interim sub hac temporis dilatione certam de expeditione communi adversus Christi nominis hostes jam diu expectata acciperes determinationem, presertim cum eodem tempore, quo Turcarum orator ad te venerat, litere nostre super ipsa expeditione Mti. tue reddite fuissent. Qua in re laudamus plurimum et approbamus prudens tuum hujusmodi consilium, quo et tibi et universe Christianitati consulere et nobis atque huic sancte sedi te conformari volueris. Et quoniam ex ipsis oratoribus tuis intelleximus: Amplitudinem tuam exercitum equitum ac peditum validissimum exercitatissimumque ad numerum militum LX milium et ultra facile comparare posse, qui robore et arte non solum Turcis resistere, verum etiam illos superare et profligare consueverunt; iter quoque pervium planum et apertum Bisanthium usque sibi patere ac insuper Mti. tue peculiari quadam gratia a deo salvatore nostro concessum esse, ut in preliis suis victoriam semper et triumphum de inimicis fidei gloriose reportet, sed unum duntaxat sibi ad hoc fore necessarium, ita providere, ut exercitum ipsum, qui absque magna pecuniarum summa parari et contineri non potest, opportunis ac debitis modis sustinere et manutenere valeas, nos, quorum omnis nostra cura et cogitatio ad presens versatur, quonam pacto formidabilem potentiam horrendamque sevitiam Turcarum tiranni ad subversionem exterminiumque christiani nominis, tremendos belli apparatus terra marique preparantis, ad nihilum reducere, et Christianos sub ejus duram servitutem redactos a servitutis jugo liberare, ac sperantes non minus hoc tua quam aliorum principum et regum christianorum opera, dextera domini nobis assistente propitia, confici posse, deliberavimus, ut dictus Laurentius orator, ad Mtem. tuam quam primum redeat et super iis cum ipsa mature et diligenter, que facere speret et intendat, omnia conferat nobisque deinde per eum vel alium mentem suam plene declaret. Nam si cognoverimus, auxilia nostra Mti. tue ac hujusmodi necessarie expeditioni juxta pium et sanctum desiderium nostrum profutura et bonum effectum sortitura, pollicemur ex animo Celsitudini tue: nos ad effectum premissum nihil, quod per nos fieri possit, pretermissuros. Interim autem Mtem. tuam hortamur ac pie in dno. requirimus: ut predictam treugam ad aliquod congruum tempus firmiter concludendam omni mora postposita mittere non negligat. Cetera autem tam quoad commissionis processus super canonisatione beati Casimiri votivam expeditionem, quam quo ad alia Mtas. tua ex eodem Laurentio, oratore suo, quem ad ea destinare decrevimus coram plenius intelliget, cui plenam in iis fidem

fidem adhibebit. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XIII Decembris MDXVII., pontificatus nostri anno quinto. MDXVIII.

CCCXVIII. Ludovicus, Hungarie et Bohemie Rex, Sigismundo, Regi Polonie, patruo.

Serme. princeps etc. Scribit nobis Mtas. vra. egre se animo tulisse in causa Illris dni. Casimiri, ducis tessnensis, adversus ducem ratiboriensem diem per nos dictum fuisse, non habita ratione petitionis Mtis. vestre, que fuit, ut causa ad ejus felicem in Poloniam reditum suspenderetur, rogatque nos iterum, ut illam soluto termino, qui indictus fuerat, differamus, se nobis ubi redibit significaturam asserens, quid vel sibi vel regno suo in ejusmodi causa incumbere videbitur. Cod. R.

Ceterum scribit nobis Mtas. vra. suum in Bohemiam oratorem se misisse licet ignoret, utrum conventus bohemicus procedat; prius autem mittere noluisse, quod viderit hujusmodi missionem nobis nihil commodi, sibi vero nonnihil indignitatis et dispendii afferre consuevisse.

Quod itaque pertinet ad causam dni. ducis tessnensis, nihil profecto egimus, quod Mtem. vram. movere debuerit. Nam ab eo tempore, quo causa coram nobis agitari cepta est, eos semper constituimus terminos, quos ipse dux tessnensis optavit. Postremo vero, ubi idem dux causam ad Mtis. vre. reditum differri postularit, et id etiam in votis Mtis. vre. esse cognovimus, preter omnem difficultatem distulimus, satisque fecimus et Mtis. vre. voluntati et ipsius ducis desiderio, significavimusque literis nostris duci adversario i. e. ratiboriensi hujus cause suspensionem, monentes eum, ut ad terminum, qui ad festum circumcisionis domini proxime preteritum indictus fuerat, ad nos se frustra non conferat. Miramur itaque vehementer, unde sit Mtas. vra. aliter quam se res habeat informata. Nam non in hoc solum sed in omnibus etiam aliis rebus Mti. vre. semper gratificari et morem gerere atque obsequi parati sumus.

Quod autem Mtas. vra. oratorem suum in Bohemiam miserit et res nostras hoc pacto curaverit, agimus habimusque eidem maximas gratias. Verum quid illic orator Mtis. vre. hoc tempore expediat, non videmus. Rogaveramus Mtem. vram., ut oratores suos ad conventum hungaricum, qui fuit in festo S. Michaelis proxime preterito, mittere dignaretur, rogaveramus etiam cesaream Mtem., ut ipsa quoque mitteret, eo consilio, ut hinc collatis et concordatis instructionibus cum nostris oratoribus una ad conventum bohemicum, qui ad festum S. Martini indictus fuerat, proficiscerentur. Miserat ad nos imperialis Mtas. suos et quidem insignes oratores, qui multos dies hic steterunt, ad Bohemiam tamen profecti non fuerunt, nec illi nec nostri tum propter absentiam oratorum Mtis. vre. tum quia res bohemica ante festum beati Martini utcumque composita, vel saltem sedata fuisse dicebatur, tum etiam, quia dum incendia bohemica curamus restinguere, tanta et tam periculosa subito seditio in conventu beati Michaelis inter dnos. Hungaros orta fuit, ut nihil minor bohemicis motibus esse videretur, tantaque perturbatio res nostras invasit, ut quid agendum

 nobis

MDXVIII. nobis foret prorsus nesciremus. Quamquam autem hec seditio tum sine cede compressa est, id quod divino potius quam humano consilio factum putamus, tamen odia et simultates magis ac magis augentur, et veremur, ne illa in futuro conventu, quem propediem necessario iterum celebrare cogimur, in grande aliquod periculum erumpat. Laboratur siquidem inter ordines pro concordia, sed nescimus quibus animis. Nos signa pacis et concordie future nulla videmus. Cogimur, inquam, celebrare conventum, nam res nostre non perturbate solum sunt, sed etiam adeo neglecte, ut nec confinibus extrema propemodum pericula patientibus succurrere, nec domesticas necessitates, que quotidie augentur, evitare possimus. Et nisi tempestive aliter provisum fuerit, brevi futurum est, ut ipsa quoque dignitas nostra regia per inopiam turpiter opprimatur, sicuti autoritas jam pene est oppressa. Quare Mtem. vram. ut patruum nostrum charissimum, immo ut alterum patrem observandissimum, summopere rogamus: nolit nos in tantis rerum perturbationibus et fluctibus discordiarum constitutos deserere, sed dignetur nostri curam cum ces. Mte. accuratius suscipere et eos quoque, qui nobis fideliter serviunt, defendere. Nam si se Mtas. vra. a nobis, quod non credimus, abstraxerit et non cito ambabus manibus frigidiusve se ad preces nostras exhibuerit, regnum hoc procul dubio periclitabitur, et quidem propediem, et nescimus profecto, quid etiam de salute nostra sperare possimus. Imminent enim foris bella et ea quidem crudelissima, intus vero seditio nihilominus periculosa, que sedari, si nos bene introspicimus in animos eorum, qui autores sunt, sine opera et sine cura Mtis. vre. vix poterit, de quibus rebus Mti. vre. propediem plura nunciabimus et quid actum sit et quid futurum speretur, declarabimus.

Quod reliquum est, Mtem. vram. iterum atque iterum rogamus, dignetur esse memor nostri et rebus nostris multum certe fatigatis et attritis quam primum succurrere et non pati sanguinem nostrum, qui suus est, majoribus procellis conquassari.

De rebus bohemicis scripsimus dno. Leoni, castellano nostro pragensi, ut nobis ea omnia, que in conventu ipso bohemico ordinata et conclusa sunt, rescribere debeat, que omnia etsi Mtas. vra. ex suo oratore intelligere posset; tamen nos quoque omnia, cum primum ex dno. Leone certiores facti fuerimus, eidem perscribemus. Deus opt. max. annuat, ut Mtas. vra. hunc novum annum feliciter auspicetur, felicius continuet, multosque in sequentes annos quam felicissime ineat. Cui nos et res fortunasque nostras afflictas unice commendamus. Datum Bude in festo Epiphaniarum domini MDXVIII., regnorum nostrorum Hungarie et Bohemie anno secundo.

CCCXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Hungarie et Bohemie regi.

Cod. R. Serme. princeps etc. Expendentes nobiscum difficultates et pericula impendentia communibus regnis nostris nec non vim et conatum Infidelium ac turbas intestinas reipublice christiane; audientesque conventum regni Hungarie pro festo S. Georgii proximo de more futurum; licet confidimus, Mtem. vram. nihil pretermissuram, quod ad consulendum quam optime

optime statui suo videbitur expedire, pro nostro tamen debito et summa de illa sollicitu- MDXVIII.
dine rogamus eam impense: velit non adeo ab externis suppetiis dependendo curam et studium omne ad hoc unum dirigere, ut statuere possit in ipso futuro conventu aliquem modum et ordinem opportunum, quo statum et regnum suum Hungarie a presenti discrimine tueri et conservare valeat. Nam de nobis quidem Mtas. vra. omnia sibi polliceri potest, quecunque in illam et ejus regnum prestari a nobis posse videbuntur. Verum quid de aliis uterque nostrum polliceri nobis debeamus, non videmus. Et proinde rogamus etiam atque etiam Mtem. vram.: ita se comparet, ut tueri et conservare se et statum suum posset, alioquin omnia in ruinam, quod omen deus avertat, dabit et generi nostro charissimo perpetuam notam inuret.

CCCXX. Sigismundus, Rex Polonie, Ludovico, Hungarie et Bohemie regi.

Serme. princeps et dne. nepos noster charissime. Rediens a vra. Mte. orator noster, venera- Cod. R.
bilis Joannes Karnkowski, prepositus skarbimiriensis, retulit nobis de bona et prospera valetudine ejusdem Mtis. vre., qua nihil gratius audire potuimus; in illa enim nunc sola tota spes et solatium posteritatis nostre recumbit. Declaravit etiam idem orator noster motus et dissensiones intestinas regni vre. Mtis., quod non libenter audivimus; quantum enim detrimenti afferre solent regnis et dominiis omnibus tales discordie intestine, nemo est qui nesciat. Et proinde cordi habentes statum Mtis. vre. non secus atque nostrum proprium, impendere volumus studium et operam omnem, uti hactenus pro virili nostra fecimus, quo ejusmodi dissensiones in regno vre. Mtis. sedentur omniaque ad bonum illius statum pertinentia in debitum ordinem redigantur. Intelligentesque habituram Mtem. vram. in proximo conventum generalem regni sui, statuimus ad eum oratores nostros insignes mittere, qui cum cesaree Mtis. oratoribus nomine utriusque nostrum id omne agent, quod ad componendos intestinos motus et discordias tollendas atque ad redigendum omnia pro bono statu Mtis. vre. et regnorum ejus expedire videbitur. Verum si conventus ipse fieri deberet ad festum S. Georgii proximum, valde nobis incommodum esset tunc oratores mittere Nam habituri sumus auspice deo illis diebus nuptias nostras faustissimas, pro quarum celebritate et honore nostro vellemus omnes consiliarios nostros adesse; rogamusque Mtem. vram., ut, si ita esset, terminum ejusdem conventus ad tres saltem hebdomadas, post festum S. Georgii differret, alioquin, si fieri non posset aliter, nos utcumque cum incommodo nostro mittemus ipsos oratores ad tempus quodcunque et in nulla re Mti. vre. deerimus, neque hinc nos tantisper usque movebimus, donec bonum statum vre. Mtis. et ejus regnorum intelligemus restitutum, etiam si istuc ipsi ad vram. Mtem. proficisci deberemus. Felicissime valeat Mtas. vra. et nos diligat.

Ad conventum Hungarie missi fuerunt
Andreas de Thanczin et Joannes Karnkowski.

CCCXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Thome, Archiepiscopo Cardinali Strigoniensi, Georgio, Epo. Quinqueecclesiensi et ceteris dominis Hungaris.

MDXVIII Cod. R. Libenter vidissemus, quod conventus iste regni Hungarie, qui statutus est ad diem. S. Georgii, fuisset ad aliquem alium terminum productus, ut nos, confectis felicissimis nuptiis nostris, commodius ad illum oratores nostros mittere potuissemus. Sed cum ita sit factum, rebus et necessitatibus istius regni id exigentibus, expedivimus quam celerius fieri potuit mgcum. Andream de Thanczin, palatinum lublinensem ac chelmensem et rathnensem capitaneum, et venerabilem Jo. Karnkowski, prepositum skarbimiriensem et canonicum cracoviensem, secretarium nostrum, sincere nobis dilectos, ad agendum et consulendum nostro nomine, una cum tua Pte. et aliis dominis consiliariis regni istius pariterque oratoribus cesaree Mtis. ea, que ad regimen bonum et tranquillum statum S. dni. regis Ludovici et regnorum ejus pertinere videbuntur. Commisimus tamen eis, ut in omnibus consilio vre. rme. Ptis. inuitantur, freti ejus erga nos integra fide et benivolentia. Quare postulamus ab ea, ut quidquid expedire iutelliget, quod idem oratores nostri agere deberent, eis suggerere et adesse favore et consilio suo velit. Factura rem suo erga nos studio ac nostra de se fiducia dignam. Quam illi vicissim omni benivolentia nostra referre curabimus. Que bene valeat. Datum.

Sigismundus, Rex Polonie, Andree de Thanczin, Palat. Lublinensi, Joanni Karnkowski, Canonico, Secretario, Oratoribus ad Ludovicum, Regem Hungarie, missis.

Cod. R. Mgce. et venerabilis et devote nobis dilecte. — Existens hic apud nos Illris. dnus. marchio Kasimirus, nepos noster, ostendit nobis instructionem, quam habent oratores cesaree Mtis. ad conventum istum hungaricum. In qua cum nonnulla sint seorsum cum Sermo. domino rege Ludovico agenda, que celari est opus – possent enim, ubi palam forent, concitare motum aliquem in isto regno — volumus ut ipsos oratores cesareos admoneatis, quo ea commissa et caute coram eodem dno. rege Ludovico loquantur, et deinde coram aliis diligenter celent. Vos etiam quando vobis illa communicabunt, secreto habeatis. Ceterum intelleximus, jacta esse jam nonnulla fundamenta concordie inter dnum. vojevodam Transilvanie et Burnemissa: quando id negotium confici debebit et res eo veniret, ut se ipse Burnemissa abdicari officio suo castellanatus ad tempus deberet, volumus, ut cum Illri. dno. marchione agatis et persuadeatis illi, ut ipse interim eodem officio fungeretur: ne aliquis alter ad illud positus se adeo firmaret, ut deinde amoveri non possit. Et quia ipse Illris. dnus. marchio agit istic circa dnum. regem Ludovicum magno suo impendio neque aliquod

aliquod subsidium illi preberetur, volumus, ut agatis in consilio nomine nostro, quo idem dominus marchio provideatur ita, ut in mansione sua circa eundem dnum. regem Ludovicum jacturam non patiatur. Pro industria vestra et gratia nostra facturi. MDXVIII.

CCCXXII. Ludovicus, Hungarie et Bohemie Rex, Sigismundo, Regi Polonie.

Salutem fraterni amoris ac felicium ac prosperorum succesuum continua incrementa. Ex literis Mtas. vre. datis Cracovie die XVII Martii intelleximus, oratorem Mtis. vre., qui proxime apud nos fuit, ad eam rediisse motusque hujus regni nostri eidem declarasse, reque intellecta consuluisse Mtem. vram. ad conventum nostrum futurum oratores suos mittere, qui hujusmodi motibus sedandis rebusque nostris componendis presentes operam impendant, neque Cracovia discedere donec statum nostrum restitutum cognoscat, et non oratores solum mittere, sed semet ipsam etiam huc conferre, si res ita postularent. Verum cum dies nuptiarum felicissimarum Mtis. vre. in idem fere tempus inciderit, quo conventus noster futurus, optare Mtem. vram., ut ejusmodi conventus nostri celebratio in aliud tempus paulo ulterius rejiceretur, quo post nuptias ipsas Mtas. vra. suos oratores commodius mittere ad conventum posset. Cod. R.

Quod itaque Mtas. vra. pro suo in nos amore proque fraterna pietate de nobis tantam curam gerit tamque de rebus nostris est sollicita, ut quam nos optaverimus ipsa ultro multo plus nobis offerat; nam ubi oratores petimus, Mtas. vestra se ipsam exhibet, et ut rebus nostris consulere possit suas posthabere non dubitat, agimus Mti. vre. gratias ingentes et ubi per etatem licebit etiam cumulatissime referemus. Tam benignam enim Mtis. vestre oblationem et tantam susceptam pro nobis sollicitudinem nulla unquam etas memoria nostra excutiet, nullaque delebit oblivio.

De ratione autem dilationis conventus nostri multa cum his dominis, quos particulariter ad dominicam Judica proxime preteritam ob confiniorum nostrorum pericula vocari ad nos feceramus, tractavimus; nondum enim a nobis discesserant, cum predicte litere Mtis. vre. nobis redderentur. Qua in re Mtis. vre. desiderio, si res paterentur, libentissime satisfaceremus, esset enim hoc non minus e re nostra. Nam sicut Mtas. vra. per hanc dilationem suos oratores ad conventum nostrum, ita nos quoque nostros commodius ad nuptias ejusdem mittere possemus. Verum et nobis et consiliariis nostris visum est, nulla ratione fieri posse, ut conventus ipse a statuto die, qui est festum beati Georgii martiris proxime venturum, ulterius differatur, tum quia publice jam indictus est literis per totum regnum missis, que revocari non possunt, tum quia dilationem ipsam necessitas confiniorum pati neutiquam potest, et propterea veremur, ne etiam interea aliquod grande periculum eveniat. Longe enim pejus se habent ipsa confinia quam ut vel explicari vel credi possit. Quam ob rem Mtem. vram. ex illa fiducia, quam in ipsam singularem habemus ac pro jure necessitudinis nostre et fraterne charitatis, plurimum rogamus: non gravetur etiam cum aliquo incommodo suo ad predictum festum S. Georgii oratores suos huc mittere. Nam quem-

 admodum

MDXVIII. admodum comitiis dissolutis frustra venirent, ita si tempestive veniant et ad motus sedandos et ad res nostras componendas statumque nostrum restituendum, eorum presentia multum est utilis futura. Quidquid sequetur ex eisdem Mtas. vra. ad unguem intelligere et quid tandem de reliquo faciendum sit, ex rebus ipsis consilium capere poterit. — Deus opt. max. Mtem. vram. una cum Illma. sponsa sua charissima et liberis quam felicissime conservet. Datum Bude in dominica Ramispalmarum, a. d. MDXVIII., regnorum nostrorum Hungarie et Bohemie anno tertio.

CCCXXIII. Legatio a Sigismundo primo, Rege Polonie, ad Conventum regni Hungarie missa.

Cod. R. Post dictam salutem referendum in primis: Mtem. regiam libenter id vidisse, quod conventus generalis regni Hungarie, qui statutus est ad diem S. Georgii, fuisset ad aliquem remotiorem terminum productus, ut Mtas. sua confectis suis felicissimis nuptiis, a quibus consiliarios suos aliquos dimittere indecorum putavit, potuisset commodius oratores suos ad eundem conventum expedire. Verum quando Mtas. sua intellexit, sic fieri oportuisse propter impendentes necessitates illius regni Hungarie, misisse illuc Mtem. suam vras. Dtiones. quam celerius potuit, qui nomine Mtis. sue interessent ipsi conventui et consilium studiumque opportunum una cum consiliariis Sermi. dni. regis Ludovici et oratoribus ces. Mtis. ad bonum et tranquillum ejusdem Sermi. dni. regis Ludovici et illius regni sui Hungarie statum in medium conferrent.

Quodque Mtas. regia audiens in eodem regno Hungarie graves simultates et dissensiones invaluisse et statum tam Sermi. dni. regis Ludovici, quam ipsius regni Hungarie absque debito ordine agitari idque moleste et dolenter ferens propter multiplicia discrimina, que ex talibus intestinis discordiis provenire solent, commisit Mtas. sua vris. Dtionibus. una cum oratoribus cesareis id omne agere, tractare et disponere, quod ad communem unitatem et amorem atque ad restituendum bonum ordinem et regimen tam in persona illius Mtis. regie quam regni sui Hungarie pertinere videbitur. Est enim Mti. sue maxime cordi, ut id denique perfici possit, cum de statu Sermi. illius regis nepotis sui et ejus regnorum non minus sit sollicita, quam de suo proprio.

In his autem et omnibus aliis rebus omnia agenda tractanda et disponenda juxta consilium et instructionem dni. cardinalis Strigoniensis, dni. Quinqueecclesiensis, dni. palatini regni et aliorum benivolentium nostrorum. Super omnia vero nihil loquendum agendumve absque mutua intelligentia et consilio oratorum cesaree Majestatis.

Si discordia inter dnum. vojevodam Transilvanie, comitem Themesiensem, epum. Transilvaniensem et dominum. Bornemissa posset iis mediis componi, quibus jam per dnos. regni Hungarie est colloquutum, operam Dtiones. vre. facient. Sin aliquid sit immutatum, curabunt omni studio, ut ipsa discordia in primis tollatur modis quibuscunque. Nam ea fieri non potest absque magno Sermi. dni. regis et communis illius regni Hungarie status detrimento.

Declarabunt

Declarabunt Dtiones. vre. in communi consilio excusam esse in Slesia magnam copiam monete false sub insigniis regni hujus Polonie, qua in re esse inculpatum ducem rathiboriensem et id per multos falsarios, qui puniti sunt, confessum esse. Quod Mtem. suam tanquam ingens damnum sui regni nolle surda aure preterire, postulareque: dnos. regni Hungarie consulerent Mti. sue, utrum actionem juridicam aggredi pro hac injuria cum dicto duce debeat necne. Et si aggrediendum censuerint, velint ad judicium aliquos ex ordine suo mittere, quando Mtas. sua tempori de hoc illos certiores faceret. MDXVIII.

Referendum etiam: cudi monetam in Swidnicza sub forma monete et insigniis Mtis. regie sub titulo Sermi. dni. regis Ludovici, que nihil ab hac moneta regni Polonie dignosci potest, petendumque, ut eadem moneta non permittatur ulterius cudi in damnum non mediocre regni Polonie.

Agendum seorsum cum dnis. iis, ad quos Dtiones. vre. literas habent credentiales, de impendentibus periculis illi regno ex intestinis odiis et malo ordine et regimine tam persone regie, quam Reipublice, ut curarent, quo et illa Mtas. regia in debita dignitate et rebus ad statum ejus pertinentibus melius provideatur et ordo regni ac defensio necessaria constituatur.

Quod sepe actum fuit cum dominis regni Hungarie, ut ex hoc et illo regno mitterentur oratores ad fines, qui utrinque inter homines finitimos injurias cognoscerent et componerent, et ad prefinitum tempus ac locum misisse aliquotiens Mtem. regiam suos oratores, ex Hungaria vero neminem unquam venisse. Agendumque per vras. Dtiones., ut jam certus terminus conventus ipsorum oratorum statuatur et qui istud onus obire debebunt, deputentur et mittantur ad locum deputatum, neque in ea re Mtas. regia deinceps frustraretur.

Si dominus Vacciensis egebit patrocinio aut commendatione vrarum. Dtionum. in rebus suis, id illi prestabunt nomine regio, similiter et domino Pisoni et doctori Hanel.

De expeditione christiana contra Turcum, quem animum habebunt dni. Hungari et quod in ea re responsum dabunt summo pontifici et ces. Mti., vestre Dtiones. etiam intelligere curabunt.

Reliqua committere Mtem. regiam fidei et prudentie vrarum. Dtionum., ut quidquid intelligent ad dignitatem ejus Mtis. et commodum Sermi. dni. regis Ludovici pertinere, et quod etiam supra dicti domini benivolentes Mti. sue suggerent, id sedulo exequantur nihil tamen, ut prius dictum est, absque mutua intelligentia et consensu oratorum cesaree Mtis. facture.

Pars Legationis ad Moravos, a Sigismundo, Rege Polonie.

Quod sacra Mtas. regia intellecta difficultate et inquietudine marchionatus Moravie propter nonnullos, qui ei diffidaverunt pro officio suo tutorio et summo desiderio, quo tenetur erga bonum et tranquillum statum cum omnium subditorum Sermi. nepotis sui, dni. regis Ludovici, tum singillatim marchionatus Moravie, cujus officia et propensionem in se non vulgarem cognovit, miserit vram. Dtionem. ad eum conventum, ut pariter cum illis dominis ageret

MDXVIII. ageret et consultaret in commune de iis omnibus, que ad communem bonum statum dicti Sermi. dni. regis Ludovici et marchionatus ipsius Moravie pertinere viderentur, qua in re fidem, studium et operam suam omnem offeret et pollicebitur.

Ceterum non latere illos dominos de excusione false monete sub signis Mtis. regie in Slesia et quantum damnum regnum ejus Mtis. inde ceperit, quam rem nolle Mtem. suam leviter transire, sed ne quid inconsulto aggredi videretur, presertim cum aliqui ex his falsariis, quos Illris. dux dnus. Casimirus Theschnensis ad postulationem Mtis. sue punire fecit, inculparint dnum. ducem Rathiboriensem, postulare Mtem. suam ab illis dnis. Moravie consilium et sententiam in hac re, qualiter eam cum dignitate sua prosequi deberet ut tante regni sui injurie et damno non deesse videretur.

CCCXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Friderico, Duci Legnicensi et Brigensi.

Cod. R. Non est incognita vre. Illti. controversia inter dnos. duces teschnensem et ratiboriensem nata super cusione false monete, cujus judicium cum sub eo tempore, quo et celebritas nuptiarum nostrarum statutum est, ad quam etiam dominum teschnensem ducem invitavimus, vram. Illtem. nos tanquam tutor Sermi. nepotis nostri, domini Hungarie et Bohemie regis, hortamur, ut ejusdem cause et contraversie judicium ad magis consentaneum tempus rejiciat et proferat. Rem dignam et nobis magnopere gratam factura. Que bene valeat.

CCCXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Maximiliano, Cesari.

Cod. R. Serme. princeps et domine. — Non est incognita Mti. vre. controversia inter Illtres. Slesie duces, teschnensem et ratiboriensem, ratione cusionis false monete exorta. Cui quidem controversie judicande coram reliquis Slesie ducibus et proceribus, terminus ad tertiam dominicam post festa Pasche, que Jubilate dicitur, est statutus, quo nos quoque tempore nuptias nostras faustissimas celebrare decrevimus. Ad quas quia eorum alterum, teschnensem scilicet, utpote affinem nostrum invitavimus: rogamus sacrum Mtem. vram., dignetur literis suis duci legnicensi, illius terre capitaneo, tanquam tutor Sermi. nepotis nostri, domini Hungarie et Bohemie regis, injungere, nam et ipsum quoque ad easdem nuptias invitavimus, ut supradicte cause et controversie judicium in aliud juri dicendo magis consentaneum tempus rejiciat et proferat. Datum Cracovie.

CCCXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Georgio, Marchioni Brandeburgensi.

Illme. princeps. Quod nobis scripsit Illtas. vra., se apud nos delatam esse, et venire velle ad nos et se nobis purgare, non opus est, ut id faciat, vel de hac re habeat ullam sollicitudinem: scimus enim qualiter nos gerere erga eos, qui nobis sanguine conjuncti sunt, et que de illis credere debeamus, et presertim de vra. Illte., cujus virtutem et animi inintegritatem erga nos abunde perspeximus, tamen si venire huc pro decore nuptiarum voluerit, uti eam rogavimus, nos illam libentissime videbimus. Et bene valeat vra. Illtas. Datum Cracovie. MDXVIII Cod. R.

CCCXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Isabelle de Aragonia, Duci Barensi, Socrui.

Illustrissima princeps et domina mater nostra charissima. Accepimus literas vestre Illtis. datas XXVI Decembris, quibus nobis significavit, contracta esse, auspice domino deo, sponsalia inter nos et Sermam. dnam. Bonam, filiam suam, seque illam jam recta ad nos proficiscentem eam Neapolim conduxisse, declaravit. Qua significatione incredibilem cepimus voluptatem, demumque collaudavimus, quod denique hoc negotium sit ex utriusque nostrum animi sententia confectum, et precamur divinam Mtem., ut illud ad honorem nominis sui et communem regni et dominiorum nostrorum utilitatem mutuumque solatium nostrum fortunare et promovere dignetur. Ex cod. mss. bibl. Korn.

De itinere autem ipsius sponse nostre, quod vra. Illtas. scripsit, eam felicissimis auspiciis jam tandem illud facere ad nos incepisse, nihil nobis gratius significare potuit. Hoc enim est precipuum in votis nostris, ut ejus Sertis. adventus sit celer, amore et rationibus nostris id valde exigentibus. Et licet nihil ambigimus, vram. Illtem., ut nobis scripsit, de ipso itinere fuisse, tamen, quia postea nihil accepimus de sue Sertis. profectione, mittere voluimus hunc celerem nuncium, ad illam invisendam simul et vestram Illtem. ac ut de eodem adventu plane fieri possemus certiores. Quare plurimum rogamus Illtem. vram., ut si nondum ipsa Serma. sponsa nostra exivit, de quo valde miraremur, eam ocius expedire velit et nobis per eundem nuncium nostrum diem certum exitus illius simul et qualitatem itineris declaret, et pro quo die posset verisimiliter ejus Sertas. ad nos pervenire, ut tempori hospites convocare et alia, que ad excipiendam cum debita dignitate ejus Sertem. pertinere videntur, obire possimus.

Videtur autem nobis et valde rogamus vram. Illtem., ut si adventus Sertis. ejus non possit fieri pro eo tempore, quo nostri oratores cum vra. Illte. constituerunt, faciat operam, ut saltem ad festa pasche posset illius Sertas. Viennam applicare et demum ad regnum nostrum intra duo vel tres hebdomadas aut quanto celerius fieri posset post eadem festa pasche venire. Incumbunt enim nobis graves et ardue in estate bellice occupationes, quas si Sertas. sua tempori non preveniet, magnam perturbationem rebus nostris adferre possent. Non dubitamus, quod vra. Illtas. pro

MDXVIII. *sua prudentia et rerum necessitate non deerit postulatis nostris nosque diutius in ancipiti et perplexitate animi pendere non permittet. Cujus materno amori et benivolentie nos ex animo commendamus, cupientes ut unacum Serma. sponsa nostra sit multum felix et incolumis.*

CCCXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lubbrancz, Episcopo Posnaniensi, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi.

Cod. R. Reverende in Christo pater et mgce. sincere nobis dilecti. — Cum adhuc nihil ad nos perscriptum sit de profectione Illme. domine sponse nostre, quo simus certiores, suam illustrissimam dominam circa principium hujus proxime preteriti mensis navem conscendisse, vel jam ad illud littus appulisse, ex quo jam iter terrestre ad nos factura esset, uti Illma. dux mater sponse nostre literis suis nobis significavit, existimamus suam Dtionem. tantum materno amori indulgere, ut potius mutata sententia propter pericula vitanda, que hoc potissimum hiberno tempore navigantibus accidere solent, istud ipsum iter ad principium veris differre decerneret. Quapropter satius esse existimavimus, profectionem vram. differre, donec sciamus, quando tempus sit illud futurum, quo commode ire possint. Interea vero temporis, quia in presenti conventu multa et gravia agenda sunt hic Reipublice negotia, que sine presentia vestrarum Stum. non satis commode agi possunt, volumus, ut relictis domi equis et reliquis impedimentis, celeri cursu ad nos veniant, ut confectis communi consilio Reipublice actionibus, vel hinc recta iter institutum ingrediantur, vel istinc ad equos suos redeant, prout rei agende necessitas indicabit. Bene valeant. Datum Cracovie.

CCCXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao de Ostrorog, Castellano Calissiensi, Joanni Konarski, Archidiacono Cracoviensi, Oratoribus.

Cod. R. Accepimus literas vestras, quibus nos de conventione vra. cum Serma. domina sponsa nostra deque comitatu et rebus omnibus illius Sertis. certiores fecistis. Que omnia libentissime audivimus. Nescientes autem adhuc certam diem, ad quam illius Sertas. Viennam applicabit, mittimus hunc nuncium nostrum ad vos, ut de constituto a nobis coronationis et nuptiarum die vos edoceremus. Quando enim nobis primum scripseratis, Sermam. dnam. sponsam nostram ad littus Fluminis die XIV Februarii applicuisse, metientes iter illud et tempus, ita conjiciebamus Sertem. suam vel citius opinione nostra vel incongruo tempore apud nos futuram, scripseramus ad vos, ut cum ejus Serte. ageretis, quo persisteret aut Vienne, si prope festa Pasche illuc venient, vel in Olomuncz, si pro itinere satis temporis superesset. — Pro certo autem habentes, illius Sertem. longe ante festa Pasche Viennam pervenire et potius in Olomuncz persistere debere, statuimus diem coronationis et felicium nuptiarum

nuptiarum nostrarum dominicam secundam post eadem festa Pasche, que Misericordia domini dicitur. Et per literas id regibus, principibus et aliis invitatis denunciavimus. Et proinde, ne quis error consequatur, vel nos hic diutius cum hospitibus nostris expectare oporteret, ut cum illius Serte. et cum dno. Prospero sic agatis, quo ad festa Pasche Sertas. sua sit in Olomuncz. Nam ex Vienna in duabus septimanis nullo modo hic pervenire posset. Si autem esset vel incommodum, vel difficile id Serti. sue facere, agatis, ut saltem Bernam Sertas. sua pro ipsis festis veniat. Nos vero jam istuc obviam mittemus. Cujus Serti. procuratorem Peni, qui omnia subministrabit, mittemus et lecticas, qnales inopinato fieri potuerunt. MDXVIII.

CCCXXX. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni de Lubbrancz, Episcopo Posnaniensi, Luce de Gorka, Castell. Posnaniensi etc.

Reverende in Christo pater et mgce. sincere nobis dilecti. Contenti sumus et boni consulimus, quod Stes. vre. huc ad presens non venerint, presertim quando conventus cito finem suum sit accepturus. Verum sint parate, ut cum nuncius noster ad eas accurrerit, in mora non fiant. Cod. R.

De prorogatione vero conventus, quod States. vre. scripserant, placeret quidem nobis, sed res et negotia, que nunc agenda sunt, prorogationem pati non possunt, immo egent celeri consilio et provisione. Bene valeant vre. Stes. Datum.

CCCXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Prospero Columne.

Illris. et mgce. dne. sincere nobis dilecte. Quando nos oratores nostri certiores fecerunt de adventu Serme. domine sponse nostre ad portum Fluminis et tuam Illtem. curare, ut iter quam celerius conficeretur, veriti, ne quam ipsa Serma. dna. sponsa nostra molestiam properando caperet et celerius opinione nostra ac incongruo tempore huc veniret, scripseramus ejus Serti. simul et tue Illti.: nos cupere, ut ejus Sertas. non approperaret, sed Viennam vel in Olomuncz per festa Pasche subsisteret. Nihil tamen dubitantes, illam verisimilius in Olomuncz futuram, statuimus diem coronationis et felicium nuptiarum nostrarum pro secunda dominica post festum Pasche, et id omnibus regibus et principibus, quos invitavimus, per literas nostras significavimus. Quia vero illius Sertas., si Vienne ad festa Pasche esse deberet, nullo modo hic ad diem statutum propter incommoditatem temporis applicare posset, rogamus tuam Illtem.: agere velit cum ejus Serte. et iter illius ita dirigere, ut esset pro ejusdem festo Pasche in Olomuncz vel saltem in Berna, ubi remotius sine inmoditate proficisci non possit. Ita enim ad amussim omnia cessura videbuntur. Rem nobis valde gratam faciet tua Illtas. Que bene valeat et Sermam. dominam, sponsam nostram, plurima salute imparciat. Datum Cracovie. Cod. R.

CCCXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Bone Sffortie, Regine, Sponse sue.

MDXVIII. Cod. R. Serma. princeps et dna. sponsa nostra charissima. Intelligentes vram. Sertem. feliciter regno nostro appropinquare, misimus illi obviam reverendos in Christo patres, dominos *Joannem Lubranczki*, posnaniensem, et *Erasmum Ciolek*, plocensem episcopos, ac mgcos. *Christophorum de Ssidlowyecz*, palatinum et capitaneum cracoviensem regnique nostri cancellarium, ac *Lucam de Gorka*, castellanum posnaniensem et capitaneum Majoris Polonie generalem, consiliarios nostros sincere nobis dilectos, ad excipiendum nostro nomine vram. Sertem. et illam faustissimis auspiciis ad regnum nostrum conducendam, qui etiam nonnulla verbis nostris illi referent; et proinde postulamus ab eadem Serte. vra.: ut illis plenam fidem adhibere et suum optatissimum adventum in amorem et complexum nostrum mutuum una cum illis maturare dignetur. Valeatque felicissime et nos amet. Datum Cracovie.

CCCXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie,

Joanni Lubranski, Epo. Posnaniensi
Erasmo Ciolek, Epo. Plocensi,
Christophoro Ssidlovicio, Pal. Cracoviensi,
Luce de Gorka, Cast. Posnaniensi,
Stanislao Ostrorog, Cast. Calissiensi,
Joanni Konarski, Archid. Cracoviensi
} Oratoribus.

Cod. R. Reverendi in Christo patres, mgci. et venerabilis sincere nobis dilecti. Jam abunde declaravimus vris. Stibus., quod vellemus et volumus, ut Cracoviam cum Serma. sponsa nostra ingrediantur feria secunda post Conductum Pasche proxima; itaque iter suum sic dirigant et curent: quo ipsa Serma. sponsa nostra in omnibus, quantum fieri possit, commoditatem habeat, cujus Serti. nostro nomine plurimum salutis et amoris nostri referent, scribantque nobis sepius de illius Sertis. successibus. Et bene valeant.

CCCXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Christophoro Ssidlovicio, Palat. Cracov., Cancellario.

Cod. R. Mgce. sincere nobis dilecte. Ea omnia, que nobis ex Olomuncz scripsit tua Stas., fuerunt nobis valde grata, sed hoc nobis multum displicet, quod isti Itali mox in principio tam immodeste et indiscrete se gerunt in exigendis sumptibus et impensis, quas nos neque ex consuetudine extra regnum nostrum neque ex debito illis impendi istic fecimus. Nam erat ita in tractatibus conventum, quod Serma. sponsa nostra debuit nobis sumptu matris sue usque ad regnum conduci. Et proinde non placuit nobis, quod Petrus Opalenski fecit cum eis

eis pactum pecuniarum. Si non essent contenti eo, quod eis daretur secundum arbitrium Stis. tue et aliorum dominorum et ipsius Petri ad necessitatem, facerent ut eis liberet, volumusque, ut deinceps idem Petrus subministraret eis necessaria secundum quod vobis et illi sufficere videbitur pro eorum necessitate et de pecuniariis pensionibus nihil cum eis agatur. Nolumus enim, ut eorum immodestia facilitate nostra magis exuberet, tamen quod ad coquinam et necessaria solius Serme. dne. regine attinet, volumus, ut quantum fieri potest sint omnia ad ejus placitum. Valeat feliciter vra. Sinceritas. MDXVIII.

CCCXXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine, Sponse sue.

Serma. princeps et domina sponsa nostra charissima. Accepimus literas vre. Sertis. multo jucundissimas, ex quibus cognovimus, quo studio et desiderio iter suum ad nos prosequatur, ut votis et optatis nostris satisfaciat, quo equidem nihil acceptius nobis prestare potest, si modo id citra incommoditatem aliquam aut lassitudinem suam faciat. Nam id omnium nobis majoris est cure, ne quid molestie in proficiscendo Sertas. vra. capiat. Et proinde mittimus hunc nuncium nostrum ad illius bonam valetudinem et successus itinerarios invisendos et rogamus plurimum illam: dignetur jam sacra Pasche in civitate olomuncense peragere, quo etiam nos consiliarios nostros ad excipiendam illam misimus, qui e diversis et longinquis locis egressi occurrere Serti. vre. remotius, ut erat propositum nostrum, non poterunt. Mittemus et alia illic, que pro commoditate majori vestre Sertis. expedire videntur. Interea vero, qualiter valeat et itinerarios labores ferat, nos certiores facere dignetur et felicissime valeat nosque amore et memoria sua complectatur. Datum Cracovie XXI Martii. Cod. R.

CCCXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Prospero Columne.

Illris. et mgce. dne., amice sincere nobis dilecte. Certiores facti de profectione Serme. dne. sponse nostre, quod, ut erat desiderii nostri commode ejus Sertas. ad Olomuncz pro sacris Pasche sit ventura, nihil gratius audire potuimus, rogamusque tuam Illtem., ut jam ejus Sertas. illic ipsa sacra Pasche transigat et demum ad nos iter suum felicissimum prosequatur citra tamen ullam quantum fieri potest suam incommoditatem vel molestiam. Cod. R.

Statuimus enim, ut prius tue Illti. scripsimus, diem coronationis ejus Sertis. secunda dominica post festa Pasche, eritque tempus illud congruum spatio itineris ex Olomuncio, sed a remotiori loco nequaquam sufficeret. Feliciter valeat tua Illtas. et nostri apud Sermam. dnam. sponsam nostram crebram habeat memoriam. Datum Cracovie XXI Martii.

CCCXXXVII. Prosper Columna, Sigismundo, Regi Polonie.

MDXVIII. Cod. R. Presens Sertis. vre. nuncius attulit mihi illius literas, que denuo sui animum super Serme. sponse nuptiis et coronatione faustissima mihi largius explicarunt. Et quamvis minime oporteat Serti. vre. iterum explanare, quantum ejus obsequio me promptum exhibuerim ac exhibiturus sim, tamen redeunti nuncio volui aliquid dare. Nec lateat Sertem. vestram, Sermam. sponsam incolumem, deo auxiliante, ad Olomuncz pervenisse, atque hic festa Pasche transigemus, sicuti vra. Sertas. jussit, cujus ad ungem mandata servabo et Cracoviam statuto tempore ingrediemur.

Reliquum est, quod Sertas. vra. sciat, Sermam. sponsam optime valere, atque hic quieti indulgebimus, posteaque residuum temporis, qua opus est commoditate perficiemus, ac Sertis. vre. manibus millies osculatis ejus bone gratie humiliter me commendo. Datum in Olomuncz XXX Martii.

CCCXXXVIII. Stanislaus Ostrorog et Joannes Konarski, Oratores, Sigismundo, Regi Polonie.

Cod. R. Serme. princeps et dne., dne. clementissime. Post humilem servitiorum nostrorum in gratiam s. Mtis. commendationem etc. Inter oppida Nikielsburg et Vstopecze pervenit ad nos Gnoienski, cubicularius s. Mtis. vre., et literas Serme. domine regine reddidit, quibus sua Sertas. hactenus respondere distulit, ut hinc, ubi quiescere constituerat, eo commodius responderet. Sertas. sua, gratia dei, optime valet et toto hoc itinere ne semel quidem aut capitis dolore aut aliud quidquam questa est.

Gratissimum fuit Serti. sue, quando illi retuli de lecticarum adventu. Tractavit suam Sertem. rmus. dnus. episcopus Olomuncensis liberalissime in Viskow, et quidem non tanquam advenam et peregrinam, sed tanquam dominam suam naturalem. Illic cum humanissimo et doctissimo illo episcopo latine omnia collocuta est sua Sertas. non sine omnium admiratione.

Illtrem. dominum Prosperum miliaria ista moravica aliquantulum attrivere, ita ut heri eum huc lectica inter duos mulos deferri oportuerit, ubi biduo ex lassitudine quieverit. Salva erunt omnia, licet etiam nunc inambulet et omnia solita sua officia solus obeat.

Illmus. etiam dnus. marchio, uti nepotem addecet, prestat se sedulum et officiosissimum in servitio sue Mtis. et propter eximiam ac singularem humanitatem suam omnibus est charissimus et ab omnibus observatur ac colitur.

Dominum Petrum Opalenski hic reperimus, qui ante nostrum huc adventum paraverat dnis. Italis omnia necessaria, et adventantibus exhibuit bona vina et magnos cados magnorum piscium.

Lectice

Lectice et currus nondum advenere, sed paulatim subsequuntur dominum Opalenski, et venient satis tempori. MDXVIII.

Rmus. dnus. episcopus posnaniensis et mgcus. capitaneus sunt in villa quadam duobus ab hinc miliariis et operiuntur dominos collegas suos, qui hodierno vesperi erunt in Lipnik, et crastina die, deo auspice, omnes una Olomuncium ingredientur solemniter.

Licet Volski, cubicularius, qui huc hospitiorum gratia precurrit, nobis retulerit: mgcum. dominum palatinum cracoviensem non satis commode valere: supplicamus sacre Mti. vestre, ut nobis significare dignetur, ad quam diem velit Sermam. dominam reginam pervenire in Oswanczim, et ubi nam locorum eam quiescere velit una die non procul a Cracovia et qua die futurus sit auspicatissimus ingressus Cracoviam. Hec enim scire cupimus, ut pro voluntate sacre Mtis. vre. ad optatum portum perducamus navim hanc, pro qua sustinuimus pondus diei et estus et peregrinationem decem mensium. Laudamus tamen divinam clementiam, quod in omnibus satisfecerimus votis sacre Mtis. vre., in nonnullis etiam ejus desideria superavimus.

Commendamus tandem deditissimam servitutem nostram in gratiam sacre Mtis. vre., quam divina clementia diutissime servet incolumem et felicem, tribuatque illi tales filios, qui non modo solium paternum obtineant, sed etiam multis aliis populis paterna felicitate et sapientia imperitent. Datum in Olomuncz die Martis post dominicam palmarum.

CCCXXXIX. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Ludovicum, Regem Hungarie.

Invitatio ad nuptias regales.

Sacra Mtas. Cum placuit Deo inmortali Sermam. fel. mem. dominam reginam Barbaram conjugem S. Mtis. domini mei clementissimi ex humanis auferre, et ipsum clementissimum dominum meum absque prole mascula celibem et viduum relinquere, hortati sunt crebro illius Mtem. cum summus pontifex et cesarea Mtas. tum consiliarii et subditi ejus Mtis., ut illa tam pro sua posteritate quam regni et dominiorum suorum vestreque Mtis. singillatim et ejus regnorum bono statu alteram uxorem accipere dignaretur. Mtas. sua hactenus partim terno funebri luctu affecta, partim gravissimo bello occupata non potuit ad eam contrariam cogitationem animum suum flectere. Verum cum et subditi illius et cesarea Mtas. identidem illam de ea re urgerent, et conciliaret illi ipsa cesarea Mtas. in connubium Illmam. dominam Bonam, principem Barii, affinem suam, nolens Mtas. illius Serma. vota et consilia et benevolentiam suorum subditorum longius obaudire et vre. Mti. unice nunc posteritatis sue spei et solatio, communibusque regnis et dominiis vestrarum Mtum. deesse, constituit, auspice deo, alterum inire matrimonium et quod felix, faustum ac fortunatum sit, prefatam Illmam. dominam Bonam uxorem ducere, cum qua jam medio oratorum suorum et per verba de presenti Mtas. sua sponsalia contraxit. Et utcunque res ejus Mtis. adhuc sint in solito motu et inquietudine constitute, tamen quia negotium longam Cod. R.

MDXVIII. gam moram non patitur, decrevit Mtas. illius nuptias suas felicissimas ad secundam dominicam post Sacra Pasche proximam peragere, quibus cum omnes necessarios et charos suos interesse valde cupit et dignum arbitratur, rogat plurimum vram. Mtem., qua in presenti et propinquiorem sibi et chariorem habet neminem, ut Cracoviam ad diem dominicum predictum venire et sua regia et optatissima illius Mti. presentia ipsas faustissimas nuptias honestare dignetur. Rem Mtas. vra. conjunctioni et amori mutuo vrarum Mtum. dignam et tam gratam illius Mti. faciet, ut nullam unquam facere posset gratiorem.

In eo vero honestissimo et summe necessario vrarum. Mtum. conventu, Mtas illius Serma. vult cum vra. Mte. et communibus subditis et consiliariis vrarum. Mtum. consilium opportunum capere, et omne studium et curam suam impendere ad pacandas intestinas discordias regnorum vre. Mtis. et ejus statum regium in debitam auctoritatem et dignitatem restituendum, qui illi non minus cordi est et cure, quam suus proprius, nec illi unquam ope et facultate sua omni deesse vult et Mti. vre. pollicetur.

CCCXL. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Regni Ungarie ad nuptias invitatis.

Cod. R. Reverende in Christo pater et domine amice sincere nobis dilecte. Ab eo tempore, quo sublata fuit ab humanis clarissime memorie Serenissima conjux nostra domina regina Barbara, hortati sunt nos crebro cum summus pontifex et cesarea Mtas., tum consiliarii et subditi nostri, ut ratione posteritatis nostre et pro Sermi. dni. regis Ludovici communiumque regnorum et dominiorum nostrorum bono statu et incremento alteram uxorem acciperemus. Verum nos tunc partim terno funebri luctu affecti, partim etiam gravi bello districti non potuimus hactenus ad eam contrariam cogitationem mentem nostram flectere. Nunc autem subditis nostris identidem nos urgentibus concilianteque nobis cesarea Mte. Illmam. dnam Bonam, filiam Illmi. domini Joannis Galeacii, ducis Mediolanensis, affinem suam, statuimus, auspice deo, alterum inire matrimonium et eandem Illmam. dominam Bonam uxorem ducere. Et utcunque adhuc res nostre adhuc sint in solito motu et inquietudine constitute, nuptias ad secundam dominicam post S. Pasche proximam celebrari statuimus, negotium enim longiorem moram non patitur. Quibus quidem nuptiis cum omnes necessarios et benivolentes nostros interesse cupimus et equum arbitramur, rogamus vram Ptem., quam semper nobis fidelem et integrum amicum novimus, velit Cracoviam ad eum nuptiarum diem, quem illi postea literis aliis declarabimus, venire et sua presentia easdem faustissimas nuptias nostras honestare. Faciet rem nostra de se fiducia dignam et nobis multo gratissimam. Que valeat feliciter et nos diligat. Datum Cracovie.

CCCXLI. SIGISM.

CCCXLI. Sigismundus, Rex Polonie, Ad principes. Invitatio ad Nuptias.

Illme. princeps et dne. affinis noster charissime. Quemadmodum jam prius Illti. vre. per nuncium nostrum significavimus, nos Deo auspice alterum matrimonium inire, et rogari illam fecimus, ut nuptiis nostris faustissimis interesset ad diem illarum, propter ambiguum Serme. sponse nostre adventum, postea literis declarandum. Nunc intelligentes: Sertatem. suam adventare et ad secundam dominicam post festa Pasche, que Misericordia dicitur, applicaturam, statuimus, quod felix faustumque sit, eadem dominica Misericordia nuptias nostras clarissimas celebrare et matrimonium feliciter auspicari, pro qua die ut Illtas. vra. Cracoviam huc veniat et sua presentia ipsas nuptias nostras faustissimas cohonestet, iterum illam plurimum et ex animo rogamus, quod ei vicissim omni gratificatione et benivolentia nostra regia semper referemus. Que valeat feliciter. MDXVIII. Cod. R.

CCCXLII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie.

Serenissime rex, patrue noster charissime. — Nuper Mtas. vestra per oratorem suum nobis significavit, alterum se matrimonium, ubi prior conjunx, deo volente, fatis concessit, maximis causis inductam inire constituisse invitavitque nos ad suas faustissimas nuptias ad diem tunc quidem incertum, sed quem Mtas. vra. literis suis esset declaratura, quibus jam nunc allatis patefecit de Serme. sponse sue adventu certiorem se factam: nuptias ipsas post Paschalia festa ad dominicam, que Misericordia domini dicitur, Cracovie celebrare decrevisse, rogans nos veluti antea nuncio ita nunc literis, ut illis nostra presentia condecorandis interesse velimus. Cod. R.

Quod ad matrimonium hoc pertinet, sicuti Mtas. vra. prudentissime omnia facit, ita nil potuit ab ea nec cogitari quidquam nec fieri consultius, quam ut defectum prioris conjugii quoad masculam prolem nove nupte conjunctione resarciendum reintegrandumque curaret, hoc enim Mtas. vra. tam sibi quam regnis suis quam rectissime prospexit. Non dubium, quin Mtas. vra., deo annuente, ex hoc ipso connubio liberos optatos ac jucundos desiderati sexus suscipiat, per quos et posteritas sua propagetur et omnia felicia faustaque et fortunata regnis suis accedant.

Ceterum agimus vre. Mti. cumulatissimas gratias, quod nos ad tam felices nuptias suas invitare dignata est. Agnoscimus plane id non nisi ex sincero paterne pietatis affectu esse profectum. Ad quas quidem nuptias, si res, si tempora paterentur, non iremus solum, sed advolaremus; nihil enim posset esse nobis nec gratius nec optatius, quam hisce nuptiis interesse, tam ut illarum celebritati pro honore Mtis. vestre nostra presentia aliquid adderetur, tum ut presentes dulci ac pio Mtis. vre. conspectu colloquioque perfrueremur. Verum postquam id fieri temporis iniquitas prohibet, quod integrum est quam libentissime faciemus:

MDXVIII. mus: oratores nostros ad vram. Mtem. mittemus, qui nos representantes nuptiis ejusdem intererunt, facturi quecunque ad pompam nuptialem, ad decus et honorem curie Mtis. vre., pertinere, quecunque eidem grata fore cognoverint, ac denique illis Mtas. vra. mandaverit faciundum. Quam deus opt. max. quam felicissime conservare et in omnibus rebus suis fortunare dignetur. Datum Bude XX Martii a. d. MDXVIII., regnorum nostrorum Ungarie et Bohemie etc. anno secundo.

CCCXLIII. Ludovicus, Rex Hungarie et Bohemie, Sigismundo, Regi Polonie, patruo.

Cod. B. Serenissime princeps, patrue noster honorandissime. Quum nobis ad faustissimas nuptias Mtis. vestre invitatis eundi potestatem omni ex parte ademptam vidissemus, ex optimatum nostrorum cetu delegeramus fidelem nostrum reverendum in Christo patrem, dnum. Georgium, episcopum quinqueecclesiensem, patrinum et consiliarium nostrum, qui vices nostras in ipsis celeberrimis Mtis. vre. nuptiis ageret et eidem ad omne obsequium presto adesset. Sed cum dies ipsarum nuptiarum in idem fere tempus incidit, quo nos quoque conventum in hoc regno nostro generalem indiximus, consilium mutare et alium loco prefati domini episcopi oratorem ad Mtem. vram. destinare nos oportuit. Fecimus autem id non libenter sed inviti et inevitabile quadam necessitate compulsi. — Nam ubi nobis istuc ire non licuit, neminem profecto ex omnium numero libentius quam ipsum dominum episcopum misissemus, quippe quem scimus et Mti. vre. ex corde obsequi desiderare et qui nobis quoque ad hanc obeundam provinciam aptissimus videbatur atque adeo propensus, ut non sine animi sui molestia jam paratus et accinctus retineri a nobis potuerit. In causa autem hoc est. Novit bene Mtas. vestra, quales motus in hoc regno nostro sint concitati, quo turbine res nostre agitentur, que certe hoc tenore, quo sunt, nec progredi prospere nec durare diutius poterunt. Ad hunc itaque finem pro festo beati Georgii, martyris, proxime futuro conventum, qui nec differri ulterius ob regni pericula nec anteverti ob causas plurimas potuit, celebrandum instituimus, ut illis jam propemodum labantibus opportune subveniatur et ne funditus ruant prospiciatur. Cum itaque ad hec omnia transigenda componendaque consiliariis nostris hoc ipso tempore plurimum nobis opus sit, prefatum dominum episcopum, qui inter primos locum honoratissimum obtinet, in cujus fide, prudentia et animi dexteritate multum fiducie multumque spei ad res nostras componendas collocavimus, eo consilio retinuimus, ut ejus opera consilioque res nostre in predicto conventu adjuventur. Quare Mtem. vram. plurimum rogamus: velit et nos et ipsum dominum episcopum excusatos habere et hanc mutationem bonam in partem vertere, neque illi, quod nostra voluntate retentus non iverit, quidquam imputare. Potuisset quidem is esse usui Mti. vre. etiam in nuptiis ejusdem plus forte, quam quivis ex nostris alius, sed longe plus poterit impendere servitii et Mti. vre. et nobis in componendis rebus nostris in ipso conventu nostro sua presentia, quam si istuc se contulisset, pro quo mittemus alium quemcunque poterimus

poterimus oratorem ad Mtem. vram., qui vices nostras agat et qui mandata Mtis. vestre in omnibus promptissime sit obiturus. MDXVIII.

Ceterum Mtem. vestram rogamus, nuncium suum, qui hasce literas reddidit, si forte plus justo moratus apud nos sit, ne velit tarditatis arguere neque illi ob moram irasci, non enim illam, quantacunque sit sua culpa, sed nostra voluntate commisit.

Deus opt. max. Mtem. vram. sanam et incolumem quam felicissime et quam diutissime conservare dignetur. Datum Bude sabbato proximo post annunciationis festum Marie, a. d. MDXVIII., regnorum nostrorum Vngarie et Bohemie anno secundo.

CCCXLIV. Benedictio apostolica in nuptiis regiis.

LEO, PAPA DECIMUS.
Universis et singulis presentes literas intellecturis
Salutem et apostolicam benedictionem

Solet sedes apostolica piis catholicorum regum, presertim quorum fides et devotio in conspectu ejusdem sedis continue refulgit, precibus, per quas potissimum salus animarum procuratur, favorem paternum et generosum impartiri. Cum itaque sicut accepimus et ad infrascriptam rem consilium animi nostri propensum habuimus atque benivolentia cooperationis nostre exhibuimus, quod videlicet sacramentum matrimonii inter charissimum in Christo filium nostrum, Sigismundum, Polonie regem illustrissimum, et dilectam filiam Bonam, ducissam mediolanensem et barensem, partibus ex altera fuerit conclusum et confirmatum, ipsa propterea in civitatem cracoviensem propediem ad ipsum sponsum suum regem se conferre intendat, ut ibi juxta morem reginarum Polonie hactenus observatum oleo inungatur sancto ac per eum, cujus interest, coronetur. Nos pro utriusque predictorum conjugum salute ac felici et incolumi matrimonio unctione hujusmodi pium eorundem desiderium plurimum commendantes, ac sperantes in domino, ipsam Sigismundum regem nedum quieti et tranquillitati populorum sibi subditorum prudenter assidue invigilaturum, verum etiam nostrum et SS. romane ecclesie pientissimum et observantissimum filium universe reipublice christiane totis viribus omnique studio profuturum, ac fidei catholice exaltationem devote curaturum, Ejusdem regis in hac parte supplicationibus inclinati, cupientes, ut tam solennes nuptie donis spiritualibus auctorisentur et decorentur de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus in regno et dominiis ipsius regis consistentibus, qui dum missa major in ejusmodi unctione et coronatione per inungentem et coronantem et etiam in crastino per nostrum et sedis apostolice nuncium dilectum filium Laurentium Miedzileski, prepositum vilnensem, in deductione dicte sponse regie atque regine ad ecclesiam seu quocunque alio die prima ejus missa per ipsum celebrabitur interfuerint et orationem dominicam ac salutationem angelicam ter pro bono successu conjugii hujusmodi, ac pro incolumitate et felici ac prospero statu ipsorum charissimorum conjugum ac dominiorum predictorum pace et tranquillitate ac nostra felicitate devote recitaverint, plenariam Cod. R.

MDXVIII. nariam omnium peccatorum suorum de quibus corde contriti et ore confessi fuerint remissionem et indulgentiam de spiritualis dono gratie in domino elargimur. Et nihilominus universis et singulis patriarchis, archiepiscopis et episcopis per hec scripta sub interdicti ingressus ecclesiarum suarum pena committimus et mandamus, quatenus ejusmodi duas missas, quotiens pro parte ejusdem regis requisiti fuerint, denuncient et admittant celebrandas, presentibus post easdem duas missas minime valituris. Volumus autem ut si opus fuerit transumptis presentium manu alicujus notarii publici subscriptis et sigilli alicujus prelati ecclesiastici appensione munitis fides adhibeatur ubique indubia et eisdem stetur firmiter prout presentibus staretur, si forent exhibite vel ostense. Datum Rome apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XVI Decembris MDXVII. pontificatus nostri anno quinto.

Oratio ad Illustrissimam Bonam Sfortiam, Principem Mediolanensem, Ducem Bari, ac Poloniae Sermam. Reginam, per Ludovicum Restionem Vordinganum XIV. Kalend. Aprilis in ejus adventu, Universitatis Viennensis nomine in magno tum procerum, tum eruditorum consessu habita.

TETRASTICHON EIVSDEM.

Accipe laeta tuas Princeps mitissima laudes
Nec sperne exiguo pectore nata tibi
Sic Lucina tibi faueat, quo stemmate reges
Continuo parias, Sfortia pulchra, bonos.

Amplissimo ac Magnifico viro Joanni Conarsky, Archidiacono Cracoviensi, Sermi. Poloniae Regis a Secretis et Oratori ac literarum Maecenati, Ludovicus Restio Vordinganus felicitatem optat.

Quum te, ornatissime vir, superiore die sciscitandę Sermi. Poloniae reginae familiae gratia adijssem, tanta me humanitate ac animi benevolentia et excepisti et tractasti, ut illud Grecorum αἰ χάριτεσ γυμναι uerissimum esse compererim, tuasque pulcherrimas uirtutes, quas in te non obscure perspiciebam, vehementer sum miratus. Hortabaris autem candidissime, nec amice minus, ut oratiunculam, quam nuper ad vestram Serenissimam Reginam habebam, stanneis literis excusam ederem. Quamvis autem me non praeteriret multorum calculus, tuis tamen candidissimis jussis non obtemperare nolui, itaque excusa est et omnibus, quotquot volent, communicata. Non quod arbitrer me digna dixisse, neque enim usque adeo mihi placeo, quum ejus nobilissimae virtutes meam dicendi tenuitatem multis parasangis praecurrant, sed ut hisce qualiacunque essent testatum facerem omnibus: si quid potuissem, id omne in has splendidissimas laudes cupidissime effundere uoluisse. Tuae vero magnificentiae propterea dicandam arbitratus sum, quod sciam,

sciam, te pro innato candore tuo qualiscunque sit boni consulturum et a morosioribus uindicaturum. Vale itaque diis hominibusque charus. Vienne. MDXVIII.

Epigramma Mathiae Paulini ad doctissimum Ludovicum Restionem, preceptorem suum.

Gratulor, insignis praeceptor, contigit uni
Quod tibi Sfortiaden tollere in astra Bonam,
Orator quis enim torrentior ore diserto
Te praeter posset, qui celebrare Bonam?
Quae stipata bonis nymphe pulcherrima trinis
Idalias Charites uincere sola potest,
Cui palmam uictae forma Pactolides ultro
Offerrent, formae gratia tanta tuae est,
O Bona uicturis semper memoranda camoenis
Quod modo non temere Restio doctus agit,
Qui te tam pressis euexit ad aetera uerbis
Qui, si leua sinunt numina, plura dabit.
Plura dabit uiridi Cedro dignissima, quae fors
Miratura uirum postera sęcla legent.

Fallor Bona Sfortia, Serma. regina, si tam officiosum adventum nostrum, tam alacres uultus, tam exporrectas frontes et omnium in te oculos non sine ueneratione conjectos, ut rem insolitam non quadamtenus miraris, quid enim sibi haec? At uero nihil minus quam mirabere, si et priuatam cuiusque et publicam omnium leticiam tum congratulandi reipublice christianae commune studium, ac demum, nec postremo, tuas condidissimas uirtutes, et ultra quam uel sexus uel haec aetas ferre credatur, praeclaras, causam nobis praestitisse animadverteris. Quibus de mihi in praesentia ad te Illma. Princeps uerba faciunda, utinam tanta copia, tanta dignitate, quanta ui, quanta ubertate pectoribus omnium concepta sunt, sunt autem summa. Jam primum, quum letissimus ille quidem, sed tamen adhuc incertus rumor, cui iam euangelia debemus, passim spargeretur nostrae urbi te adpropinquare nuptum SIGISMUNDO, inuictissimo Poloniae regi, nemo omnium fuit neque plebis, neque optimatum, neque et potissimum literarorum, quem non ingens leticia, neque tamen uel sine metu uel sine uotis incesserit, quod iam tum sibi ipsi omnes praesagirent has auspicatissimas nuptias non sine magno christianae reip. bono futuras: simulque metuerent nequid aduersi fortassis, quale olim nec sine lachrymis, nec sine sanguine contigerat, in itinere te nobis aut interciperet, aut impediret, ac propterea ita secum tacite: O rerum optime maximeque pater, qui piis miserum mortalium uotis, quotiens ad te confugitur, nunquam dees, prohibe, supplices oramus, ne quod in tuum sanctissimum cultum tuendum ac religionem propagandam tam pie, tam sapienter ceptum est, aliquo aut impio tyranno, aut adversa ac calamitosa fortuna intervertatur. Hanc autem nostram piissimam sollicitudinem non mediocriter auxerant regii oratores, amplissimi et magnificentissimi viri. Qui, cum re infecta rediissent, ita primum existimari poterat, ferebatur enim uulgo, te propterea inconstanti pelago creditam non esse, ne multarum gentium salus et incolumitas in tuo sinu felici reposita tecum periclitarentur, Oratio.

 quam

MDXVIII. *quam tum publice ueritum est, ne quid Adria, ne quid Boreas crudele in hos felicissimos Hymeneos machinaretur. Quando uero iam nihil discriminis supererat, nihil amplius de tuo exoptato aduentu posset ambigi, quod in ipsis foribus adesses, in tanta gaudia tantosque plausus publicus hic moeror uersus est, ut nulla domus omnino huius tantae et pene insuetae leticiae non particeps facta sit, ipsa fere moenia ipsique lapides, si per naturam licuisset, gestierint. Causa erat christiane reip. quies, incolumitas et emolumentum, quae in hoc uestro sacratissimo matrimonio, in quo nihil Thalasso, Christo omne negotium est, duabus, quod aiunt, authoris fulta erunt. Id quod nobis hinc tam certo persuasum est, quod sicuti clarissimis ita piissimis maioribus orta es, quod optimis ipsa uirtutibus ad unguem facta es, quod piissimo ac inuictissimo regi fortunato connubio locata es, atque hoc quidem opera et consiliis sapientissimi imperatoris nostri MAXIMILIANI. Qui (quandoquidem exploratum habet christiano imperatori nullam uel ampliorem vel expeditiorem posse contingere laudem) in nostrae h. e. Christi reip. salutem et incrementum omnes suos cogitatus, omnia et diurna et nocturna consilia tanquam in scopum quendam dirigit. Haec uero eiusmodi sunt ut nunquam fallant, ut quo sint abstrusiora, quo paucioribus atque adeo nemini communicata, eo maiores rerum moles spectent eo sollicitius tum Romano imperio, tum uniuerse Christianitati prospiciant, uel reclamante ignauo vulgo: quod ita semper paratum est ut quae ipsum minime perspiciat, quid autem supra suam conditionem perspicerent σκυτοτόμοϊ και σκηνορ̀ῥάφοι id sine mora, sine iudicio sua libidine damnet. Quid hęc ad Caesarem? at audimus aliquotiens nec sine stomacho, ignauissimum quemque Caesaris sapientissima facta ut indigna Caesari, imperio pernitiosa, hostili obelo inuadere et impune quidem, si spectes finem, si consilium, nihil praestabilius, nihil sanctius inuenias, quam quod plebi diuersissimum uidebatur. Sed bene quod uulgi iudicia nusquam nedum in MAXIMILIANI rebus, uel tantilli faciunda sunt. Existat utinam aliquando cui haec et digne et latissime explicandi facultas occasioque detur: atque liceat huc excurrisse. Age iam qui parentes quam clari, quam celebres et dubitem an inter reges regum Arragoniae aut inter principes Sfortiadum familia praestantior sit, quarum tu Serma. princeps paternum ab altera maternum genus ab altera trahis. Effulget profecto utraque longe lateque, tum rebus domi militiaeque insigniter ac praeclare gestis tum praecipue pietate et sanctitudine uitae ut uel hoc solum perspicuum ac certissimum argumentum esse possit, nostrae te fidei esse natam. Habes autem paternum abauum FRANCISCUM Sfortiam principem, tum rerum gestarum gloria àc belli laudibus priscis etiam Caesaribus conferrendum, talem belli imperatorem, qui suis uenerandus christiani nominis hostibus semper formidabilis extiterit, tum clementia, aequitate in omnes, magno et liberali animo nulli secundus. Auum uero GALEATIUM Sfortia nihil a paternis uirtutibus degenerem. Quas illustrissimus pater tuus JOANNES GALEATIUS Sfortia, si per crudelia fata licuisset, feliciter superaturus erat. Mater porro tua ISABELLA (ut ne ulterius progrediar, nam ingenti mihi uolumine opus esset, si omnem tuam et paternam et maternam stirpem enumerare uelim) adeo omni muliebre uirtutis genere praestat, ut matronarum regiarum norma ac archetypon existimari et possit et debeat. Parce igitur, clementissima Regina, si in maiorum tuorum amplissimis laudibus recensendis breuior sum, quam aut debeam aut uelim. Nam neque huius meae orationis angustiae tam augustas laudes capiunt, et ad tuas festino, quae tales tantaeque sunt, ut ex maioribus uirtutis laude nulli cessura credaris. Hęc igitur sunt semina, hę radices, hi stirpes, quibus*

bus tu felicissimum germen dulcissimus fructus et θάλασσα αγαθῶν id quod ex ipsius nominis ratione plane patet, orta es, quibusque maximarum uirtutum tacitam quandam et occultam uim trahis: quae tanta felicitate in tuo candidissimo pectore jam nunc effulgent, ut nihil minus sit uerendum, quam nequid ab iis talibus degeneres, nihil constantius asserendum, quam te diuina uirgula quod aiunt diis hominibusque plaudentibus maiorum uirtutes assequuturam. Jam si hac in re id etiam non parum momenti habet, contemplemur eximiam oris gratiam, uultus singularem probitatem, heroicam plane faciem et ipsis (quod dicitur) charitum officinis eductam, radiantes ac uere regios oculos reliquamque corporis aptissimam symmetriam. Dispeream si quis negabit, te unam et formosissimam Helenam et pudicissimam Penelopen simul referre. Elucet autem in te, parce Serma. Regina, procul abest adulatio, nescio quid regium ac imperatorium, augusta quadam Mte. et amplius quam humana, quae quamuis ita sint, uelis tamen quae est tua innata bonitas, nulla re minus formosa uideri ac laudari quam forma, sicuti nec aliarum et corporis et fortunae dotium, ut momentanearum laudem plurimi facis, et de tuis propriis bonis hoc est uirtutibus parcissime cupias audire; modo quam sis (quod ad futuram laudem aut uituperium longe plurimum atque adeo totum refert) non minus sancte quam regie educata, quid attinet longius prosequi, quum id ex tuis praestantissimis uirtutibus luce ipsa clarius elucescat. Nam sive quis animi pudicitiam spectet sive impolluti corporis castitatem, quarum in hac aetate praecipua commendatio est, cernet eas in te non minus uenerandas quam admirandas, in sanctissimo autem sermone pudor, in factis uerecundia, ita in te contendunt, ut in uniuersa oratione quemadmodum nihil lasciuum, nihil obscoenum, nihil humile nihil denique te indignum ac LUCRECIAE non audiendum deprehendi possit. Ita in omnibus factis tuis nihil sit omnino, quod a grauitate et sanctimonia uel transuersum unguem deuiet. Decentissimus incessus, pietas, animi modestia, facilitas, quam laudem merentur, quum in te adeo sint praesto et absoluta, ut ne Momo quidem iudicium relinquatur. Te enim una uel in Deos uel parentes nihil obseruantius, nihil in omnibus agendis rebus moderatius, erga omnes nihil mitius. Consulto ingenii acrimoniam et singularem prudentiam praetereo, quibus adeo excellis, ut uix quippiam tam arduum tam implicatum sit, quod non illico perspicias, nil tam abstrusum, tam ambiguum, quod tuum iudicium fallat. Quibus, quod non adeo multis cum laude contigit, cum summam eloquentiam et non mediocrem eruditionem castissime conjunxeris, non uideo, quid amplius tibi ad laudatissimae Reginae famam deesse possit. Sunt haec quidem praeclara, si quis autem mihi perpendat in te liberalitatem, temperantiam, magnanimitatem, protinus nisi Midias sit, extra muliebris sortis aleam te locabit, si enim sexus opinioni uestrae tantum derogat, ut non uel paucarum uirtutum capaces credamini. Quis unquam satis laudabit tot tantasque simul in te cumulatas esse? quis te non eo amplioribus censebit praeconiis, quominus tale quippiam de muliere sperari debet? An autem non maximo animo tribuendum est te dulcissimam patriam, ubi omnia, quae uel usus uel uoluptas principis desiderare poterat, ad mirum praesto erant quae aliquotiens uiros etiam a magnis rebus abduxerunt, tamen deseruisse. Pelagi tam praesentia pericula non horruisse, ubi non amplius quatuor digitis a morte distamus tam durum et ignotum ac tot miliarium iter impigre ingressam esse, tam longinquam conditionem, quum domi pro dignitate non deesset accepisse publice utilitatis gratia. Arbitror tibi, inclytissima Regina, diuinam quandam scintillam esse inditam, qua praesentias in maximos usus et summa Christianorum incrementa te genitam et destinatam esse, atque

MDXVIII.

ita

MDXVIII. *ita omnia et itinerum et laborum tedia tam alacriter non muliebri animo perferas. Neque uero tibi quippiam optabilius uideri potest, quum noris a sapientibus summę semper laudi datum esse non sibi solum, sed amicis etiam et patriae nasci, ac intelligas non tuis te non patriae tantum, sed plurimis populis, sed universae Christianitati natam esse. Caeterum ei principi desponsa es, qui excepto solo MAXIMILIANO, is enim neminem habet neque parem neque secundum, inter omnes christianos principes nulli cedat, siue opes siue genus et stemmata, siue omnia quae regi debentur corporis dona spectes, seu inuictum et ingentem animum seu reliquas uirtutes, quas inter iusticia, pietas et religio adeo totum principem sibi uendicant, ut nihil gloriosius sibi nihil se dignius ducat, quam nostram sanctam religionem non solum tueri et incolumem reddere, sed et augere et propagare ac christiani nominis hostes longe lateque arcere, profligare, excindere: cujus rei superiori anno non mediocre specimen edidit, quum ad Borysthenem Scythiae fluuium supra quinquaginta milia infidelium desiderata sunt. Jam tandem, quod ad piissimum coniugii amorem attinet: sit quę in uiri uulnere speciosissime occubuerit, sit quę mariti cineres in miracula retulerit, sint uel e Romanis uel externis mulieribus, quae id laudis meruerint, ut iam non sexu sed animo uirtutem estimandam omnibus conueniat. Ego tamen neque Pantheam, neque Arthemisiam, neque ullam aliam tibi praetulerim, neque rursus dubitarim tuum humanissimum regem nulli ex ueteribus in hoc tam praeclaro pietatis genere cessurum et merito quidem, quid enim in te quod minus tanto amore dignissimum sit, quam aut in Cornelia aut Orestilla? quarum hanc mortuam uir impiger sequutus est illius salutem maritus suae non dubitarit anteponere, ut plane credendum sit, neque te praestantiori regi nubere, neque illum digniorem principem uxorem ducere potuisse. Modo cum haec ita sint, quis est, qui non intelligat, hoc uestro sacratissimo matrimonio Christianis optime prospectum esse, Poloniae regnum christiani imperii tutissimum ac munitissimum propugnaculum fore te fortunatissima Regina tuo piissimo Rege bella gerere nihil nisi uictorias pulcherrimas frequentibus nunciis audituram, nihil nisi speciosissimos de impiis et crudelissimis nostri nominis hostibus triumphos uisuram. Hac igitur candidissima die, quam nobis fecit dominus, de tuo tam felici in tantas spes aduentu letamur et exultamus, priuatos interim luctus posthabentes. Gratulamur ex totis animis, te talem uniuersae christianae reip., gratulamur Poloniae talem dominam, gratulamur tibi optima BONA tuum inuictissimum Regem SIGISMUNDUM, gratulamur invictissimo Regi tuo SIGISMundo te optimam BONAM, uestras nuptias et felices et foecundissimas; exoptamus, ut plurima sobole nec degenere fortunati sitis, Deumque opt. max. supplices oramus, ut hoc uestrum matrimonium sine ulla calamitate perpetuum sit, uosque post innumeros annos in coeli sedibus beati. Jamque orationis meae uela contraho, si prius tibi Serma. Regina hunc nostri Gymnasii prudentissimum moderatorem et hanc splendidissimam eruditorum cateruam totumque nostrum florentissimum Gymnasium singulosque eius alumnos et me postremum homuntionem quam humillime etiam atque etiam commendavero, et a Deo optimo maximo tantos rerum successus nobis omnium nomine pius orauero, ut omnes, qui non solum hic, sed ubi gentium uel uorsa, uel prosa ualeant oratione de rebus ac virtutibus uestris uberrimam scribendi materiam semper habeant.*

Dixi die XIX Martii.

Deo laus et gloria.

Viennae Pannoniae per Joannem Singrenium impressum.

CCCXLV. EPITHALAMIUM

CCCXLV. Epithalamium Sigismundi primi, Regis, et Bone Sfortie, Regine Polonie.

Andreas Kriczki cecinit.

Endecasyllabi, qui latenter autoris nomen continent.

MDXVIII.
Cod. R.

Autor qui fuerit requiris iste,
Nuptis qui canit hymenea tantis,
Dudum velle negat poëta dici
Rebus nec fieri studet jocosis
Et Musa celebris procatiori
Aetas apta licet sit atque tempus,
Sacris deditus esse qui fatetur
Cum falsi nimium vigent Catones
Regnant qui simulant, et hii poetas
Incessunt miseros, quod arte pulchra
Confingunt ea ficta, que videntur
Id ceu plus noceat, quod est apertum
Vult hic ergo suum latere nomen
Sed sciri ingenio potest abunde.

Epithalamium.

Finibus extremis, qua frigida volvitur Arctos
Et rigidus Boreas laxatis perflat habenis
Rex ubi Sigismundus, visu mirabile, turmas
Struxit, et est sevi renovata tragedia Martis
Elapsus, veniensque tuos finitor ad amnes
Vistula Sarmatie faustam qua parte parentem
Principis invicti spumosis alluis undis,
Perlustro letus ripas camposque nitentes
Multa simul mecum meditans, mea fata revolvens,
Nunc repeto duri numerosa incommoda belli
Tartareasque vias exantlatosque labores.
Me miserum, que nulla potest exprimere lingua
Nunc subit explorata mihi pulcerrima Martis
Gloria, cum structas licuit spectare cohortes
Magnanimosque viros per Scyllas atque Charybdes
In Moscas penetrare plagas et cedere gentem

Fedifragam

MDXVIII.

Fedifragam et rapidis dare rura atque oppida flammis
Concipio numeros ac e Parnassidos antris
Calliopen Phebumque voco, jam percitus estro
Hac feror et plectrum moveo ferventibus orsis
Interea florum suavi perfundor odore
Et Sephyro qualis spirat per gramina Tempe
Et nemus Aonium perque alta cacumina Pindi.
Obstupui subito mutatoque ordine rerum
Ver puto, cum bifrons pandit vaga cornua Janus
Mox subeunt, blandique soni iucundaque vocis
Murmura ceu soleat modulari Acheloia proles
Quando precipites agit insidiosa carinas.
Aut cum fata vocant, olor, aut Titanius ales
Jamque magis vario crebrescunt carmine voces
Hinc Peana Chelis, hinc letus personat Evan.
His tamen auditur misceri plurimus Hymen
Impleturque novis totus concentibus ether.
Carpo viam, vocemque sequor, sunt litora tergo
Sunt campi, contra pratum, sylveque propinquant
Hic primum Musarum Nympharumque cohortem
Aspicio festas in gyrum agitare choreas
Et plausu dulcique Polum pertingere cantu,
Aspicio Bromiumque patrem, Phebumque comatum
Ille parat Mulsum, satagitque revolvere testas
Hic nervos calamos sonis concordibus aptat
Hinc deus Arcadie redimitus tempora pinu
Et Fauni Satirique ruunt, hinc casta Diana
Agglomerat, pulchrasque manu Nereides urget.
At Venus in mediam, comitata Cupidine, turbam
Sese infert ambitque choros carpitque morantes
Leta faces arcusque jubens intendere natum
Ipsa autem cunctas inter spectanda puellas
Liberius posito Tritonia virgo pudore
Alterno insultat gressu succintaque suras
Exertat niveas et restim ducere gaudet.
Accedo, novamque Deam, cui pectore multus
Esse lepos suavisque sonus procedere visus,
Apprendo et solam stupido sic alloquor ore.
„Dic, Erato, quid tanta sibi exultatio poscit?
„Que sors, que ratio vos nostris appulit oris?“
Illa manens: „O cultor,“ ait, „charissime nostri

„Nunc

„Nunc citharam meliore sono, nunc carmina profer
„Atque tibi patrieque novo gratare decori
„En dulci Ausonia dulcique Helicone relicto
„Certatim hanc omnes vestram migramus ad Arcton
„Sat Grajis Italisque datum nunc fata vicissim
„Muneribus regna hec nostris ornanda putarunt.
„Sed tibi jam causas seriemque ex ordine rerum,
„Si vacat et divum decreta archana resolvam,
„Cum stent ante Jovis summam duo vasa tribunal
„Ex quibus humane propinat pocula vite
„Per que vices varias mortales dirigit actus
„Dulcia nunc acris, nunc letis tristia miscens.
„Immo dulce nihil prebet, quin addat amarum
„Et parte ex omni nullum sinit esse beatum.
„Sic etiam Parce fatalia pensa trahentes
„Vellera nigra modo collui modo candida nectunt.
„Ille videns vestri felicia tempora regis
„Et Garamanteos famam transcendere fines
„Partim multiplici suscepto ex hoste triumpho,
„Federe magnanimo partim cum Cesare juncto,
„Leticiaque nova factis hinc inde sacratis,
„Connubiis placide demum inclinare quieti
„Firmarique bona vitam sub pace beatam
„Vertitur ad diri vas exiciale liquoris
„Alternatque pio feralia pocula Regi
„Unde prius chare immatura morte marite
„Tangitur, hanc sequitur charus fraterque sororque,
„Nec satis esse putans tot tristia funera sevus
„Jupiter, et alium pregrandem Martis iniqui
„Suffundit Cyathum, pariter subit ille remotas
„Difficilesque vias subit herculeosque labores
„Nullaque sternendo requies prestatur in hoste.
„Jam bino Phebus cursu circumgerat annum
„Quo Regem inferie tristes cureque tenebant.
„Conveniunt una dive quas Troicus olim
„Ante suum vidit nudas consistere pastor
„Judicium, patrias demum quo perdidit arces,
„Acceduntque Jovem seque imis protinus omnes
„Advolvunt pedibus certatimque oscula libant.
„Ille Deas hilari complectitur ore levatque
„Et secum hinc solio jubet hinc considere et illinc.

„Tunc

MDXVIII.

„Tunc regina Deum complexo blanda marito
„Incipit, huic relique partes tribuere loquendi:
„„Jupiter omnipotens, qui fulmine concutis orbem
„„Quique rotas stabili radiantia sidera lege,
„„Quid tibi Sigismundum, invicti cui sceptra Poloni
„„Concesti regium specimen summum decus orbis
„„Collibitum viduoque thoro bellique tumultu
„„Tam versare diu curas superaddere curis?
„„Num tibi promissumque tuum tuaque illa voluntas
„„Excidit? a puero nobis hunc quando fovendum
„„Tradideras, dotemque suam dare quamque jubebas.
„„Ut specie, ingenio diteque excelleret archa
„„Te post bella illi, post justa exacta suorum
„„Juncturum uxorem tandem de gente Latina
„„Que vitam illius jucundo expleret amore?
„„Inferretque decus Latium prolemque cupitam
„„Ecce suos merore gravi pene extulit omnes
„„Et gessit tantos felici Marte triumphos
„„Devincens multa Moscorum cede tirannum
„„Indomitosque Getas et vafro corde Valachos
„„Ut laudi illius majus nil addere possis.
„„Hei mihi, quot curas quot pertulit ille labores!
„„Quid magis exposcis? tua cur promissa morantur?
„„Nonne vides sensim viridis quam labitur etas?
„„Quod ferat exitium rebus mora longa paratis?
„„Nec datur hec homini que nobis firma juventus,
„„Sed veniet tandem Veneri non apta senectus
„„Et ruge et blando minime coma congrua ludo
„„Quam misere accelerant cure vitamque coarctant?
„„Quare age, dum vires faciles, dum grata puellis
„„Ista viget, turbas remove, promissaque serves.
„„En illi dudum per nos delecta sub alma
„„Parthenope virgo plenis jam nubilis annis
„„Expectat tanto non dignior ulla marito,
„„Sphorciadum sublime decus regumque potentum
„„Hesperie quam nobis equiparier ausim,
„„Cujus ad hanc propriam finxit tua Cypria formam,
„„Finxit Amor, Charites sua munera cuncta dederunt,
„„Fulget in augusta majestas fronte, geneque
„„Virginea probitate rubent, sunt colla decora
„„Membraque, sunt oculi pulchro nigrore micantes

Emula

„„Emula labra rosis, fulva coma concolor auro
„„Sunt artes etiam ingenue numenque repostum
„„Palladis, est lotum Pymplea pectus ab unda,
„„Quam docuit Phebus, docuit simul Entea Clio,
„„Totaque Musarum decimam sibi turba recepit
„„Et secum numerare Bonam Dea quelibet ambit.
„„Quod superest a me dàta dos, partusque dabuntur,
„„Quales tot populi totque a te Regna precantur;
„„Tu modo consensumque tuum nutumque tenere
„„Desine, procedunt hominum quo cepta Deumque."
„Hec dicens paulum rorantes tersit ocellos
„Sic Venus allachrimans patrem, sic docta Minerva
„Orabant genua amplexe, que dixerat illa.
„At Rex stelliferi subridens Jupiter orbis
„Demulsit natas dextra socieque jugali
„Fixit basiolum placide sic deinde locutus.
„„Non mihi pensa, Dee, fas est nec solvere leges,
„„Quas semel immoto scribunt adamante sorores,
„„Que quodcunque notant per me est explere necessum.
„„Illis cunctorum racio stat certa latetque
„„Nullaque noscendi arcendive est Fata potestas
„„Hoc rerum series, hoc et mea sceptra requirunt
„„Promissi fateor, que tu, mea Juno, reduxsti,
„„Sed prius usus erat Parcarum insistere fuso
„„Et decreta sequi causas et nectere causis
„„Nunc autem cum fata sinunt, cum tempora poscunt
„„Conversas prebere vices, secernere nimbos
„„Immitis belli et perfunctos solvere luctus,
„„Compleri promissa volo, nec vota morari
„„Vestra, Dee, quibus ipse favens vos omnibus actis
„„Preficio. Tu, Juno, para thalamosque facesque
„„Consilium Pallas, stimulum Venus indet amorem,
„„Ut coëant firmo cicius sponsalia nexu.
„„Que cupitis, vobis sit fortunare facultas.
„„Nunc mea tota licet genus hoc ut surgat ad astra."
„Dixit et hec juncta firmavit singula dextra.
„Vix ea finierat, vix dextras dextra reliquit
„Jam Dea queque suo curru contendit oburno
„Leta serenatas diversa ad regna per auras
„Rectoremque rotis volucrem preponit amorem.
„It cito in Hesperiam Cypris, cita Juno sub Arcton

 „Cesaris

MDXVIII

„Cesaris ante omnes Pallas tum urget ad aulam
„Officiumque suum satagit prius ipsa subire,
„Que dum jussa Jovis, dum munus perficit omne,
„Pingitur interea facies divina puelle
„Sphorcinea, dextram Paphia ducente magistri
„Et miscente Charin multumque Cupidinis arti
„Jamque et consiliis et rebus utrinque paratis
„Mittitur ad terras Elices celer aureus ore
„Nuncius et vatum Syrenis gloria regni,
„Qui meruit tanti sponsor, qui pronubus esse
„Conjugii, ficto fretus fultusque patrono
„Presule navigero vestri hujus laude senatus.
„Ille ubi pervenit, qua tristi Vilia fonte
„Lapsa sue liquidis Vilne conjungitur undis
„Et simul exicium miseri testantur amoris
„Egregie commissa refert simulachraque pandit.
„E quibus absconsus per lumina nigra cupido.
„Provolat extemplo et cordis penetralia prendit.
„Miratur princeps, formam preque omnibus effert
„Sepe que nunc recipit sola nunc parte recondit.
„Quoque magis spectat, tacitum magis haurit amorem.
„Sic ignara Dei Dido cum tractat Julum
„Et vulnus venis et cecum carpserat ignem.
„Denique cum sublime genus teque, inclyte Cesar,
„Tum raram meditans sua magna incendia formam
„Dat victas Rex iste manus, quas tota tremiscit
„Sarmatie fera gens vicinaque cuncta potestas.
„Nec mora Parthenopem mittit rem conficit omnem
„In medio belli strepitu Mars adjuvat orsa
„Cypridis afflicto cumulans nova festa tiranno.
„Sed dum celsa sua Procerum comitante corona
„Sponsa venit, faustasque parat Saturnia tedas,
„Nos eciam numeros nobis fidesque paramus
„Regine servire Bone stat firma voluntas,
„Que nobis nostroque choro tantum addit honori."
Sic ait et tenues saltu miscetur in auras.
Nunc ego letitie causam nostrique decoris
Quid faciam edoctus, quo dignum Numine carmen
Expromam? testerque meo mea gaudia plectra?
Tu Bona Diva mihi venias nova gloria sacri
Fontis Castalii melius mihi nullus Apollo

Nullave

Nullave Musa potest vires prestare canendi. MDXVIII.
Tuque thori socialis ades dux sedulus Hymen
O Hymen, Hymen ades! o Hymen, Hymenee!
Nunc veri concedat hiems, concedat Orion
Inmitisque Aquilo Riphea recurrat ad antra
Nec tua perturbet, quin prestes dona Favoni.
Vos silve frondete, magis arva virete
Prataque plus solito vestrum pandatis honorem,
Horrida ne hospitibus pariat fastidia tellus.
Ecce novum mundi decus et nova cura Deorum,
Sphorcia commigerat nostrum Regina sub axem
Et secum claram Divumque hominumque cohortem
Ducit ab Oenotria, ducit genus omne decoris!
Nunc socias inter Musas Nymphasque licebit
Bellorophontes tuto, potare liquores,
Et meditari altum curva testudine carmen
Mirarique Bonam et nostri solatia regni.
O Hymen, Hymen ades! o Hymen Hymenee!
Vos pueri, immoderata cohors, clamore Hymeneum
Cogite, si cessat, si non sua munera sentit,
Emundate domos et scopis verrite terram,
Addantur foribus frondes patulisque fenestris
Circumdentque altas hedere buxusque columnas,
Sint mense extructe, sint aurea stragula lectis
Et niteant phiale cyati trulleque capaces.
Sint mappe, phrigionis opus mantilia munda,
Munda ceres, jaceant paribus coclearia cultris
Depromatur Onyx, Costi accendantur odores
Quotquot dives Arabs profert et Seres et Indus,
Portetur cellis mustumque vetusque seremum
Quod superet Chium luctatoremque Phalernum
Et quod Creta ferax generat vel Massica vitis.
Omnia cum struitis, cum volvitis omnia, tedas
Sumite lucentes, et faustas edite voces:
O Hymen, Hymen ades! o Hymen, Hymenee!
Sarmatice festive vividuleque puelle
Ad choreas aptate pedem et sinuantia crura
Comite plus solito crinem et precingite vitta,
Quam ruber irradiet suspensus fronte Pyropus
Indomitusque Adamas circum castusque Smaragdus
Addantur niveo gemmata monilia collo

Armilleque

MDXVIII.

Armilleque manus obeant et brachia spinther
Vestiat atque teres corpus, quem Dedala Memphis
Pinxit acu bissus, segmentaque texuit auro,
Denique quidquid habet mundi arcula, quidquid odorum
Ornatique boni vestros nunc cedat in usus
Et parte ex omni sit maxima cura placendi.
Ecce puellarum specimen Bona Sphorcia forme
Cujus jussa Venus sequitur Charitesque sequuntur
Et nimis in juvenes tendens sua tela Cupido
Hic vobis multos ditesque parabit amantes
Vera quibus dabitis solito et jurare potestis;
Sed ne vos etiam feriat puer ille, cavete!
Nam venit ex parili nunc hoc nunc illud amore
O Hymen, Hymen ades! o Hymen, Hymenee!
Vos autem juvenes, quibus o tot prelia gesta,
Tot cesi populi mala tanta peracta viarum,
Carpite leticiam et vestro miscete labori
Gaudia, non possunt semper juga ferre juvenci
Et sine jucunda requie subsistere vires.
Sumite purpureas vestes mollesque sobellos,
Quos premat a culto dependens vertice torques
Aureus et rubri fulgentia germina Ponti,
Atque agitate choros et florea poscite serta,
Pro quibus in ventum suspiria ducite, et hastis
Sternite vos, cassisque longis replete puellas.
O Hymen, Hymen, ades! o Hymen, Hymenee!
Nec vos pontifices sacri, proceresque ducesque
Pretereant adeo sublimis festa Hymenei.
Luceat omne forum vicique et compita flammis
Tinnula et in celsis crebrescant turribus era
Ictaque terribiles det bellica machina bombas.
Nunc superi sua dona ferant spumantibus aris
Et sua sacricola, qui fausta hec cepta precentur.
Ducitur ad vestros populos vestrumque Senatum
Numen Palladium viva sub imagine postum
Auspicio, cujus nobis rebus quem futuris
Aurea falciferi spondemus secula patris
O Hymen, Hymen, ades! o Hymen, Hymenee!
At tu, maxime Rex, magis hec quem gaudia tangunt,
Pande fores arcis, cui cedit Regia solis
Cedit magnifici priscus labor Amphiteatri,

Pande

Pande superba tui regum, quibus omnia vincis
Ornamenta Abaci aurumque omni pariete fulgens
Ditia que Attalicos superant aulea tapetas.
Pone graves curas luctusque actosque labores
Et belli strepitus, famam tibi fata perennem
Unde parant, tranquilla jacet sine laude voluptas.
En tibi portatur divino munere conjunx,
Delicium vite, fesse solacia mentis,
Que tua curarum grato depellet amore
Nubila et optata faciet te prole parentem,
Imperium cujus Tanais Nilusque capessent
Perpetuumque tuam stirpem producet in evum.
Quare age! pande fores hilari tua gaudia fronte
Dimidiumque anime felici suscipe dextra.
Hac sperare potes socia et Minerva presente
Seu Mars ingruerit plures ex hoste triumphos,
Seu pax obtinget vite bona plura togate,
Munere nam fungi solet hoc utroque Minerva.
O Hymen, Hymen, ades! o Hymen, Hymenee!
Nunc nimis expectata tuo, Bona diva, marito
Expectata tuis populis, ne differ amantis
Ire sub amplexum et tanti ad fastigia regni,
Accipe siderea regalem fronte coronam
Sceptraque numinibus cunctis astrisque secundis
Signeturque dies niveo tibi queque lapillo,
Duceris ad regnum nascendis nobile cunctis
Frugibus et fosse que pandunt viscera terre
Muneribus, clarumque viris, nullique secundum.
Duceris ad talem tua dona superna maritum,
Cui natura parem nostro non protulit evo
Virtute, ingenio, specie partisque tropheis.
Aspicies illum multis in milibus unum
Inter pontificum densas procerumque catervas,
Non secus ac inter celsam Pomaria Pinum
Aut stantem multa volucrem Jovis alite cinctum.
His altis potiere bonis, potiere superbi
Imperio regni, reges paritura futuros.
O Hymen, Hymen ades! o Hymen, Hymenee!
Vos superi vestris totum qui legibus orbem
Dirigitis, quorum surgunt hec gaudia ductu
Et surgit veniente Bona spes magna bonorum,

Annuite

MDXVIII.

Annuite optatis populi, nec nostra morentur
Vota morata diu, tumeat tener ordine venter.
Tempore exacto nascatur sidere dextro
Clara Bone soboles magnum patris incrementum.
Tu, Lucina, tuum munus servare memento,
Ne qua sui capiat formosa puerpera partus
Damna nec imminuat speciem nisi sera senectus.

Hymeneus.

Hymenea nunc pueri letis celebrate choreis
Et date lascivo carmina grata Deo,
Faustaque dicantur tam claris omnia tedis
Altius in terris nil quibus esse potest,
Absit Vesta procul, vite prefecta pudice
Castaque virgineo septa Diana choro;
Sed Venus incumbat thalamis, mensisque Lyeus.
Procul sit conjunx et soror alma Jovis
Ipse autem veniens Musis comitatus Apollo
Mulceat aurata pectora leta Cheli
At tu connubii dux, o venerabilis Hymen,
O Hymen, Hymen, o Hymenee veni!
En te turba petit, te totus concupit orbis,
Te silve, pecudes, flumina, saxa vocant.
Ungatur pingui limen postesque lupino
Et tu te dignas sparge marite nuces;
Solve pudicitie, princeps, pulcerrime zonam
Et demas sponse florea serta tue
Et te formosa facias cito prole parentem,
Qua capiant populi spemque decusque tui,
Que tibi longevi perages dum Nestoris annos
Succedat patrie gloria tanta sue,
Quam timeant hostes, cui totus serviat orbis
Vincenti priscos Marte Togaque viros.
Annuat ista Deus, que dictat Apollo canenti
Annuit, o Hymen, o Hymenee veni!
At tu virgo tuo non adversare marito
Cum quo te stabili federe junxit amor,
Desere vestalis consortia pura caterve
Jam tibi Lucina est jamque colenda Venus.

Non

Non est cur lachrimes, regni Regina potentis
Diceris et stirpis gloria magna tue,
Diceris et conjunx ejus dignissima Regis,
Cui laude equari nullus in orbe potest.
Elige preterea de tot nunc milibus unum,
Cujus forma tuo par sit habenda viro?
Quemque magis deceant cum regia sceptra decusque
Tum conjuncta uno bella puella thoro.
Quare age! tempus adest, thalamo procumbe jugali
Et subeas sponsi brachia grata tui.
Ludite, sat dictum est vobis, nec turpe putate
Natura quod fit lege hominumque bono.
At vos, o pueri, vocati dicite cantu:
O Hymen, Hymen! o Hymenee veni!

Indicia boni ominis.

Est auspex Cesar, dux Prosperus et Bona sponsa
Connubii tempus Cypridis atque locus.
O Superi quam pulchra datis presagia nobis
Ad decus et votum nil magis esse potest.

De Regina Bona.

Reginam proceres Bonam Poloni
Quam fausto dominam tulistis astro?
Nam quidquid Latii fuit decoris
Translatum est gelidam Bonam sub Arcton.
Felices populi, beata Regna
Que gentes domini preitis omnes;
Felices thalami, thori beati,
Que mundi geminum jubar fovetis.

In laudem Bone Regine.

Alma Sigismundi nova nupta regis
Bona celesti decorata vultu
Dotibus raris animi refulgens
Numinis instar.

Cui

MDXVIII.

Cui dedit pulchrum Venus alma vultum
Et caput Pallas, Probitas pudorem
Et dedit tanti diadema regni
Provida Juno.

Quam nimis cunctas superas puellas
Laude quas summa celebrant Latini
Quasque nugaces Danai solebant
Ferre sub astra.

Euge tam celso copulata regi
Et thoro gaudens parili viroque
Cujus insignis penetravit atros
Fama sub Indos.

Vive felices decus orbis annos
Vota nec nostri populi morentur,
Ut bona nobis bonus inde crescat
Arbore fructus.

CCCXLVI. Epithalamium in nuptiis Sigismundi, Regis Polonie, et Bone Sphorcie, Regine Polonie, Laurentii Corvini, Vratislaviensium Secretarii.

Edite Cesarea, Rex magne, propagine, et ingens
Stemmate de veteri nobilitatis honos,
Cujus ad excelsi solii sapientia dextram
Robur et ad levam cum bonitate sedent,
Erigone ante oculos niveo stat fortis amictu
Olim te superis impositura plagis.
Ingenio quamvis hebeti sum, frigore durus
Slesiaco et sensus obriguere mei,
Nostra Ariadnee nam Slesia adacta corone
Sub septem gemino mersa trione jacet.
Nec mihi in Ausoniis unquam studuisse palestris
Non Helicona sacrum scandere sorte datum est;
Te licet augusta deceat gravitate verendum
Aurea Meonia barbitos acta manu;
Me tamen alma tuo radians in pectore virtus
Impulit exigue tendere plectra lyre,
Quam mihi palladia pius ista Phebus in Urbe
Compactam fidibus prebuit imparibus

Cum

Cum tibi clivosi stabilis moderator Olympi
Sarmatice gentis contulit imperium,
Gentis martigene, que quondam fida Quirino
Strenuaque Evandri tempore regis erat,
Gentis, que fato profugi de sanguine claro
Principium traxit presidiis Ausonii,
Cum modo nulla tibi sit successura virilis
Proles, virtutem et sceptrum habitura tuum,
Venit Japigie leta telluris ab ora
Prestanti in thalamos virgo pudore tuos
Venit et ipsa tue longeva ab origine gentis
Augeat ut prisce nobilitatis opus.
Et velut Evandri nomen venerabile regis
Denotat insignem cum bonitate virum:
Sic regina Bona est preclarum nomen adeptum
Congrua cuumque suis nomina rebus habet.
Omnibus arctois longe prelata puellis
Ingenio, eloquio, moribus atque fide
Splendidior tanto faciem, quanto aurea Phebe
Ignibus effulget clarior ethereis
Lucifer Eois et quanto lotus in undis
Cetera candidior quam nitet astra poli.
Cui Venus egregios oculorum inflavit honores
Fulgidus atque animum Jupiter ingenuum:
Et licet ante tuam Tritonia Pallas in urbem
Venit ab Acteis Marte fugata plagis,
Et pulchram sapiens in ea sibi condidit arcem
Cirreum temnens Phebus Apollo jugum,
Quasque prius Rhodope sinuosus et audiit Hebrus
Nunc audit Musas Vistula dulcisonas;
Pegasides tamen hec, quas possidet Itala tellus
Infert gymnasio sponsa venusta tuo.
Sic quas quondam habuit tellus Memphitica et omnis
Grecia, nunc retinet Sarmata dives opes,
Que longe exsuperant aurum omne quod Archades urse
Axis et oppositus vesper et ortus habent.
Prima etiam docte signant fundamina Croce
Hec loca Pierio grata fuisse choro
Arce sub hac celsa rupes cana pandit hiatum
Immensum, laterum brachia bina rigent.
Intus acuta silex roroque simillima topho

In

MDXVIII

In testitudineum cedit abesa specum
Cecus et in latebris sedet error, tecta putares
Unde per insuetum Dedalus ibat iter;
Hic se condiderat draco sevus, acerba colono
Pestis et admoto maximus hostis agro.
Hec ubi militibus Gracci est ad inhospita ventum
Occupat hirsutus culmina summa frutex.
Que pulchre Dryades satyri et coluere petulci
Istula quasque suo Najades amne fovet
Hic ubi Gracovia est stabat densissima dumis
Silva bisontinis dulce cubile feris.
Sorte aderat medica grandevus in arte colonus,
Cui dederat doctum curva senecta caput;
Is pecudum spolia ignifero cum sulfure miscens
Illa venenose prebet edenda fere;
Ignoscunt fibre, nimius calor intima siccat
Viscera, fluminee sepe bibuntur aque,
Quoque magis potant sitiunt magis ora liquores
Dum tumor in bibulam pergis aquose cutem
Impatiens gelidi laticis moribunda dehiscit
Hydra et cum tumido vita fluore fugit.
Hinc sibi montano princeps in culmine sedem
Adque pedem rupis menia prima locat.
A duce munifico capit urbs hec regia nomen
Viveret ut multos Graccus in orbe dies
Convolat ingenti phebeius ales acervo
Ad putridas magna garulitate dapes,
Cujus ab assiduo fertur clamore, futurum
Graccovia auspicium sedis appollinee
Cui tua Romuleam non abs ratione Minervam
Nunc tulit a Latio sponsa profecta solo.
Sic non fortuito nec casu contigit ullo,
Sed tibi connubium hoc fata dedere deum;
Quod stabile efficiat pater optimus etheris alti
Qui geminos uno firmat in axe polos.
Et te mellifluo celi cum rore vigoret
Fecundetque thori claustra pudica tui,
Ut sis magnifici et generosi sanguinis autor
Inque tua vivat posteritate genus.
Splendida te faciat conjunx cum prole parentem
Auctura populi regna superba tui,

Strenua

Strenua fulmineo que sit cum Marte, profanas
    Eversura tuas, perfide Mosce, domos.
Illustresque tua veniant de prole nepotes,
    Qui Scythie gentes Massagetasque regant.
Et ditione sua Meotica Cymmeriorum
    Regna premant tenebris obsita perpetuis,
Sic tua progenies regnum fortissime et altum
    Nomen, perdurent tempus in omne tuum.
Nec ruat in preceps tua magni gloria regni
    Istula Danubias donec inundat aquas.

Laurentius Corvinus ad Famam. Ut Serenissimi Sigismundi, Regis Polonie, celeberrimas nuptias ubique terrarum divulget ad regii nominis amplitudinem.

Fama peregrinis que velox nuper ab oris
Venisti indocte ciclopea menia Croce,
Sarmatici regis faustos visura hymeneos,
Quos in sublimi celsis cum menibus arce
Splendidus Ausonia jam cum consorte peregit,
Conscia nunc veri pernicibus indue pennis
Remigium alarum celerique hinc mora volatu
Primum finitimas perfer tibi visa per urbes,
Deinceps nubiferum pennis elata sub austrum
Pannonie genti, que fulvum ex montibus aurum
Atque racemiferis tollit de collibus uvas
Hec refer, austriacas mox te vehat Hyster ad oras
Hyster ab alpino delapsus vertice, donec
Spumans Euxinas quino fluit ore sub undas;
Solis ad occasum clare pete celsa Vienne
Menia; Slesiacis hinc te contermina terris
Audiat umbrosis circum munita latebris
Hircinei nemoris Nemeeo et chara leoni
Bemia, magnanimeque parens Praga fulgida gentis
Ignotum tibi iter germanas pandet in oras;
Prepetibus volita hinc pennis ubi pistifer Albis
Gurgite preclaras sinuoso preterit urbes
Vitiferosque inter curvans sua flumina colles
Radit ab Ausonio decurrens culmine Rhenus

MDXVIII.

Rhenus et arctoum te lassam ducat in equor
Ad septem gemino demorsos axe Britannos.
Hic tibi continuo fueris si fessa meatu
Ripheo gelidus boreas demissus ab antro
Spirabit vivas placidi recreaminis auras;
Si qua fatigatis aderit tibi penna lacertis
Ipse pruinosas etiam dabit obvius alas,
Deinceps terna redi spumantis ad ostia Rheni
Hinc quoque trans Rhodanum te Gallicus audiat axis
Et postquam auriferos clamore impleris Hiberos,
Audax Hesperium conscende in navibus equor
Preter et Herculeam Calpen post torrida cancri
Brachia retrogradi atque expertem frigoris orbem
Naviga ad insignem stellis radiantibus aram,
Donec ad oppositi nobis concesseris astrum
Segne poli, hinc Indum te cerula ducat in equor
Navis ad extremas Bromii patris usque columnas;
Sed non ante redi, quam tu diffuderis omnes
Per maris et terre tractus et splendida regis
Facta Sigismundi et regali hymeneon honore
Magna quoque edideris large convivia mense,
Extulerisque Bonam Latia de sede profectam
Laudibus egregiis nulli in bonitate secundam
Reginam et magno passim memoraveris ore
Quo redimita modo? et quanto regina triumpho?
Quo splendore potens Graccovinam ingressa sit urbem
Rudolphi Agricole disces de carmine vatis.

CCCXLVII. Nuptiarum Sigismundi, regis, et Bone, regine Polonie descriptio

per Jostum Jodocum Ludovicum Decium de Wissenburgk, Slesitam, civem Cracoviensem, Joannis Boneri servitorem, regium post secretarium.

Joannes Dantiscus, Secretarius Regis, candido lectori.

Qui cupis historiam regalis noscere pompe
Tempore connubii, que celebrata fuit,
Hec lege, que Decius res est ut gesta notavit
Singula conspicies ordine facta suo.

Si

Si te delectant figmenta antiqua jurabunt
Dum bene perpendes hec nova vera, magis
Scripta stilo facili placeant ex tempore, mustum
Sepe solet veteri gratius esse mero.

Andreas Cricius, Secretarius Lectori.

Sigismundi thalamos memorandaque gaudia regis,
De quibus it variis garrula fama modis
Hoc Decius parvo depinxit cuncta libello,
Cui ratio rerum cognita tota fuit.
Si quid in his lector doctas offenderit aures:
Da veniam angusto tempore scripta putes,
Nec visum est novum res ut premeretur in annum
Cui novitate sua gratia tota venit
Esse autem cum vis dites ad fercula lances
Ne pete fictilibus non minus esca sapit.

Rudolphus Agricola junior.

Connubii sacra regalis magnumque paratum
Et causam ingressum principiumque leges
Qualis erat splendor, que magnificentia regis,
Sismundi et populi quam numerosa cohors,
Usque etiam ad malum Decius bene scripsit ab ovo
In re cui tali est indubitata fides.
Huic sunt perque annos perspecta negotia multos
Regia non ullus plenius acta refert.
Barbara si ponit quandoque vocabula lingue
Dissona romane res quoque talis erat.
Interdum licet eloquio rem scribere doctis
Displiceat quamvis nec suboletque rudi
Simplicitas veri eloquium non suave requirit
Hec etenim nuda est nec phalerata placet.

Ludovicus Jostus Jodocus Decius Wissembergensis Rmo. in Christo patri, Domino Petro Tomiczki, Epo. Premisliensi et regni Polonie Vicecancellario.

MDXVIII Laborem certe supra ingeniolum meum te hortante volens suscepi pedestri oratione, stilo facili admodumque jejuno, rebus quidem et occupationibus meis sic postulantibus, planam sum veritatem secutus ipse profecto mihi conscius: in re tanta referta celebritate minime satisfacere posse. Nec deesse, qui frustra me hoc onus subiisse contendent, quod in re literaria tot illustres noverim viros, qui his rebus usque insudavere, quique regium hunc splendorem excellenti carmine dabunt posteritati; nam quis Andrea Cricio, nepote tuo concentu moduloque auditus unquam dulcior? quis Hieronymo Balbo doctior? Laurentio Corvino quis venustior? Ursino Gasparo quis facundior? Dantisco Joanne quis eleganti ubertate copiosior? Agricolaque quis gravior esse poterit? qui omnes Epithalamiis aut ceteris lucubrationibus suis perpetue memorie hec memoranda condonabunt, quibus homuncio ego minime sum comparandus; verum vel etiam hoc me quominus pergam non absterret, quandoquidem diversis dissimilia placere videntur, scripsi itaque diarium et seriem rerum matrimonii sanctissimi et ea, que memoratu digna in splendidissimis potentissimi principis Sigismundi, Sarmatie Polonieque regis invictissimi, nuptiis gesta tuoque dignissimo dedicatum nomini — sub cujus amplitudinis presidio tutissime munitum exibit — in lucem dedi. Tunc enim satisfactum omnibus putabo, quum tibi presuli optimo, cui ego me meaque omnia devovi, minime displicere congnovero, satis superque assecutum me arbitror, si tuam mihi clementem gratiam vendicare potero ita enim, ut claris virtutibus (Dii immortales testes quia facessit omnis adulatio) cunctorum ferme antesignanus es, sic ceteris ego, te protegente, sum felicior. Hunc itaque meum suscipere pio dignare vultu laborem et gratia, qua jam pridem cepisti, tua jubente pietate, prosequere. Sed jam ne longior quam oportet sim et occupatissimum te nimium molestarem (me tue amplitudini addicto) eternum felix vale. Cracovie anno a partu virginis Millesimo quingentesimo decimo octavo, mensis Maji decima die.

Descriptio Diarii in nuptiis Serenissime Bone, Regine Polonie.

Per Jodocum Jostum Decium.

Anno abhinc tertio, qui fuit quintus decimus supra sesquimillesimum partus virginei, quum decima nona Augusti invictissimus clarissimusque Sigismundus, rex Polonie, ex Austria feliciter a potentissimo atque excellentissimo Romanorum imperatore Maximiliano Augusto — facta hinc inde affinitate filiis nepotibusque ac sibi ipsis reconciliatis in perpetuum reipublice christiane commodum — ad suos rediisset, jamque statuerat, paccatis rebus polonicis atque optimo in ordine positis, ultro ad Lithuanos Mtem. transferre acturus cum Mosco

Mosco bellum, quandoquidem per legatos ille ad Cesarem nihil dederat, quo vel pax vel inducie sperarentur. Dum vero parum Mtas. sua Cracovie consedisset, charissime Serenissimeque conjugis comitatum prestolans, que paulo ante ad secundum Julii mensis diem Annam reginulam natu secundam est enixa, necdum integre convaluisset. Cum vero jam in itineris procinctu esset, illa subito immatura morte secundo Octobris die ex humanis est sublata totumque regnum post se lugens reliquit. Et non immerito. Nam preter id, quod pulcherrima forma, virtutibus optimis decorata et principi charissima esset, nusquam superbire nec alicui molesta esse didicit, sed sicut omnium regina ita in omnes clemens et benigna fuit. Tum rex parat in Lithuaniam iter ad sextam Novembris diem a Cracovia solvens, desponsata prius Illma. Elizabetha sorore Friderico, Legnitio duci, que et ipsa edito prius partu paulo post princeps plena virtutibus et sanctitate ad superos concessit. Tandem Mtas. regia Sandomirie parum subsistens, ut quedam componeret regni negotia, relictis ibidem Hedwigi Annaque filiabus, Lithuaniam intravit. Interim cesar ipse Maximlianus memor reconciliate gratie, cernens eciam regem regnumque Polonie herede filio orbum, regem ad alterum matrimonium eum per literas, tum per nuntios suos cepit adhortari. Quo tandem persuaso, post multa inter regem et Basilium, Moscorum ducem hincinde acta missis legatis et oratoribus variis anno septimo decimo post millesimum quingentesimum circa primos Januarii dies cesar romanus Sigismundum de Erberstein ad regem oratorem misit, qui Cracoviam — mortuo Petro Mrakschi collega — venit, paucos dies expectavit, vocatus a rege in Lithuaniam discessit, XII Februarii die Cracovia exiens Vilnam ad regem pervenit. Hunc comitatus est ducis Moscorum nuntius, qui tunc apud cesaream Mtem. gessit oratorem, qui ut cesari gratificaretur, per Polonie regnum et ducatum Lithuanie cum eo in Moscoviam dimissus est. Alter eum quoque comitatus celebrior et multo optatior Chrisostomus Colonna, vir in sortem domi electus, doctus atque grandevus Illme. Isabelle, regis Aragonie nate ducis Bari et principis Rossani, nuper ad cesarem missus orator in facto faustissimi hujus matrimonii. Hi cum Vilnam venissent ea que cesaris decebat oratores reverentia excepti, Cocterum, Sigismundus legatione dicta, postquam cesareo nomine regi hoc sanctum persuasit matrimonium, ultra in Moscoviam est dimissus. Verum rex, qui recenti dolore saucius atque imminentibus bellorum Reique publice curis involutus aliquamdiu rem suspensam tenuit, putans forte, nihil minus convenire, quam eodem tempore pro fide pugnare atque nuptias facere. Tandem — quod deus max. opt. secundet — Julio mense inter ejus Mtem. et Chrisostomum, harum rerum fidum et diligentem sollicitatorem, qui et speciosissime virginis future sponse regie secum imaginem attulerat, Petro Tomicio, premisliensi presule agente atque disponente negotia, rebus istis datus est modus articulique scripti, oratores delecti et ad cesarem romanum sunt dimissi. Chrisostomus ex suis unum, Anthonetum nomine, Barium premisit, qui gestam a se rem auspicatissimumque principium nunciaret. Hic mira celeritate provinciam suam peregit, XXIII die quo Vilne solverat Barium — ut ajunt — pervenit, que loca inter se CCCLXXVI miliaribus germanicis distant. Oratores vero tardius ob itineris longinquitatem ire sunt coacti. In Augusto Cracoviam veniunt, mgcus. Stanislaus Ostrorog, castellanus calissiensis et rev. Joannes Konarski, protonotarius apostolicus et archidiaconus cracoviensis, quibus hec

MDXVIII.

MDXVIII. hec provincia est credita, suntque expediti ea dignitate, ut in bellorum medio tumultu fieri poterat. Fueruntque hi diebus circiter quatuordecim Cracovie, quibus sine cunctatione celeriter quantum in tanta festinatione fieri poterat pro regio se parauere honore. Tandem circa ultimos Augusti dies ad hoc se iter — quod versus Augustam faciendum erat — accingunt, quo in loco romanus tunc cesar agere credebatur. Verum Jodocus L oratores prevenit VII die Septembris Viennam veniens, ubi et cesar postridie appulit, a quo clementer — ut illi in quoscunque eciam infime sortis homines mos est — auditus atque mox in Italiam expeditus est, regiis autem oratoribus, relictis in Olomuntio literis, iter Viennam deflexit. Illuc ad XIV. Septembris venere. Cesar interim in Novam civitatem moverat, ubi oratores auditi. Joannes Conarcius orationem his rebus accomodatam et verba fecit. At quia — rebus sic postulantibus — extensa satis fuerat, omissis ceteris, seriem paucis annotavi verbis quae summa rerum fuit. Quando ita visum est cesaree Celsitudini, ut rex Polonie ad secundas jam nuptias animum dirigeret, idque ex clarissima Sforciadum et Aragonie regum familia, tandem Mtas. sua, capto consilio hos ad suam cesaream miserit Celsitudinem, quia jam pridem secum statuisset, ne transversum quidem digitum ab animo ac voluntate ejus cesaree Celsitudinis discedere in ejusque arbitrio et consilio tota acquiescere: intelligens hoc illius esse desiderium et sentenciam, ut Illmam. virginem Bonam in matrimonium duceret quamvis illam nemo subditorum Mtis. sue viderit, soli tamen commendationi ejus cesaree Celsitudinis innitendo consilium acceptaret et quod felix, faustum ac fortunatum sit, eandem Illmam. dominam Bonam sibi conjugem delegisset, sperans, ejus Celsitudinem id illi minime consuluisse censuisseque faciendum, nisi intelligeret hac affinitate non vulgarem accessionem cum ad reipublice christiane augmentum conjunctionemque mutuam utriusque Mtis., tum eciam rationes et decorem tam illius Mtis. quam regni et dominiorum suorum futuram.

In hanc fere sententiam legatione dicta cunctatum est aliquamdiu donec mandatum ex Bario — quod tam celeriter quia cesar Auguste credebatur Viennam venire non potuit — est portatum. Tandem XXII. Septembris per cesaream Mtem. et regios oratores de matrimonio est conclusum oratoresque dimissi VIII Octobris die Venetias veniunt, parumque apud Tervisium equis refectis et necessariis quibusdam coemptis, juncto illis ibidem cesareo oratore Sebastiano Sperantio, decano brixinensi, viro humano doctissimoque, alter scilicet ex duobus, quos cesar in hujus matrimonii decorem cum illis summiserat, oratores missis per mare rebus suis, terra ipsi per narchiam iter facere Veneta urbe XIV Octobris relicta V. Novembris Barium venerunt, ubi maximis honoribus excepti sunt.

Verum quia Illma. Izabella dux simul cum sponsa regia Neapolim ex Bario digressa missis hincinde nuntiis, oratores XII Novembris ex Bario solverunt, ad quos Nole Augustinus Cemensius, alter cesareus orator, accurrit, simulque sic Marillianum ingressi suo duntaxat nomine regiam salutavere sponsam, vigesima autem prima ejus mensis die et regia sponsa et oratores cesarei regiique Neapolitanam urbem sunt ingressi singulari pompa et splendoris decore; de quo supervacaneum esset hic inserere, facile enim quisque apud se ipsum hec intelliget ex ceteris, que in hujus matrimonii celebritate gesta sunt. Tandem XXIIII. Novembris cesaris oratores auditi, quorum alter Sebastianus Serantius longam disertamque

et

et facundam de laudibus regis Polonie et hujus matrimonii commendatione habuit orationem. Sed illi tanquam externo magis licuit altius certissima veritate tanti principis virtutem repetere, nostris autem, ne quid adulationis note contraheretur, parcius agendum fuit, quam vel negotium vel principis dignitas postularent. Deest illa oratio, que tot laudibus referta esse perhibetur, ut et principum Mtas. et orator ipse non parvam gloriam ab auditoribus consecuti fuerint, sed et nobis quid fortune periit, quod illam hoc in loco habere non potuimus. MDXVIII.

Triduo post regii oratores auditi. Stanislaus Ostrorog orationem habuit, quam his inserere placuit gravissima tunc febre Conarscio decumbente — *Est supra oratio hec scripta fol. 224.*

Postea quam legationis munus expleverunt, atque hinc inde omnia pro voto acta sunt, tandem — quod deus opt. max. secundet — per annulum regium, quem per me oratoribus regia miserat Celsitudo, Adamas scilicet acutus, quem auro ligare atque hec verba intrinsecus desculpta ponere feceram: „benedicat te deus et crescere faciat in gentem magnam." Eo itaque annulo regi clarissima virgo per verba de presenti subarata ac desponsata est. Et ut fama perhibetur, hic actus tanta fuit majestate et excellentia decoratus ut non vidue unius, sed maximi orbis terrarum regis splendorem atque fastum superaret. Cui etiam summus romanus pontifex LEO X. hac humanissima epistola — quam breve appellant — congratulatus est.

LEO Papa X Izabelle, Duci Barensi.

Dilecta in Christo filia. Gavisi plurimum sumus cerciores nos literis tuis factos, filiam tuam unicam charissimo in Christo filio nostro SIGISMUNDO, Polonie regi Illmo., desponsatam fuisse, que eum faciat formosa — cum ipse formosus est — ac regia prole parentem, tibique tanto magis gratulamur, quanto cognoscimus juxta desiderium operam et autoritatem nostram rem bene cessisse. Qui alias apud primarios dicti regis prelatos literis nostris aliquas sibi, quas tali rege dignas fore censebamus proponi fecimus, inter quas filia tua inter precipuas fuit nominata, existimantes, nostra et hujus sedis sancte non parum interesse, regnum illud legitimo non carere debere successore, presertim autem talis regis, qui pro Christi fide proque religione christiana tuenda et amplianda bella semper contra ejusdem fidei hostes gessit, et dextera domini sibi propicia assistente, sibi triumphum et gloriam ad dei laudem et perpetuam sui commendationem victricibus armis reportavit. Et eo quippe rege ex filia tua ejus sponsa a te, cui semper peculiaris cura fuit Turcarum tyranni machinationes et progressus diligenter perquirere et prudenter investigare, querens quantum in te fuit illius profanis cogitationibus semper obviare nutrita et educata tales filios procul dubio proventuros speramus, qui vestigia clarissimi patris imitari sciant, velint et valeant, regni illius fines longo lateque propagare ac Tartaros, Moscovitas et alios finitimos populos Christi nominis inimicos debellare et feliciter superare. Sicque ex toto corde et ex tota mente nostra deum redemptorem nostrum, ut hec temporibus nostris nobis concedere dignetur, studiose rogamus. Ac insuper auctoritate nobis

MDXVIII. bis a Deo concessa, regem et reginam ipsam tuam filiam ut in conspectu ipsius regis veram gratiam et gloriam inveniat, benedictione sancta nostra in domino benedicimus, sicut deus Abraham et semen ejus benedixit, ut benedictione ejusmodi nostra omnia eis prospere succedant sintque illorum filii sicut novelle olivarum in circuitu mense sue per merita ipsius, cujus vices in terris gerimus. Cui sit honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Hoc itaque ordine peractis rebus, cesarianis oratoribus gratie habite atque dimissis illis, regii quoque oratores sollicitis mentibus et matrem et filiam hortari ceperunt, ut iter hoc suum ad desideratissimum maturaret sponsum. Verum materna pietas partim filie amore — quam forte vix unquam visuram se sperabat — capta, partim etiam quod hiberno tempore periculosum maritimum iter, nec etiam per terram omnino satis placeret, profectionem ipsam produxit. Variis habitis deliberationibus eo ventum est, ut hec regia sponsa dubiis maris fluctibus crederetur. Quo habito atque concluso consilio, oratores regii XXII. Decembris Neapolitanam urbem egressi celeri cursu itinere, quo venerant, per Venetam urbem rediere, Villacum, Carinthie oppidum, ubi etiam regiam decreverant expectare sponsam. Quum vero hiems plus solito erat asperior atque illi feminei sexus teneritatem non ignorarent, ante veris initium venturam non rati, mutata sententia, Viennam usque venere. — Quod cum rex cognovisset, literis iter intercepit atque denuo regine sponse sue obvios ire jussit. Refectis itaque familia equisque post dies ferme sex ad sponsam regiam redeunt. De cujus adventu inter equitandum apud Pontem, Stirie oppidum, habuerunt nuntium. Nam abeuntibus oratoribus ex regno neapolitano, sponsa regia simul cum matre Illustrique Prospero Columna Manfredoniam civitatem maritimam profecti, ut habito secundo aëre vela ventis darent. Tandem III Februarii MDXVIII inde solventes salvi omnes feliciter que XIV. ejus mensis ad sanctum Vitum in Flumine, cesareum oppidum, ad littus Istrie situm pervenere. Comitatum vero, quem ejus Illustritas habuit, infra in ingressu Cracoviam describere volui. Ceterum Cesariani regiam sponsam honoribus maximis exceperunt, indeque per Laibacum, Carinthie oppidum, ducta, regios oratores interea apud Cilli oppidum habuit obvios. — Postea a Stirianis quoque in Gratz perducta, quo in loco a nobilitate plebeisque communi omnium plausu est mira veneratione excepta. Recto deinde itinere Viennam contendit. Sed et in Austrie finibus per mgcos. cesaree Celsitudinis a regimento senatores summis quoque honoribus, duodecim milibus passuum extra Viennensem urbem salutata, Viennam deducta, ubi etiam senatus decreto a Viennensi instructo peditum ordine MCC numero ornatissime germanico more vestitis, singulari civium gratulacione extra urbem, quam diligentissimo studio nuper ad hujus ingressus decorem a nivibus mundare preceperant, suscepta in arcem cesaris locata est. Quo vero splendore, quove omnium congratulationis gestu cum a nobilitate tum a plebeis per Germanie oram illa regia sponsa sit venerata, id manus mea scribere deficeret, haud secus enim omni in re observata ac si romani imperii socia heraque illorum esset futura. Excepta est et ab excellentissimo viennensi doctissimo collegio oratione docta atque extensa, que, quia extat alias formulis excussa, hic non inserta est. Pridie ante Mtis. ejus ingressum Viennam, Illris. Casimirus, marchio brandeburgensis, illuc quoque venerat, quem cesar ad hoc dignissimum munus summiserat, ut regiam

giam hanc virginem Celsitudinis sue nomine — quum hoc in matrimonio parentis gereret officium — regiis thalamis adduceret. MDXVIII.

Ceterum Bretislaus Swihaw, Joannes Moraxius, Laurentius Saurer, Austrie vicedominus, et Joannes Cuspinianus, urbis viennensis prefectus, marchioni pro collegis dati. Qui simul regiam hanc sponsam ad desideratissimi conjugis complexus festinantem ad ramis palmarum dominicam in Olomuntz perduxere. Ea in civitate, que humanissimo populo est referta, decenti veneratione dignata, Paschalia sacra rite observata.

Interim vero supra repetere opere pretium est, quid domi gestum, quove ordine epule tantis hospitibus digne parate, relicta parum regia sponsa in hac pulchra olomuncensi civitate, loco tum pulcherrimo tum tutissimo, ad regem redeundum est. Cujus Celsitudo acceptis literis, quibus de adventu sponse sue certior factus, vicinos mox principes ac omnis dignitatis primores, oratoribus ac nunciis missis, ad has felicissimas vocavit nuptias. Eorum tamen, qui invitati fuerunt frustra hoc in loco nomina citarentur, quum infra plerisque in locis qui interfuerint notavi.

Medio dum hec ordinata, copia rerum victualium disposita incredibile est quam cito et temporum conditione faciliter beneque singulis est provisum. Post hec regie habitationes veluto burcato auro miro sumptu splendide adornate. Preterea regia Celsitudo incolis regni primoribus, proceribus et aule sue militaribus viris, secretariis etiam et aulicis suis vestes auro contextas velutum, athlasium, adamascum liberaliter donavit, cubiculariis vero pueris, tubicinibus, cocis alteriusque sortis pro personarum conditione hominibus provisum.

Interim ex regni primis quatuor novi ad regiam sponsam oratores delecti, qui eam ejus Mtis. exciperent nomine. Qui mox ad hanc se paravere digne provinciam, reverendus Joannes de Lubbrancz, posnaniensis eps. et mgcus. Lucas de Gorka, castellanus posnaniensis, qui per Wratislaviam ex Posnania venerunt, Cracovia vero reverendus dominus Erasmus Vitellius, plocensis epus. et mgcus. Christophorus de Schidlowyecz, palatinus cracoviensis et regni Polonie cancellarius, exiverunt recto omnes itinere in sponse regie occursum profecti, medio miliari extra Olomuntz urbem conveniunt, simul urbem ingressi, quo splendore, quave magnificentia, hoc in loco consulte subticeo, ne cuipiam viderer aliorum adempta laude, nostros maxime extollere; hominum namque judicium, favorem sequi consuevit, verum qui viderunt parcitate non vitio boni judices me scriptorem arguent. Hi regiam salutandi gratia accesserunt sponsam, et posnaniensis presul verba fecit hac infra inserta brevi jucunda oratione reginam novam salutans appellavit.

Si vel etatis vel ordinis mei munus esset, Illma. virgo, eloquentie viribus niti, vellem nunc in labris meis Demosthenis medulla sessitaret, et ut ea, qua par est verborum et sententiarum dignitate tuam Illmam. Dtionem. cum his mgcis. et ornatissimis collegis meis salutare possim, atque id imprimis affatim declarare, quam gestientibus animis huc venerimus future letitie sacre Mtis. domini nostri nuncii. Cujus Mtas. etsi multos et graves bellicos labores cum ad suorum regnorum utilitates, tum vero ad communem religionis christiane defensionem contra Infideles et alios ss. ecclesie romane acerrimos hostes suscepit, ad rem tamen uxoriam animum appulit, tuamque Illmam. Dtionem. delegit futuram sibi sancti matrimonii

MDXVIII

matrimonii conjugem et sociam perque jucundam et gratam. Ad quam salutandam et excipiendam sua Mtas. nos misit. Cum autem nec etati nec professioni mee satis consentaneum videtur, magno apparatu orationis uti in re tali et tanta transigenda, que quidem si ab oratore agenda esset, cujus est proprium res magnas summis laudum preconiis celebrare, amplissimam commendationis suppeditaret materiam, missa hec faciens, que non sunt professionis mee, tuam Illmam. Dtionem. concordiore et gratissimis animis, qua majore possumus veneratione salutamus alacrique animo et hilari vultu sponsam domini nostri excipimus, presentique tibi maturos largimur honores. Et ut ad Sermum. dnum. nostrum, sponsum tuum, nobiscum una te jam recipere digneris psalmographi prophete magnifico illo et humano generi admodum salutari carmine invitans: „Audi, filia, et vide et inclina aurem tuam, quia concupivit rex speciem tuam!“ — Tu ergo specie tua et pulchritudine tua intende prospere, procede et regna.

Datis deinde a rege muneribus, duas videlicet torques multis et preciosis lapidibus margaritisque decoratas, presentatoque plaustro, quod regia Celsitudo scarlato optimo, viridi subducto adamasco, desuper tectum sue miserat charissime sponse, quo ut lenius tutiusque veheretur, ut solis ardorem et celi intemperantiam facilius effugere posset.

Rite tandem fidei sacris peractis, post Pasche diem iter in Poloniam maturant dieque XIII. Aprilis salvi in Morawicza, pagum duo milia passuum a cracoviensi urbe venere, ubi regia sponsa eo sequentique die consedit. Eo die regia Celsitudo reverendum dominum Petrum Tomiczki, epum. premisliensem, et Illmum. ducem Constantinum Ostrogiensem et Joannem Zaremba, palatinum calissiensem, sponsam suam salutandam misit. Qui quam lepide officium expleverint illius dignissime presulis festiva oratio, quam ex verbis annotavi declarat.

Sacra Mtas. regia, Serma. princeps, licet hoc toto tempore, quo te ad regnum suum adventare intellexit, abunde tibi declaravit cum crebris literis tum dnis consiliariis suis, quos tibi non pridem obviam misit, quanto affectu, desiderio et letitia sua te expectet; iamque non procul abest, quo ejus Mtas. idem ipsa sit abundius tibi coram declaratura et presenti mutuoque amore tuo perfruitura, cognito tamen tam propinquo tuo accessu nimium gestiens animo, idque etiam reliquum temporis, quo feliciter ad se pervenias, longum reputans, mittere nos dignata est ad excipiendam et salutandam nomine suo tuam Celsitudinem ejusque faustissimo adventui gratulandum. De quo quantum et ipsa illius Mtas. et omnes hominum ordines gaudii, voluptatis et consolationis capiant, clarius tute, excellentissima virgo, postridie, bene juvante Deo, cognosces, quam explicare vel ulla oratio nostra possit vel locus hic requirere videatur. — Quare, quod felix, faustum ac fortunatum sit, ingredere candidissimis auspiciis ad regiam, ad thalamos ac complexum denique et amorem perpetuum sponsi tui felicissimi, cum quo etate Hecubam, fecunditate Niobem, felicitate Lampidonem exuperes.

Sancti vero Olimpiadis die XV Aprilis summus parens omnium deus hilari fronte mundum arridere visus, subito opacum nubilumque celum detegit letoque vestivit colore, splendidum lucere

lucere jussit solem, qui micantibus radiis virentia queque in hujus actus contemplationem erexit, procul dubio auspicatissimum presagium hoc sanctum matrimonium non modo hominibus gratum, sed superis quoque esse cure. MDXVIII.

Eo die rex processit, ut ipse jam diu desideratam sponsam exciperet, cum omnibus regni Polonie archiepiscopis, episcopis, palatinis, castellanis ceterisque proceribus, aulicis atque hospitibus, qui jam ex diversis locis rogati convenerant Cracoviam, circa XVI diei horam ad locum his rebus accommodatum, ubi tentoria propter solis ardorem posita fuere terraque ob actus istius majestatem panno rubeo strata.

Egressus hujus ordo specialis non erat, tum quia hominum numerus intra civitatem propter angustiam contineri non potuit — Masovie etiam jam duces regem egredientem prevenerant — tum etiam, quod rex in ipso suburbii hostio parum sistebat, donec LXX tormenta bellica seu machine succense globique ejecti sunt, ita aliquantulum ordine conturbato, in locum stationis ventum. Hic aliquamdiu regia sponsa expectata, forte quia inter rmum. dnum. cardinalem Estensem, qui eo mane ex Vngaria venerat, comitatus CCCLXVII equis et Cesarianos pro loci dignitate leviuscula quedam intervenere, quo, ut tardius contra opinionem venirent, effecere. Rmus. cardinalis, relicta sponsa regia, venit in eum locum, ubi regia Celsitudo in tentoriis expectabat. Cui primo rmus. dnus. Joannes de Lasko, gnesnensis archiepus., comitatus rmis. Stanislao, olomuncensi, Joanne, wratislaviensi epis., hospitibus, et Bernardino, archiepo. leopoliensi, Mathia de Drzewicza, wladislaviensi, et Petro Tomiczki, premisliensi, et Joanne de Konopat, culmensi domesticis episcopis, venit obvius, datis de more hincinde dexteris, humanissime est exceptus et ad regem deductus, paucis salutato rege verbis, hilari vultu a rege gratus hospes excipitur. Tandem, quum sol in occasum flecteret, regia venit sponsa precedentibus imprimis regiorum oratorum equitibus, qui ejus Mtem., ut supra memini, in Olomuncz exceperant, pone hos italicus et domini Prosperi equitatus, deinde Cesarianorum familia, postremo ipsa regia virgo, equo pulcherrimo vecta, comitata per marchionem et Prosperum Colonna, ceteris oratoribus precedentibus. Quum vero in eum locum ventum est, quem panno rubeo stratum memini, in terram prosiliunt. Nam et rex ipse pedester venit a tentoriis pauxillum obvius clarissime atque charissime sponse sue, que supra memoratis ducibus comitata venit.

Apud regem fuere rmus. cardinalis estensis et hi, quorum supra feci mentionem. Hoc itaque modo utrinque conveniunt ab orientali plaga flectens magis ad meridiem regia incessit Celsitudo suis, quos infra dicturus sum, comitata. Ab occidentali vero parte vertens in septentrionem regia nympha venit, sociata a dextris Kazimiro, marchione et Prospero Colonna, a sinistris ducibus optimis. Ad utrumque vero latus cesarei oratores et italica nobilis comitiva occuparunt. Stantibus igitur sic ex adverso multisque milibus intuentibus, speciosissima Bona ad regem, sponsum suum, deducitur, quam rex data dextra hilaris excepit. Illa vicissim profundius flectens regem est amplexata. Tum rmus. dnus. Joannes de Lasko, archiepus. gnesnensis, orationem loco et conditioni accommodatam habuit, quam inserere opere pretium videtur. Hic verbis exorsus est.

„Rerum fabricator deus et potentissimus humani generis conditor hominem ceteris animantibus preponens, ipsi quoque homini preposuit imperatores reges et principes,

MDXVIII.

cipes, eosdemque majori prerogativa nobilitatis clarere voluit, ut ipsi, veluti quedam mundi lumina et rerum omnium moderatores in terris, genus humanum sua prudentia, ingenio, auctoritate, armis, legibus et justitia regerent et conservarent. Quod cum ita sit, decet superque dignum et necessarium est, ut id genus homines tanta dignitatis excellentia pollentes, excellentium quoque geniorum connubiis potiantur et gaudeant, quo magis ipsorum domus atque familie amplitudo magnis connexa clientelis et affinitatibus elucescat et Mtas. exornetur fulgore. Hac contemplatione, Illmus. princeps, rex noster Serenissimus, sponsus Mtis. tue, magna nimirum nobilitate clarus, utqui et rex est et regis filius, regum nepos, regum patruus, multosque fratres, reges, continua serie habuerit, adeo, ut nemo fuerit ex hac sacratissima vetustissimaque familia, a qua ipse ducit originem, qui non regis nomine appelletur indeque jam protritum proverbium sit, hanc familiam ad hoc tantum nasci, ut regnet et regnorum diadema gestet. Sed est supervacaneum hoc verbis extollere, quod per se notum est. Ad rem redeo. Dum jam pridem Mtas. sua reginam suam charissimam immatura morte preventam amitteret, pertesus et affectus, quod tamdiu conjugis careret solatio, ad tuam Mtem. appulit animum, quam non ignorabat, dignam se conjugem esse et magnitudine nobilitatis et amplitudine domus atque familie, utpote a magno stemmate regum Aragonie ortam, Illustrissimique et amplissimi ducis Mediolani filiam et unicam heredem esse, ac denique nominis claritudine, excellentia forme, morumque honestate admodum pollere, nil sibi felicius accidere posse reputans, quam te in conjugem et consortem regni habere. Nec multo post sollicitante Mte. sua, teque consentiente, rem peragi, — quod felix faustumque sit — obtinuit. Idque extemplo rupta mora federe matrimoniali per suos oratores de more firmari et huc te conduci commisit et ordinavit. Cujus Mtas. quum te jam, deo bene volente, itineri accinctam esse intellexerit, mox et ipse impiger et alacer ab ultimis Sarmatie et sui Mg. ducatus Lithuanie finibus per longissimum terrarum tractum huic loco accurrit, ut quam primum videret, salutaret et exciperet faceretque quidquid ad tuum honorem dignitatemque pertineret. Sed tu Sacra Mtas. hoc uno infelicior esse videberis, quod in hoc primo adventu tuo acciderit, te laudum et magnitudinum tuarum me preconem habere, qui lingue latialis omnino inops sum, et in dicendi genere imperitus, maxime in presentia sacratissimi sponsi tui hocque cetu pontificum, principum, baronum et procerum, doctissimorumque ac peritissimorum virorum ac tanta populi frequentia, qui ad videndam te et digno honore celebrandam officiosissime et cupide confluxerunt, et stimulant me studiosis indiciis, ut eos Mti. tue ex affectu commendarem, ut eos secundum quod tui nominis studiosos cognoveris, gratia et favore prosequi non dedigneris. Qui et nunc observant ac intuentur, quo vultu et animo eos intuearis. Nam tanta est laudum et virtutum tuarum excellentia ac morum compositio, pulchritudinis que et venustatis decor superque ingenii et doctrine — quod raro in virginibus accidere solet — perspicacitas et acrimonia, ut difficile fuerit nedum a me quidem indiserto

indiserto et elingui, verum et a doctissimo quoquo disertissimoque viro ad amussim disserere. Nam nihil tam docte tamque diserte dictum foret, quod non majus, auctius, prestantiusque esset, adeo ut si et omnes, qui hic sumus, uno ore loqueremur totoque conamine niteremur, vix minimam partem laudum tuarum possemus comprehendere. Neque ego hoc munus excipiendi Mtem. tuam suscepissem sciendo me ad hoc viribus imparem esse, nisi me impelleret dignitatis et primatis conditio et in ea Reipublica auctoritatis majoritas. — Confido tamen de Mte. tua, quod si quid minus dixerim egerimve, quam tua dignitas et excellentia meretur et exposcit, indulgebis mihi veniamque dabis plus volenti quam potenti. Neque etenim locus et tempus patitur orationis vela extendere, quin nec ego volo in hoc certamine perstare diutius, sed etiam potius canam receptui. Venit igitur tua Sacratissima Mtas. ad eum sponsum, quem jam presentem intueri possis, cujus dextre jam tuam junxisti. Accipe hunc jucunde et placide cum quo regnum amplissimum magnaque dominia sis acceptura, nihil sibi deest nisi filius successor. Nunc in te omnis spes nostra sita est. Non aliud Respublica nostra postulat a te, quam ut talem nobis producas, qui parentem exprimere et representare possit. Nos vero omnes subditi sui tanto studiosiores et obsequentiores tibi erimus, quanto magis revereri oportebit et parentem, qui regnat et filium, qui in regno successor erit. Tu vero enitere omnibus his, quibus preesse debebis, eorum honori et commodis prodesse velle, et sicut nomine Bona es, sic te semper nobis bonam, gratiosam clementemque prebeas, omnique benignitate prosequere. Aderit tibi deus Mariaque, dei et hominum mater, dii penates, tutela regni, divi Adalbertus, Stanislaus, Venceslaus et Florianus ac divus Nicolaus de Bario, patronus tuus gloriosus, et hunc adventum tuum auspicabuntur augerique te ac vivere facient multos in annos." MDXVIII.

Interim ad machinarum magistros nunciatum est, qui terribili sonitu hunc congressum ad astra usque nunciaverunt.

Dicta oratione Ludovicus, secretarius, vir facundus et doctus, regine verbis respondit admodum breviter, que tunc neque audire neque habere potui. Hilarissimis deinde vultibus reliqui cesariani oratores, Italieque proceres sunt excepti, regiaque osculata manu ad salutationem regie sponse nostri pro dignitate accesserunt. Nostros dico, quos supra cum rege fuisse etiam ex hospitibus memini. Anna deinde, Illma. dux Masovie, vidua, cum filia virgine accessere, quam alie feminei sexus sunt secute.

Salutatione itaque de more facta, ordines ex eo loco progrediendi in urbem per marschalcum disponuntur, quem volens hoc in loco subticeo. Verum quia ordo hic postulare videtur, omnium, qui interfuere, nomina annotabo signatis aliquibus, qui tunc apud ingressum non fuere vel etiam post coronationem venere.

Cesarianorum nomenclatura.

Illris. Kazimirus, Marchio Brandeburgensis, regius nepos.

Insigniores

Insigniores qui cum domino
Marchione venerunt.

Bertholdus, Comes de Hennenberg.
N. dominus Lechtenstein junior.
Grunning, Marschalcus.
Joannes, Druchses.
Osswaldus, Schex.
Bartholomeus Vexensteinner.
Christophorus Wolfmershauser.
Mauritius Schirdinger.
Conradus Betzinger.
Stephanus Birkenfelser.
Joannes Seckendorff.

Aliique Germani, nobiles, qui omnes eorum more armati erant.
Omniumque equitum numerus CXL.

College domini Marchionis.

Bretislaus de Schwiechaw, Bohemus.	Equites	XXXVII
Joannes Moraxius	„	XXX.
Laurentius Saurer, Vicedominus Austrie	„	XVI.
Joannes Kuspinianus, Prefectus Viennensis	„	VIII.

Illustris Prosper Columnensis, Romanus,

Insigniores Curie sue.

Joannes Vicencius Cosa, prefectus Curie Ill. dni. Prosperi.
Julianus de Crepanica, Romanus.
Hieronimus de Lapenna.
Camillus de Metallica.
D. Valenza, Hispanus.
Nicolaus Vardo, Cremonensis.
Ludovicus Victorinus.
Joannes Jacobus Varisinus.
Camillus Carratius, Neapolitanus.
Stephanus Emillia.
Bartholomeus de Reda, Secretarius.
Joannes Dominicus, Mediolanensis.
Joannes Roka.

Numerus equitum domini Prosperi . . . LVIII.

Insigniores Curie Reginalis Majestatis.

D. Spinetus

D. Cola

D. Cola de Carmaniano.
Alphonsus Gwalandini de Pisis.
Alphonsus de Ericho, Neapolitanus.
Joannes Vicencius Marra, major domus.
Thesaurarius.
D. Baro de sancta Barbada.
D. Marianus.
Paulus, Cancellarius.
Ludovicus, Secretarius.

Et reliqui proceres et officiales omnium equitum numerus XCII.
Sed personarum numerus CCLXXXVII.

Invitati Hospites.

Rmus. dnus. Hippolitus sancte Romane ecclesie tituli Sancte Lucie in Silice Diaconus Cardinalis Estensis, habuit equites . . .	CCCLXVII
Illris. Kazimirus, Dux Tesnensis cum Wladislao filio . . .	CLIV.
Ambrosius Scharkani.	CXIX.
Hi duo Regis Vngarie oratores erant.	
Renuel quoque post coronationem nuncius a Rege Vngarie venit, habuit equites	X.
Stanislaus, Epus. Olomuncensis. Equites . . .	LXXXVIII.
Joannes, Epus. Wratislaviensis. Equites.	CXXXVI.
Illris. Fridericus, dux Legnicensis	CLXXX.
Illris. Georgius, dux Bregensis	CXL.
Illris. Carolus, dux Munsterbergensis	CXXV.
Hi tres in ingressu non fuerunt.	
Illres. Stanislaus et Joannes, Masovie duces cum matre et sorore. Habuerunt equites.	CCXLIII.
Rmi. dni. Cardinalis Strigoniensis orator. Equites	XXIV
Joannes de Schonberg, orator ducis Missnie	VII
Rmi. domini Archiepi. Colocensis orator post coronationem venit. Equites habuit	XXIV
Alexius Thurszo, Epi. Quinqueecclesiensis orator, non fuit in ingressu. Equites habuit.	XLVII
Sarkani Janusch, Epi. Vaciensis orator	XXIV.
Dominus Leo, Capitaneus Bohemie, cum filio venit post coronationem	CVI.
Ladislaus de Sternberg, Cancellarius Bohemie.	CXXIX.
Orator Palatini Valachie	IX.
Udalricus, Comes de Glatz et Hardeck ad ducem Karolum numeratus.	

Hieronimus

MDXVIII. Hieronimus Balbus, Orator Palatini Vngarie habuit equites . . XXVI.
Domini Laurencius de Tranczin, Kozan et N. doctor, oratores dni., dni. Ducis de Tranczin. Equites . . . . L.
N. orator dni. Moysi, Baronis Vngarie. . . . . XIII.
Hieronimus Hornik, Capitaneus
Achacius Hanolth, Consul
Henricus Philocalos, Sindicus
Oratores Wratislavienses. Habuerunt equites . . . . XLVII.
Bathian, egregius Vngarie miles, habuit equites . . . . . XXXIX.

Insigniores Regni Polonie.

Rmus. dnus. Joannes de Lasko, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus natus et Regni Polonie Primas.

Bernardinus, Archiepiscopus Leopoliensis.
Joannes Konarski, Epus. Crac., in civitate propter debilitatem remanserat.
Mathias Drzewiczki, Epus. Wladislaviensis.
Joannes Lubranski, Epus. Posnaniensis.
Erasmus Ciolek, Epus. Plocensis.
Petrus Tomiczki, Epus. Premisl. et Vicecancellarius.
Joannes Konopaczki, Epus. Culmensis.
Joannes Latalski, Gnesn. Crac. Lanciciensis prepositus.
Joannes Konarski, Archidiaconus Crac.
Joannes de Karnkow, Scarbimiriensis prepositus.
Andreas Cricius, Canonicus Crac.
Stanislaus Tarlo, Archidiaconus Lublinensis.
Stanislaus Oleschniczki, Canonicus Gnesnensis.

Ex seculari dignitate.

Constantinus dux Ostrogensis et Magni ducatus Lithuanie exercituum Capitaneus supremus.
Spithko de Jaroslaw, Castell. Cracoviensis, dignitate primus.
Christophorus de Schidlowyecz, Palatinus Cracoviensis et Regni Polonie Cancellarius.

Nicolaus de Lubbrancz, Palat Posnaniensis.
Joannes Zaremba, Palat. Calissiensis
Andreas de Thanczin, Palat. Lublinensis.
Nicolaus Pileczki, Palat. Belzensis

Lucas de Gorka, Castellanus Posnaniensis, Majoris Polonie Capitaneus cum filio Andrea.

Nicolaus

Nicolaus de Schidlowyecz, Castellanus Sandomiriensis, Thesaurarius. MDXVIII.

Stanislaus Ostrorog, Castellanus Calissiensis.
Nicolaus Jordan, Cast. Vojnicensis, Scepusiensis Capitaneus
Stanislaus Haliczki, Regni Polonie Marschalcus.
Petrus Kmitha, Curie regie Marschalcus.
Joannes, dnus. de Tharnow.
Nicolaus Volski, Castellanus Sochaczoviensis
Stanislaus Pileczki, Capitaneus Sanocensis.

Multi preterea proceres militarisque conditionis nobiles presentes fuere, palatini tamen castellanique et ea, que in Russia Podoliaque est nobilitas, his non interfuere nuptiis, ea potissimum ratione, quod tunc non sine suspicione de Tartarorum incursione fama erat, ut eorum igitur comprimeretur licentia domi consederunt, ne media in letitia Respublica turbaretur.

Ordine itaque instructo urbem versus omnium primi aulici progressi, deinde Magnificorum baronum, procerumque regni Polonie equitatus, pone hos episcoporum, item regni Bohemie familia. Isti vero omnes an bene pulchreque fuerint instructi — ne quid negotii mihi contraham — eorum, qui viderunt judicio subjicio. Monet tamen veritas, ne splendorem hunc omnino silentio abditum transeamus. Nam si unquam procerum militumque copia gemmis margaritisque redimita visa est vestibusque auro burcato et alio istius generis miro sumptu contextis decorata est conspecta, hec certe Sarmatie nobilitas nulli unquam nationi tunc inferior haberi potuit, cum, ut scripsi, decorato vestium splendore aurearumque cathenarum copia tum etiam personarum proceritate et equorum pulcherrimorum multitudine. Quamvis etenim numerum certum habere non potui, faciente locorum angustia, facile tamen id seorsum uniuscujusque familiam computando collegi equorum omnium regnicolarum Polonie circiter sex milia in hac fuisse coronatione.

Hos rmi. dni. cardinalis Ferariensis familia sequuta est. Deinde multi reginalis Majestatis onusti quinque et viginti deauratis cistis, quibus reginalis suppellectilis et mundus muliebris ferebatur. De quo infra scribendum veniet. Alii preterea portaverunt lecticam lectumque aliasque ad thesaurum pertinentes necessitates. Hos iterum cesarianorum familia sequebatur, Marchionis rubeis, domini de Schwiehaw rubeo et viridi mixtis, reliqui nigris vestibus induti, subtus germanico more armati fuere. Pone italici equites. Aliqui inde insigniores ex hospitibus, eo quidem ordine servato, quem in regio scripturus sum convivio, cincti hinc inde palatinis et castellanis Polonie. Omnium ultimi, id est regi proximiores, Cesariani equitaverunt. Nunc ordinem volens obmisi, cum quia aliter extra urbem aliter in urbe servatus est, tum etiam, quod infra in convivio regio clarius positurus sum. Tandem regia Celsitudo et clarissima nympha illa, propediem regina Polonie futura, dexteram occupans pulcherrimo vecta equo, simul cum Marchione Kazimiro, inter sponsam regiam et rmum. Cardinalem intermedii equitabant, ita quod regia Celsitudo et Cardinalis extremi sponsa regia et Marchio a dextris medii fuere, undique peditibus comitati, quorum longus ordo erat vestitu candido tectus et cathenis aureis lanceis germanico more instructus. — Postremo Anna, dux Masovie cum filia plaustro nigro desuper tecto veluto, equis octo nigerrimis

MDXVIII gerrimis vehebatur, rhede etiam et equorum reliqua ornamenta veluto nigro argento deaurato sumptuose decorata, virgines et ministerii sui puelle duobus plaustris aliis vecte sunt. Ceterum quasi exercitus finem cingebant mixti quidem multi prelati, secretarii et nobiles. Hocque ordine processit rex usque in eum locum, ubi tormenta bellica fuerunt locata. — Verum antequam illuc ventum est, venerabile cracoviensis gymnasii collegium et literarum alumni novam reginam Stanislao Biel, sacrarum literarum professore et florentissimi studii cracoviensis rectore, hac inserta oratione perornante, venerabundi exceperunt.

„Nemo est omnium, Illma. virgo et princeps admiranda, qui verbis enarrare vel „animo complecti possit, quam exuberanti hilaritate luce hodierna summus opti„musque deus hunc orbem regni Polonie respexerit, extulerit et in apicem emi„nentissime celsitudinis statuerit, cum te invictissimo principi et dno. regi Sigis„mundo in conjugem omnibusque incolis, principibus, baronibus et universi po„puli magistratibus in reginam et dominam delegerit et mirifico providentie sue „dono veluti alteram Hester regi Assuero ordinaverit, te, inquam clarissima re„gum et ducum exortam progenie, te divinis preditam virtutibus teque adorna„tam elegantissimis moribus ac flore omnis decentie refulgentem, quo cum ubi „terrarum fueris celebrata Illustrissima, ad decorandum et amplificandum tandem „regnum Polonie a seculis inclytum, divinitus es presignata, et inter millia Ill„marum. virginum predestinata. In tua ea propter admiratione omnis Sermi. „dni. nostri regis Sigismundi nobilitas et plebs universa exultat, gestit, jucunda„tur et jubilat, ardentius tamen et observantius is cetus et hec studiosa caterva „gymnasii nostri literarii, que cernua et devota sese coram statuit ad excipien„dum et venerandum tuam Mtem. — Que et tanto majori gratulatur et exultat „gaudio, quanto sibi majora presagit polliceturque futura commoda ex tue Mtis. „gratia, favore et clementia, que simul commendata tue Mti. et per te semper „commendari cupiens Sermo. et invictissimo dno. nostro regi orabit et usque ac „indefesse deprecabitur immortalem Deum, ut imprimis hec felicissima efficiat „connubia, quibus hec regnum, hec dulcis patria clarissimos videre possit et ha„bere heredes, qui paternas et tuas eximias imitati virtutes ipsam amplificare, „gubernare et regimine faustissimo in pace et tranquillitate ac gloria multa con„servare queant ad laudem et honorem nominis divini, omnis posteritatis immor„talitatem sempiternamque ac interminabilem felicitatem.

Facta oratione ad tormenta ventum est, que tunc adhibito igne succensa atque emissa sunt. Lente dehinc gradu incedentes ad suburbii ostium egregii milites duo claris nati familiis Thęczinski alter Jaroslawski hastiludio instructi, ad quos cum ventum est mox illi vibratis hastis alius alium concitato equorum cursu impetiere recteque alter alterius feriens scutum in terram precipites uterque. — Quo etiam facto, ex eo tandem loco per suburbium perque urbem ipsam recta via ad arcem inter pedites armatos (qui senatus jussu numero tria milia a portis ad arcem ordinati fuerant) perventum. Verum splendidissimus hic ingressus nonnihil mihi perdere visus est eo, quod sol radios suos jam antequam ad arcem ventum est retraxerat; utrinque enim visum dignum non deerat, cum externi vel a preciosissimo

ciosissimo habitu vel pro more equitatus admirandi. Urbis etiam incole, qui nullas preter-miserant edes, quas non tapetis extensis pulcherrimis atque honestissimis et mulieribus decoriter vestitis, desuper innitentibus decoraverant, contemplandi. Ausim enim hoc loco proprium sequens judicium asserere, cracovienses Veneres nulli unquam nationi forma atque moribus e sedibus cedere. Per longum itaque urbis spatium, quo tamen nequaquam hec multitudo contineri potuit, ad arcem regiam mediis equitibus peditibusque ad dextram sinistramque locatis ventum est, templumque ingressi deo immortali divisque Stanislao et Floriano penatibus dixerunt orationes. Eo in loco reverendus Joannes Konarski, cracoviensis presul, quem debilitate confectum supra memini, pastoris agens officium, hoc in templo suo regiam sponsam excepit, rev. autem dnus. Petrus Tomiczki, premisliensis presul, illi assistens orationem habuit jucundam, quam hisce quoque adscriptam esse volui. MDXVIII.

„Non abs re viri sapientes usurpare consueverunt, Serma. et Excellentissima virgo, „idem esse reges principesque regnis et dominiis suis, quod solem mundo et re„bus universis, quippe inter alia commoda et incommoda utrinque simili ratione „provenientia quemadmodum serenato solo cuncta ridere, florere et letari solent, „obscurato vero, vel defectione aliqua subtracto squallent vicissim et horrent om„nia, sic ad vultum et successus principum regna, principatus et populi univer„si letitia vel merore affici consueverunt. Atque hec cum longo usu et manifes„tis exemplis satis constant et apparent, tum nos hoc toto tempore liquido et „abunde cognovimus didicimusque, nihil adeo publicis votis optandum, nihil eque „gratulatione dignum, quam optimi principis successus. Nam cum deo immor„tali, qui humanas res multifariam versare et vitam nostram nunc letis mulcere, „nunc tristibus affligere solet, placuit, invictissimo principi nostro inter tot insi„gnes ac memorabiles triumphos gaudiaque et dona multiplicia nonnihil etiam „adversi et tristitie admiscere. Ac primum illum conjuge concordissima, deinde „inclyto fratre et sorore charissima orbare et ingenti luctu afficere visum fuit. „Incredibile dictu est, quomodo exemplo principis sui tota hec regni et dominiorum „ejus facies fuerit immutata, quantus ubique squallor et tristities invaluerat, adeo „ut nihil communi omnium desiderio magis expetitum et precatum fuerit, quam „ut divina illius clementia has rursum nubes discutere et quod precipue ad com„munem utilitatem pertinebat, jacturam amisse regine rependere dignaretur. Ac „audivit tandem pientissimus pater preces et vota populi sui affulsitque nobis ho„die constitutis hactenus in tenebris et in umbra luctus tanquam lucidissimus sol „oriens ex alto, queque ejus est benignitas, magnum quoddam fenus gaudii et bo„norum omnium nobis adjecisse videtur, cum te talem regi nostro clementissimo „conjugem, nobis autem heram et patronam dedit, qua nulla ad decus, ad splen„dorem, ad votum non inveniri solum, sed ne optari quidem et concipi in ani„mo possit dignior et luculentior; sive enim forme tue dignitatem contemplamur, „ea quidem Nymphe alicui potius quam mortali similis videtur, seu dotes animi, „he quoque omnium illarum heroinarum decantatas laudes facile exuperant, quas „ut fama prius accepimus, ita in presentiarum ex tam egregio animi simulacro

 et

MDXVIII. „et ipso etiam nomine tuo esse metimur et suspicimus. Merito itaque te hoc auspicatissimo die urbem hanc regiam intrantem Sermus. imprimis dominus noster „rex obviis manibus et gestienti animo, demum principes, pontifices, proceres, „omniumque hominum ordo, ac postremo, ut mos est, rmus. iste presul cracoviensis cum prelatis et clero suo universo omni qua possunt letitia et honore „salutant, excipiunt et venerantur. Nemoque est a summis ad infimos, qui dudum expectato et desideratissimo adventu tuo non magnopere gaudeat et exultet, qui cum principi et Reipublice sue, tum isti meritissime ad culmem regium „provectioni tue vel restitutioni potius toto animo gratuletur. Sed tantum tuum „decus, splendorem, festivitatem, amplitudinem nostrum item omnium gaudium, „letitiam, felicitatem et spem amplissimam neque ulla oratio amplecti potest nec „angustia temporis loqui prolixius permittit. Et proinde, quod reliquum est, rogamus te, inclyta et clarissima princeps, ut cum te deus optimus maximus nobis „heram et patronam statuit, digneris more priorum reginarum ecclesiam hanc „sanctorum reliquiis, suppellectili et cultu divino nulli secundam, domumque regum et reginarum perpetuam ac ipsum ejus rmum. antistitem nosque omnes „gratia, patrocinio et beneficentia tua complecti, qui pro felicissimo tuo adventu „continuas ad deum preces fudimus et deinceps pro fausto ac diutissimo tuo cum „Serenissimi conjugis tui regno proque ea prole, quam tot regna, tot populi summo desiderio expectant, precari nunquam desistemus."

Dicta oratione hymnoque immortali deo letissimis vocibus cantato et sanctorum ossibus deosculatis templo relicto in arcem et aulam summo studio nove paratam regine venerunt. Sponsa regia ab omnibus in eum locum comitata est. Dimissi tandem principes oratoresque hospitiis suis sunt recepti. Quem autem arce egredientes servavere ordinem videre non potui, nam judicium noctis crepusculum interceperat. Acceptis itaque hospitibus in singula hospitia, singulis dati sunt dispensatores, qui cunctas administarent ex regiis provisionibus necessitates. Cujus unicus et generalis gubernator erat Joannes Boner, burgrabius cracoviensis et salinarum prefectus, de cujus industria ac in rebus agendis dexteritate incredibilique labore hoc in loco nostro non immerito aliquid mihi recensendum fore arbitrarer, nisi me honeste (quod illi decennio famulatu fuerim addictus) continerem, illius tamen in me tanquam pientissimi parentis gratia monet, alibi ejus cum veritate extollere laudem, cui preterea in omni officio laborem unus adfui sollicitator. Hic regio jussu omnibus omnia distribuit, suntque coquinarie officine pro hospitibus facte in triginta uno locis dateque sunt dispensatoribus pecunie in rerum minutarum necessitates, species vero aromatice omnis generis et reliquum id genus, vina preterea et equorum pabulum salinarum prefectus ordinatis ex officinis copiose administravit optimoque ordine distribuit. Coquinarum vero necessitates carnes, lacticinia, panes, ligna dominus Raphael Kotheczki, regius dispensator, administravit. Hoc ordine servato omnibus cum copiose tum ordinate est provisum.

Deinde XVII Aprilis Illres. duces Fridericus, legnicensis, Georgius, bregensis, Carolus, monsterbergensis, sociatis oratoribus vratislaviensibus venerunt, eoque die cesarei oratores auditi sunt, Joanne Cuspiniano perorante, qui maximum cesaree Celsitudinis in regem animum singulari

singulari sermonis cultu indicavit; eam autem orationem ex nullo nisi proprie negligentie defectu non obtinui. Quia tamen illum virum doctissimum atque sollicitum scio, minus dolendum venit, dabit enim et eandem et reliqua forte in lucem. Cum enim ipse istorum principum reconciliationis primus fuerat auctor, non immerito se ipsum et hec egregia facta posterum memorie commendabit. Eo preterea die venerabile cracoviense gymnasium revmum. cardinalem esthensem hac quoque infrascripta oratione per eximium doctorem Biel excepit. MDXVIII.

„Cum primum rumor tandemque fama certior, amplissime presul, princeps et do„mine, increbuit de tuo felici et expectato accessu in hanc urbem regiam et gym„nasio literario florentissimam, flagranti animo cepi ipse mecum repetere, quibus„nam verbis, quave dicendi serie te tantum principem et dnum. pro nostra veteri „consuetudine excipere, venerari felicissime et tue Celsitudinis glorie officiosius „congratulari possem, non quidem ausu impudenti, nec quovis arrogantie super„cilio, verum officii mihi injuncti per eos, quorum auctoritas non vulgaris est, „onere impulsus, ubi et me beatum fore existimabam, dum tuo conspectu et vul„tu benigno perfruerer, quem nunc gaudio magno et letitia ingenti conspicio, lau„daturus tot dotes nature, tot gloriosos titulos et carismatum dona, quibus tuam „amplissimam Ptem. pater luminum celestium adornavit et dotavit adeo, ut simul „romane sedis et inclyti regni Pannonie sidus sis fulgentissimum, quo et nos ir„radiati et animati in hoc orbe dulcis patrie te jucundiores excipimus, salutamus „et veneramur congratulamurque sospitati et optime valetudini, glorie et tante „tue majestati quam representas ac simul imagine conspicua exhibes apostolicam et „pastoralem eminentem celsitudinem, qua veluti lucerna candens super candela„brum ecclesie fidelium positus illuminans cunctos, qui Petrum, Christi succes„sorem et romanum summum pontificem, locum ejus tenentem, caput, magistrum „et ducem universalis ecclesie recognoscunt, qui norunt et confitentur militantem „ecclesiam ad triumphantis exemplar uni subditam terrestri principi, gubernatori „et rectori, et ut in illa ipse unus creator omnium deus sceptrum tenet et sum„mi imperii fastigium, ita et in hac uni summo romano pontifici totius orbis im„perium delegatum esse, quem constituit super gentes et regna, ut evellat, dis„sipet et plantet, et sedens super solio David confirmet et corroboret in judicio „usque in sempiternum ipse quidem plenitudine potestatis, ceteri vero in partem „sollicitudinis et cure pastoralis vocati potestate delegata gregi dominico presi„deant sueque et aliorum saluti, vineam domini Sabaoth plantantes, intendant, „prout intendere pie creditur tua amplissima Ptas. nomen pastoris cum re te„nens, ubi multorum saluti et toti christiane reipublice consulit et providet, cor„da fidelium doctrine et vite exemplo purificans fidemque catholicam per uni„versum orbem stabiliens et sese in multis operibus pietatis et clementie, largi„tatis et beneficentie exercens. Relevans precipue hos, in quibus aliquod probita„tatis ac virtutis indicium prospectum clarescit, et qui indefesso studio literis „indulgent. Quales sunt ii clarissmi viri gymnasii nostri literarii merito tue amplissime

MDXVIII. „amplissime Pti. commendandi, ut tandem Sermo. domino regi nostro commen-„dentur per tuam Ptem., qui indubie audiet et exaudiet tuam Ptem. rmam. gym-„nasiique nostri immunitates et libertates ampliabit et previlegia concessa ma-„nutenebit et conservabit in laudem, decus et ornamentum regni hujus inclyti, „sedisque apostolice non mediocre fulcimentum, honorem divinum et nostram uni-„cam ac desideranter expectatam consolationem."

Excepto hac oratione rmo. dno. cardinali, gymnasii clarissimi rector simul et literarum milites ad Ill. dominum Prosperum Columnensem accesserunt ac Illtem. suam hac oratione, quam eque pretermittere nolui, excellentissimus Stanislaus Biel divinarum scripturarum doctor excepit.

„Illustris ac magnanime princeps et domine, dne. viceregio titulo regni Neapulie „insignissime. Mos fuit vetustus et per antistites gymnasii nostri literarii semper „observatus, ut singulos etiam viros splendore virtutis et honoris sublimitate „prestantes suis in personis reverenter exciperent, salutarent ac venerarentur, con-„gratulationem debitam impendentes, quo et nos instructi coram positi et in hoc „numero collecti simile venerationis munus afferre et officium sincerissime congra-„tulationis tue Celsitudini impendere decrevimus, devote flagitantes: velit id non „aspernari, verum animo benevolenti acceptare exiguum orationis genus faventi-„bus auribus admittere. Quo jam jamque gratulamur tue celsitudini et prestan-„tie te hospitem novum cupide et flagranter expectatum salutantes omnique cum „alacritate ac multa jucunditate excipientes ac venerantes laudes simul deo im-„mortali summo et optimo reddentes, qui tam illustris viri animum inflexit et „cor vere regium in nostre Reipublice favorem et amicitiam convertit, qui sue „patrie littus amenum relinquens in has oras ultramontanas gravi et arduo iti-„nere sese defatigare minime renuit, qui Illmam. dnam. et jam reginam preelec-„tam fideli et obsequioso comitatu invictissimo principi et dno. regi nostro Sigis-„mundo magno cum honore in fedus conjugii sociare dignatus est, virtutis et „magnanimitatis opus laudatissimum obeundo sibique et toti posteritati sue no-„men immortalis glorie vindicando. Quod etsi tua Celsitudo splendore alti ge-„neris et prosapie assecuta fuerit et nativa origine obtinuerit, nunc tamen illud „ampliatum et nitore novo irradiatum ambigit nemo, cum per tot terrarum et „maris tractus tot fortitudinis et admirande strenuitatis preclarissimos actus in „nostre Reipublice laudem, decus et ornamentum prosecutus sis, quos ne nigrata „voluntate silentio transire videatur, tue Celsitudini et amplissime glorie milies „repetitas agit et reddit gratias, tibi se totam tradendo, commendando et devo-„vendo tanquam benevolentissimo fautori et domino. Quam oramus, suis in uni-„versis ordinibus faventi pectore, uti cepit, complecti velit, etiam et nostrum „gymnasium literarium, quod nomen tuum perhennare studebit ob tam singulare „officium, quo huic proprie novum sidus intulisti. Vive igitur re et nomine Pros-„per, felix, gloriosus in toto orbe terrarum nominatus et refulgidus, rependatque „tue Celsitudini condignam gratiam, qui te prospero itinere ad nos perduxit et „reducat

„reducat in littus patrium incolumem, et tandem post longiorem hujus vite inco- MDXVIII.
„latum perducat in sue visionis gloriam et prosperitatem eternam."

Crastino vero XVIII ejus mensis cum sol pulcherrimo mundum illuxisset oculo, missis regni proceribus, honorifice principes oratoresque vocati ad regem in arcem venerunt, regia ordinata processio, que non omnino debito ordine propter loci angustiam servata est. Incipiendo tamen a schalis seu gradibus arcis nove adusque templi ostium terra rubeo panno constrata fuit, qua precedentes sequentesque regem incedebant. Verum quia recedente rege omnibus arripiendi daretur licentia, vulgi tumultus invaluit, quem nec etiam Tartari ferro vincti his rebus adhibiti reprimere potuerunt. Cum enim principis Mtas. preteriisset atque illi inconsulte verbera distribuere, lapidibus vicissim a pueris in illos animadversum est. Hac causa factum, ut in templi exitu pannus non sit in terram stratus. In templo vero maxima ventum est angustia. Medio autem chori ante altaris faciem selle in loco ad id paulo a terra altiori parato posite, stratus erat hic locus veluto rubeo auro contexto, scabellum vero, quo rex reginaque flectentes innitebant, erat ejus generis veluto aureo virido coopertum, sedēs preterea a tergo posite veluto rubeo argentoque deaurato et sumptuose et artificio singulari adornate, in quorum globulis hec verba sculpta habentur: „Divo Sigismundo, Sarmatie Regi Magno duci Lithuanie, honor, virtus, gloria paxque sperata fortuna." Ceterum pulvinaria auro burcato ritzo desuper similiter in planum injecta erant. Sponsa regia a marchione et Prospero ducibus post regem in diademate suo incedentem ducta est, veste ex raso turcini coloris auro bracteato desuper fixo miro artificio et sumptu laborata amicta, de qua infra dicendum veniet. Regiam Celsitudinem palatinus cracoviensis sceptrum et palatinus posnaniensis pomum ferentes precedebant. Ascensis itaque rege sponsaque in hunc locum, principes et oratores pro dignitate quoque sunt locati. A dextris omnium prior Cesarianorum marchio occupavit locum, college quatuor deinde, pone tres Slesie duces, alii post hos pro conditione. A sinistris vero Kazimirus, dux Theschnensis, Ambrosius Scharkani, Ludovici, regis Hungarie, oratores, pone Prosper Columnensis, Anna vidua, dux Masovie cum filia, Olomuncensis, Wratislaviensis episcopi. Post hos alii iterum pro dignitate sedilia chori occupaverunt. — Ad sacra autem rmi. archiepiscopi et episcopi regni Polonie se accinxerant, habitu pontificali indusiati venerunt. Consecrationis munus archiepiscopus gnesnensis, cracoviensis et posnaniensis episcopi de more executi, ceremoniarum vero magistratum Petrus Tomiczki, premisliensis presul, gessit. Reliquis instituendis mgci. Joannes de Zaremba, palatinus calissiensis, Lucas de Gorka, castellanus posnaniensis, et regni curieque regie marscalci prefuerunt, sicque singulis ordinatis, archiepiscopus gnesnensis sacrum incepit officium, quo de more post epistolam (ut vocant) usque peracto, regia Celsitudo et regina mox futura ad benedictionem vocati venerunt in faciem ecclesie de contractus consensu rogati, voluntatibus presentibus pactis in absentia rebus annuerunt, legitime factis dictisque de more omnibus benedictis et datis annulis eterne vinculo ligati ecclesie verbis matrimonii fedus jurarunt. — Quo facto regia Celsitudo in locum reversa, tandem sponsa regia flectens a consecratoribus memoratis communi lectione consecrata, unctionem virtutis regnique coronam accepit, dato sceptro et pomo, Polonie regina salutata est inque locum suum, marchione et Prospero ducibus, ipsa sceptrum pomumque gestans,

 coronata

MDXVIII. coronata incessit. Cumque paululum ita teneret sceptrum, palatinus posnaniensis sceptrum, et pomum palatinus cracoviensis receperunt. Mutant enim dignitatis locum alternatim. — Reliquo autem de more peracto officio, in eum locum, quo Christi corpus sumptum est, regina tum altaria accedens Eucharistie sacramentum non sine summa veneratione suscepit, ut integre, quod deus inceperat per gratiam, essentiali substantia quoque corporaliter presens confirmaret. Reversa regina et officio peracto, benedictionem archipresul dedit, pathenamque, ut vocant, regi regineque deosculandam detulit. Regia deinde Celsitudo ex italicis nobilibus aliquot creavit milites, similiter ex nostris (non tamen nisi etate pueros) nonnullos insignivit. His ceremoniis rite peractis in arcem regiam redierunt. Deinde mutatis duntaxat vestibus ad regium celebre convivium consederunt in estuarium post gradus primos, quod veluto auro burcato magno sumptu undique noningentis ulnis (ut nostro dicam more) decorum, erat in ejus ingressu abacus, quem credenciam seu argentarium appellant. Multis aureis argenteisque innumeris vasis poculisque varii generis micanti splendore, miro artificio ac inestimabili sumptu decoratus erat, quorum etsi numerus ab his, qui in convivio fuere haberi non potuit, cum pre vasorum varietate, tum quod locus estuarii singula in conspectum elevari non passus est sintque in plano multa locata, mihi tamen, cui harum rerum major certiorque fuit cognitio, facilius id rescire licuit. Vix autem crediderim unquam in hominum memoria regem terrarum orbis in convivio tot habuisse omnis generis vasa pretiosa, qualia hic erant, ultra mille trecenta, his tamen demptis, quibus in mensis atque coquinariis officinis utebantur. Unius etiam hic lapidis Saphiri tacere puderet, qui auro ligatus in pede suffultus altius ita clarus mundusque, ut nullam perpetue trahat maculam habeatque sex uncias ponderis, nusquam ea quantitate forte visus. — Hoc in estuario tabula oblonga seu mensa per transversum posita, quadrangule a dextris, a sinistris una duntaxat, ubi convive sedebant ita quod regius abacus singulis in conspectu fuerat paucissimis demptis, qui ad regiam mensam e regione regis discumbebant, hocque ordine singuli principes oratoresque sunt locati.

In medio tabule regia Celsitudo corona aurea sedebat.

Ad dextram Regis

Kazimirus, marchio Brandeburgensis,
Bretislaus de Schwyehaw,
Joannes Moraxius,
Laurentius Saurer, vicedominus Austrie,
Joannes Cuspinianus, Dr. et urbis Viennensis prefectus,
Fridericus, dux Legnicensis,
Georgius, dux Bregensis,
Carolus, dux Monsterbergensis.

E regione horum.

Dnus. de Sternberg, cancellarius Bohemie,
Dnus. palatinus Posnaniensis,
Dnus. Christophorus, palatinus Cracoviensis,

Dnus.

Dnus. Hlinitza, capitaneus Brestensis Lithuanus,
Julianus de Crepanica, Romanus.

A sinistris regie Celsitudinis.

Illustrissima domina Bona, regina Polonie, in corona sua,
Kazimirus, dux Theschnensis,
Ambrosius Scharkani, orator regis Hungarie,
Dnus. Prosper Colonna, Romanus,
Anna, dux Masovie vidua cum Anna filia virgine,
Stanislaus, epus. Olomuncensis,
Joannes de Schonberg, orator dni. ducis Georgii Misnensis.

E regione horum.

Stanislaus, dux Masovie, natu major.
Constantinus, dux Ostrogensis, Ruthenus,
Wladislaus, dux Theschnensis, junior,
Joannes, dux Masovie, junior,
Bertholdus, comes de Hennenberg,
Udalricus, comes de Glatz et Hardeck,
Hi omnes in regia mensa convive fuerunt.

Apud primam vero mensam, que a regie mense dextra erat, sedebant

In medio.

Rmus. dnus. archiepus. Gnesnensis,
Rmus. dnus. archiepus. Leopoliensis,
Rev. dnus. epus. Plocensis,
Rev. dnus. epus. Posnaniensis.

Ad sinistram.

Mgcus. Spithko de Jaroslaw, castellanus Cracoviensis,
Rev. dnus. epus. Wladislaviensis,
Rev. dni. Premisliensis et Culmensis episcopi.

Ad secundam vero mensam a dextris regis consedebant
Oratores rev. dni. epi. Vaciensis, dni. Moysi, Vngari,
Eberhardus Ferber, consul Gedanensis,
Hieronimus Hering, capitaneus,
Achacius Hanolth, consul, et
Henricus Philocalos, syndicus Vratislaviensis.

Ad unicam vero mensam, que a sinistris regie erat, sederunt
Rmi. dni. cardinalis Strigoniensis orator, Alexius Turso,
Rev. Quinqueecclesiensis orator Hieronimus Balbus,
palatini regni Hungarie orator
Et tres oratores dni. ducis de Trentzino.

Hic vero servatus est ordo in regio convivio, cui prefuerunt mgci. Joannes Zaremba, palatinus calissiensis, Lucas de Gorka, cast. posnaniensis, et marschalci regni regieque curie. Verum

MDXVIII Verum de ferculorum copia coquinarioque artificio nihil inserere placuit, ne forte iis, qui non viderunt, metam excedere viderer, illos vero, qui tunc presentes fuere, tedio afficerem. Non enim facile crediderim aliquem addubitare posse huic regio convivio, quominus splendidum delicatumque esset quicquam defuisse.

Finito tandem prandio, quod in quintam horam duravit, levatis dapibus poculisque et id genus, surrexerunt ii, qui munera attulerunt. Quibus ordinatis omnium primus brandeburgensis marchio intravit cesareeque Celsitudinis nomine Serme. regine Polonie Saphirum in aurea catena pendulum pauco auro ligatum, sed profecto estimande quantitatis et pretii non vulgaris donavit. Verba hujus muneris Cuspinianus, urbis viennensis prefectus Illmi. dni. marchionis collega dixit. Deinde Illmus. marchio suo ipsius nomine monile aureum lapidibus redunitum donavit. Postea regis Hungarie oratores munera sua dederunt XXIV. argentea vasa et pocula medietatem alteram regie Celsitudini, alteram vero medietatem reginali Mti. donaverunt. Istos secuti sunt rmi. cardinalis Strigoniensis, Quinqueecclesiensis, Vaciensis episcoporum oratores, Ill. domini ducis de Trentzin, palatini regni Hungarie, dni. Moysis, cracoviensis senatus, gedanenses, wratislavienses oratores, omnes isti munera regi regineque dederunt vasa, pocula argentea et sumptu et artificio digna. Singuli etiam cum munera offerebant pauculis verbis regi ac regine congratulantes, commendatione facta in sua rediere loca. Datis itaque muneribus, soleque se flectente, hospites sunt dimissi. Eo namque die a choreis ducendis propter sacram regine unctionem studiose abstinuerunt.

Postero vero die XIX Aprilis facto prandio in aula secunda, que quam regia et splendida sit, quia omnibus intrandi presertim hospitibus data est licentia, facile cognosci potuit. Et quoniam hic me locus admonet edificiorum, silentio preterire minime liceret tanti regis industriam, qui vel in hoc omnium majorum suorum superavit famam. Nam etsi per hos XI annos, quibus feliciter regni Polonie sceptra tenuit, gravissimis semper bellis sit fatigatus, nunquam tamen ejus Celsitudini animus defuit, quin cuperet Reipublice benefacere ac ea ipsa beneficia perpetue tradere memorie. Arcem igitur hanc novis cepit edificiis decorare. Per decennium integrum incredibili sumptu duo palatia ex fundamentis extruxit singulari et propria industria, ut nescias, an plus regiam magnificentiam in artifice an artificiosum ingenium in rege mirari debeas? — Subtus namque terra cellas vinarias locavit, deinde in plano testudines, quas Itali voltas appellant, posuit, variis officiis rectissime accommodatas. Presertim ubi regius servatur thesaurus illiusque sunt locati custodes. Penes has magno procuratori cracoviensi, qui regie mense prediis preest. — Hec ad faciem pulchro ex altis columnis lapideis cinguntur voltato ambitu, ex quo per primos gradus itur in aulam, ex ea vero in estuarium, in quo regium erat convivium (et ad alias habitationes) preterea in ambitum secundum, deinde post secundos a terra gradus regia domus atque reginale palatium, mansiones septem singule speciali forma, italico more rosis deauratis undique desuper sparsis decorate; tertiusque ambitus est columnis altis elevatisque munitus, aureis quoque rosis decoratus, ita ambe domus medietatem arcis habent simul cum coquinariis officinis, que singulari industria ex fundamentis quoque erecta omniaque feliciter regia Celsitudine imperante hoc ordine sunt extructa, nec jam deest omnium rerum copia ad reliquas duas partes perficiendas, ut in quadrangularem formam totam

tam redigere possit arcem. Quo opere completo ingenue affirmare ausim, nusquam regiam structuram huic esse similem. MDXVIII.

Sed jam ad convivium redeundum est, in aulam scilicet secundam, id est quartum ex fundamentis locum, ubi regia Celsitudo cum regina et principibus jam convenerant. Hac in aula choree ducte imprimis per reginalem Mtem. et nobilem puellulam more suo italico, deinde Kazimirus, marchio, et Anna virgo, dux Masovie, Bretislaus de Schwiehaw et vicedominus Austrie duxerunt germanico et nostro more. Post hos Silesie et Masovie duces aliique pro dignitate. Sicque replicatis et alternatis vicibus nunc italico nunc nostro more choree ducte dies absumptus est.

Jamque hora advenerat, qua regina virgo clarissima ac Illustrissima regiis thalamis adducenda erat. Tum marscalci et harum rerum prefecti removerunt eos, qui ad cubile regium obstabant. Mox regia Celsitudo precedentibus et sequentibus principibus incedebant. Cujus Celsitudinem regina, Marchione et Prospero Ill. ducibus comitata, secuta est. Postremo sunt vocati italici nobiles et germani hospites et ad regium cubile ducti. Ubi cum ventum esset, non parva cepit omnes admiratio. Nam preter id, quo delicatissime extructum esset aureisque rosis desuper tectum, pictorum artificio undique decoratum, ultro etiam veluto auro burcato riczo, optime junctis coloribus, singulariter regia industria parietibus juncto, ne digito quidem locus esset vacuus, plus mille quadringentis ulnis (ut appellamus) splendore excellenti affixum erat. Eo quoque ordine estuarium reginalis Mtis. instructum fuit. Terra vero seu pavimentum lapide griseo admodum plano factum. Ne tamen excitati pulveres aliquid turbationis adferrent, terra panno rubeo undique strata fuit. Tum rex dextram occupans regio splendore lecto insedit parato, ad cujus sinistram regina consedit. Ceterum scamnis positis principes quoque circum sederunt. Portate sunt deinde varii generis confectiones omnisque generis vina, quibus sumptis atque paucis hinc inde incidenter factis ad letitiam pertinentibus verbis, aliquantulumque satiati Mtis. hujus splendore, domum sunt omnes dimissi.

Postero vero die XX. Aprilis cum solis jubar emicuisset et astra et virentia queque visa sunt faustissimo congratulari matrimonio rexque jam vocatis his, qui e secretioribus sunt, statuisset, charissimam hanc novam conjugem de more donare, hec, que annotavi per magnificum Nicolaum de Schidlowyecz, regni Polonie thesaurarium, munera summisit.

TORQUES PRIMA. Viginti quinque adamantibus magnis acutis mundissimisque et duodecim rotundis rubinis margaritisque magnis nonaginta sex, saphirum infra pendulum in auro ligatum magnum unoque rubino magno sibi juncto circum quinque margaritis magnis albisque affixis.

TORQUES SECUNDA. Sex in locis, semper quatuor adamanti plani, quintus ex medio acutus elevatus id est numero XXX. Smaragdi quatuor, rubini duo optimi, margarite fixe XXXIII. pendule XI. Infra ex adamantibus pendula rosa magna, tabula desuper ex rubino et infra magna pendula margarita.

TORQUES TERTIA. Ex auro purissimo lata, lilium forma, fixis intra magnis albissimisque margaritis XXXI.

TORQUES

MDXVIII. TORQUES QUARTA. Erant margarite centum rotunde magne albissimeque, pendula infra crux quinque nitidissimis adamantinis tabulis tribus connexis adjunctis margaritis.

MONILE PRIMUM. Magnus saphirus mundus, adamanti duo alti, non tamen acuti, tabule adamantine due, margarite sex magne.

MONILE SECUNDUM. Saphirus valde magnus perforatus, rubinus magnus, quem Palas vocant, rosa ex adamantibus, margarite tres magne.

MONILE TERTIUM. Liga seu stringa smaragdo magno puroque rubino uno rotundo, tabula adamantina, una magna margarita, annulus aureus cum tabula rubini magni colorisque optimi.

AD QUATUOR VESTES CAMPI AURI NON FACTE.

Vestis prima tota aurea triplicato auro, quod Itali appellant campo d'oro riczo altembasso.

Vestis secunda duplicato auro rizato altembasso in veluto virido.

Vestis tertia de veluto nero auro triplicato optimo.

Vestis quarta rasum viride auro tirato pulcherrimum.

Hoc munus regine dignum per regni thesaurarium missum, cujus estimatio meum effugit ingenium, verum hoc citra adulationem scribere non dubitaverim, principis non exigui esse thesaurum.

His factis, introitus ad templum paratur, qui modo prescripto die XVIII mensis hujus servatus est. Sacra eo die Laurentius Miedziletius, vilnensis prepositus, protonotarius et ad regem Polonie sedis apostolice nuncius, dixit, primumque hac die deo reddidit sacrificium et sempiterno patri filium, hostiam obtulit immaculatam. Pontificie date sunt sibi presentibus indulgentie.

Terminatis divinis ad arcem venerunt et prandium inceptum est. Soli femineo sexui convivium hoc dicatum. Quo splendore id factum sit, vel ex primo cognosci poterit, quod nemo velit actam beneque partam gloriam postrema denigrare negligentia.

Facto prandio, qui sociali hastiludio parati venerunt, quorum octo duntaxat fuere, verum quia ex hospitibus nemo aderat, domestici sponte forte familiarius rem gessere. Moravicius hac die victor evasit, postero die Ill. Kazimirus, marchio, cum suis duntaxatmet quartus novum hastiludii genus egerunt, novum dico, quia ante in regno non communiter usitatum, ut puta a capite ad pedes usque cathephractati, equorum sacci, quo pectus muniunt, usu communi multo minores fuerunt. Princeps ipse, comes de Hennenberg, duoque alii ex nobilibus quid fecerint hii, eorum est judicare, qui fuerunt presentes. Vix tamen cognosci poterat, quis dominus vel servus, id est nullum illis dignitatis discrimen, ut enim quisque potuit, ita alium veloci cursu avidissimoque impetu disjecit, vel ipse inversus corruit. Hac die, non quia princeps esset, marchioni merito tanquam optimo militi palma cessit. Sertum monili decoratum Anna, virgo dux Masovie, illi misit, quoniam hanc militiam virtutibus illius marchio dedicaverat. Eo quoque die dux Constantinus et dominus Hlinitza, capitaneus brestensis, regi munera dederunt. Similiter Joannes de Schonberg, orator dni. ducis Georgii Misnensis et dux Fridericus legnicensis reginali Mti. miserunt monilia

lia aurea, lapidibus pretiosis redunita, sed et dnus. rmus. cardinalis estensis et Ill. Prosper Columna regie Celsitudini equorum ornamenta et id genus cum pretiosa tum pulcherrima donaverunt. Preterea dnus. Leo, capitaneus generalis Bohemie, cum filio ex Bohemia venit ad regem, qui regia humanitate benignissime acceptus et observatus est. MDXVIII

Vigesima autem secunda hujus mensis mane, juxta vim contractus in rebus privatis dispositum est, quibus bene humaniterque factis, thesaurarius et ceteri, qui his rebus prefuerunt, mundum muliebrem femineamque suppellectilem non tam monstrantes dederunt quam mirari videntes fecerunt. Nam viginti deauratas, de quibus supra diximus, cistas singulas repletas singulatim exhibuerunt. De quarum rerum sumptu, pretio et regio nitore, et si quid satis scribere placeret, consultius tamen missa faciam, ne longior atque idem fastidiosior sim. Nam quod scripturus sum in hac presertim temporis angustia cum biduo nec integre videre nec satis mirari diligenter adhibitus potuerim, tacendum itaque mihi ac potius nihil quam jejuno arideque scribere, sed rem carpere consultum videtur. Hoc unum non erit alienum affirmare, hunc mundum muliebrem adeo esse celebrem, ut non crediderim in hominum natura esse, qui unquam viderit parentem piissimam charissimam natam ita expedire. Frustra certe mihi splendorem rerum maximis sumptibus comparatum artificiique scientiam, aut etiam omnis generis copiam quisque objiciet, cum hic copia fuit copiosissima inter sumptusque haud facile creditu, ita ut nescias, an artificii aut valoris gratia rem possis mirari, tot enim (a capite incipiendum est) scuphe mitreque, tubalia, camisie, indusia, linteamina, cooperture varieque papiliones seu tentoria, lectorum ornamenta, facileta aliaque id genus ex tela flandrensi, Cambray, subtilissima preterea serico atque auro texta, et ut numerum et sumptum mirari sit necesse, illud fastidiosum, istud prefecto impossibile est. Auro denique omnia repleta sunt, ut vix unquam res ditiores sint vise. Vestes preterea viginti septem ceteris pretiosiores, quarum alia die coronationis ejus Mtas. fuit induta, raso turcico desuper bracteato auro decorata, ut etiam diffacta multa ducatorum milia valeat. Alia quoque ejus generis, alterius tamen coloris et ita singule sumptuosissime facte sunt. Deinde camere, ut vocant, ex auro burcato rizo brunaticoque veluto pauculo mixto, incredibilis magnitudinis. Item tapeta imaginibus laborata artificio singulari, tapeta item ex Turcia vehi solita. Deinde capitis ornamenta ut pireta et scuphe, hisque similia, non tamen ita instructa ut oculos duntaxat replere videantur, sed ut perpetuam quoque habeant utilitatem, nam ex auro purissimo sunt singula artificiose decorata. Multa fuerunt miranda, unum tamen non satis laudandum, scilicet capitis quoddam ornamentum, adamantibus acutissimis quatuor, quinto vero elevato cordis in modum non tamen acuto et totidem rubinis, septuaginta margaritis, ita singulis purissimis, ut possibile non est in ea magnitudine quicquam precellere. Hic tandem cinguli multi aurei multi, varia vascula aurea, pater noster, ut appellant. Taceo de rebus ad odorem servandum, pretiosissimis speculis atque ceteris rebus, que non fucco sed auro facte sunt. Preterea colli pulcherrima ornamenta varia et pretiosa erant. Sed frustra his incumbo, dum enim diligenter inquirere vellem, amplius altiusque repetere esset necesse, quod profecto facerem, nisi me ipsum intelligerem, vix me licuisse videre singula, minus igitur curiose referre oportebit, Abacus argenteus poculis et vasis varii generis itineri accommodatus tante regine dignus

MDXVIII. dignus datus est, ubi cupe item due pulcherrime a Viennensi senatu regine donate ostense sunt; decem etiam equorum ornamenta supra quam dici potest italico more pulchra ac sumptuosa cum equis quinque (reliquis in itinere mortuis) regie Celsitudini dederunt. At humanitatem omnium, que reliqua vincit, non immerito mirari oportebat. Sed de his parcius quam re ipsa sunt, plus tamen quam decet scripsisse forte juvabit.

Redeundum est ad hastiludium, quod facto prandio nobili juventuti indictum erat. Militare hoc exercitium marchio cum suis non neglexit, quod strenue actum nox tandem diremit. Hac die marchio non modo principem, sed militem quoque fortissimum gessit, cui et hac vice Mazovie dux, serto misso, decoravit militiam. Interfuerunt iterum octo, nonus enim impar statim se continuit.

Simili ludo patricii regni primi XXIII hujus mensis, id est sexte ferie diem absumpserunt.

Vegesima quinta Aprilis die Solis, facto prandio, ad aulam superiorem, qua ad cubile regium itur, ventum, aliquantulum choreis ductis, nunc italico, nunc germanico, nunc ruthenico more replicatis vicibus, quo in loco et regia et reginalis Mtes. consedebant, reliquo ordine pristino servato. Ceterum regina regias natas suo more pulchre instruxerat, toto hoc tempore natu majorem amplexans ad latus singularis clementie charitatisque indicio, parentis quasi piissime vices agendo, continebat. Tandem serta aurea monilibus decorata portari jussa sunt. Sex primum duci Masovie, deinde singulis virginibus singula data.

Gratie tunc habite sunt militibus, primo omnium marchioni, et non immerito, quia ob partam gloriam id jure a cunctis illis concordi ore tribuebatur. Datum est monile optimum aurea liga cum desuper corona tabulis rubinis septem item rotundis rubinis XII, margaritis XI., medio autem tres adamantine rose, in uniuscujusque rubinulus acutus, infra in medio Saphirus pulcher a latere per tres rubinos rotundos, fines lige, qui infra penduli per rubini et adamanti tabulas unamque margaritam cineti.

Comiti de Hennenberg secundo loco acte sunt gratie atque sertum cum monile datum saphiro III. rosis de rubinis, VI. tabule adamantine, corona desuper XVII. rubinis III adamantibus tabulis, quatuor margaritis penduli fines per duas rubini unamque adamanti tabulas unam et margaritam condecorati.

Tertio loco acte sunt gratie Joanni Tharlo, strenuo militi polono.

Quarto loco Conrado Pelzinger, ex nobilibus marchionis,

Quinto loco Hieronimo Schaffranitz, et

Sexto loco Morawicz.

His omnibus aurea serta et monilia sunt data, que longum specifice essent recensenda.

Marchio et comes de Hennenberg primi choream duxerunt, deinde quatuor alii aliique replicatis vicibus. Tandem sic letitia terminata atque sole jam se inclinante principes ad hospitia sunt dimissi.

Altero vero die, que conventionis jam duodecima fuit, absoluti sunt oratores rmi. dni. cardinalis Strigoniensis tres, rev. dni. episcopi Quinqueecclesiensis unus, Ill. domine ducis de Threntzin, domini Moysi, rev. episcopi Vaciensis, Wratislaviensis. Hi omnes a regia Mte. veluto razo, vel adamasco pelliciisque mardurinis donati. Salutato et valedicto rege recesserunt.

Postridie

Postridie XXVII. et sequenti XXVIII. Aprilis valedicto rege expediti sunt rmi. domini Olomuncensis et Wratislaviensis episcopi, quos Mtas. regia veluto rasoque chermesino, pellibus sebellinis et poculis argenteis binisque pelliciis mardurinis donatos dimisit. Reverendissimoque Olomuncensi annulum cum saphiro a manu propria direxit. MDXVIII.

Kazimirus pater, Wladislaus filius, duces Theschnenses et Ambrosius Scharkani, collega, oratores regis Hungarie, vestibus aureis, sebellinis pellibus, poculis argenteis, veluto atque adamasco pelliciisque mardurinis donati quoque sunt dimissi. Ducis etiam Kazimiri nobilibus dominis Hiennek, Bruntalski, Bernhardo Swolski, Joanni Sczolo, cancellario Joanni Szedliczki amcha, sericeas ex raso vestes donavit.

Fridericus legnicensis, Georgius bregensis, Karolus monsterbergensis duces XXVI. Aprilis muneribus a rege razo auro tirato pulcherrimis vestibus, sebellinis pellibus, poculis argenteis, pelliciis mardurinis donati recesserunt.

Item doctor de Glogovia serica veste donatus est.

Comiti de Glatz et Hardeck vestis aurea pelliceaque donate.

Dominus Leo, capitaneus Bohemie, cum filio, qui postridie post coronationem venerant, veste aurea, pellibus sebellinis, poculo argenteo, pelliciis et cantheriis a rege quoque donatus domum reversus est. Filius dni. Leonis veste aurea pulchra donatus.

Dominus de Sternberg, cancellarius Bohemie, veste aurea, pellibus sebellinis, poculo argenteo, pelliciis mardurinis cantheriisque donatus secessit. Nobilibus apud Mgciam. suam Oleschnitzki veste aurea, doctores Rudolphus et Venceslaus et marschalcus sericeis vestibus donati sunt.

Vigesima IX. Aprilis XV dies post ingressum Cesariani quoque honorifice auditi et absoluti prius donati.

Marchio veste preciosa aurea ritzata, poculis deauratis, pellibus sebellinis opt. altopasso chero, armelinis pellibus, pellicea mardurina, cantheriisque donatus.

Comiti de Hennenberg vestis aurea, pelles sebelline pelliciumque donatum.

Domino de Schwiechow, Joanni Moraxio, Laurentio Saurer, doctori Joanni Cuspiniano, his per vestes aureas, pelles sebellinas, poculum argenteum, pellicium cantheriumque uniformiter donavit.

Nobilibus vero marchionis, domino de Lichtenstein, Australi, Grinniger marschalco, Joanni, truchses, Osswaldo Schex, Bartholomeo Vexensteiner vestes ex veluto date, Christophoro Volfmerhauser, Mauricio Schirdinger, Conrado Betzinger, Stephano Birkenfelder, Christophoro de Vissenthaw, Joanni de Seckendorf, doctori medicine, his omnibus vestes serice ex raso seu adamasco date. Preterea filio Cuspiniani facundo doctoque, etate tamen puero, fratri illius, Nicolao Cuspiniano, Vulfersdorfer, rerum dni. vicedomini gubernatori, Carolo, regio hospiti viennensi, vestes serice ex adamasco donati.

Quatuor citharedi a reginula Hungarie missi vestibus et pecuniis donati.

Rmus. cardinalis Estensis eo quoque die expeditus a regia liberalitate donatus pellibus sebellinis optimis, poculis argenteis deauratis, pellicia pantherina, pellibus armelinis.

Dnus. Prosper Colonna poculis argenteis octo pulcherrimis artificioque singulariter fabrefactis (uti revera omnes fuere regiis insigniis desuper positis ad hoc ordinata, que et supra scriptis

MDXVIII scriptis donata fuere), totidem quadragenis sebellinorum pellibus armelinis, pellicea pantherina milleque hungaricalibus aureis fuit donatus.

Curia reginalis Mtis. hi quorum supra fecimus mentionem, dempto forte uno, i e secretario, qui non rediit in Italiam, omnium tamen personarum numerus, qui sunt numerati, duodecim, his partim pelles sebelline et velutum cum pelliciis, partim velutum et pellicium datum; aurei tamen aliquibus additi sicuti stafferiis seu pedissequis.

Curia Ill. dni. Prosperi, quorum etiam nomina supra posui, hic forte repetere non videtur esse necessarium, personis quindecim munera data per velutum, adamascum et pellicium, majori domus sebelline addite centumque aurei hungaricales. Quatuor staffirei aureis quoque donati.

Hi omnes expediti XXX Aprilis iter versus Hungariam cum cardinali ceperunt.

Renuel, nuncius regis Hungarie, veluto quoque et raso chermesino donatus est.

Andreas Trepka, Polonus ex curia regis Hungarie, veste aurea donatus.

Batyan, egregius miles Hungarie, veste aurea donatus.

Hieronymus Balbus, orator palatini Hungarie, veste ex veluto, alia raso pelliciisque donatus.

Joannes de Schonberg, orator ducis Missnensis, veste aureo pelliceoque donatus.

Orator dni. archiepiscopi Colocensis, is etiam aliquot diebus post coronationem venerat portavitque munera regi, hunc etiam veluto pro veste, raso alia et pellicio donavit.

Dominus Wilhelmus Cuna, Moravus, ex veluto veste donatus est.

Anna, dux Masovie, vidua, vestibus ex veluto, raso atque adamasco donata.

Anna, filia dux Masovie, veste aurea, altopasso optimo, alboque raso donata.

Stanislaus et Joannes, duces Masovie, ex burcato auro vestibus donati.

Eberhardus Ferber, consul gedanensis, veluto adamascoque donatus est.

Nuncius palatini Valachie quoque muneratus et dimissus est.

Hoc ordine expeditis donatisque regia liberalitate omnibus ultima Aprilis jam major hospitum pars recessit. Cesariani vero Viennam versus iter habuere.

Cujus autem pretii vel estimationis hic regius splendor fuerit, aliorum sit judicium; mihi tamen minime licet etsi ceteris forte major sit cognitio, omnibus enim, quorum feci mentionem, victualia per totum id tempus magna omnium rerum copia fuit, ut facile crediderim bono ordine hoc convivium atque omnium rerum copia omnem unquam habitum exuperare splendorem, cum quam sumptuosissimum, tum etiam multis diebus protractum, nec tamen quispiam nisi postulans fuit dimissus. Preterea tot egregia munera singulis data.

Ceterum quod certissimum fortunati principis est indicium inter tot nationes populosque, ubi fuere Itali, Germani, Ungari, Bohemi, Poloni, Lithuani, Rutheni, Valachi, Tartari et id genus hominum, haud dubio moribus sibi contrarium, nulle tum vel minime dissensiones seu altercationes facte, haud secus quam si singule singulis fratres essent vixerunt. Vigilans etiam senatus cracoviensis custodia in pretorio aliisque locis die noctuque regio jussu servata, omne periculum, si quid imminuisset, cavere prevenireque studuit. Hoc etiam non minus videtur felix auspicium, quod existentibus his regiis epulis, quo deus optimus maximus regi videretur gratificari, celum ab omni pluvia continuit fulgentem tribuit solem, tempus non modo amenum, verum etiam felicissimum tribuit, ut et interim, territi forte dei

dei potentia, et Infideles a regno abstinuerint, Mosco duntaxat excepto, qui dum apud Wielkie Luky nostros invadere studuit, suorum clade, exusta urbe, prefecto et ceteris abactis, accepit. Huic fortuna accedit, quod cum jam finis felix omnium advenit rerum pius Jupiter lenta pluvia (exeuntibus tamen hospitibus, ut saltem pulveres comprimeret, quominus aliquid hoc in regno illis molestie contingeret) terram conspersit. MDXVIII.

Verum magnifica Venetorum respublica, que nuper in regine transitu non parum se in illius venerationem accinxerat, cum tamen marini fluctus Mtis. sue iter alio deflexerunt, ne autem ejus congratulatio felicissimo connubio deesset, principis et senatus decreto mgcus. Aloisius Bon, patricius, ultro in Poloniam orator missus est, qui XIII Maji, terminatis jam rebus omnibus, Cracoviam venit, postridie et apud regem et a regina auditus luculentissima et facunda oratione senatus populique veneti animum et congratulationem declaravit, reginalique Mti. munere dato, honorifice ipse habitus, deinde XXII Maji muneratus a rege dimissus est.

Dimissis itaque hospitibus tandem de rebus regni consultum atque provisum est.

Perveni ad diarii hujus finem, utinam non tam jejuna oratione id fecissem. Verum partim me tempus atque negotia excusant, partim etiam quod id, quod commune esse debet, communi est stilo scribendum. In hoc tamen non sine gloria me putabo, quod ipsam planam veritatem aridis quidem his verbis describens, nulla sum prorsus adulatione usus. Si quid parum, quod humanum est, erratum alicui videtur, ipse pie corrigere dignetur. Hoc unum mihi a Deo opt. max. exorandum venit, ut hunc regem reginamque hanc novam sanos incolumesque felices conservare pulchraque prole parentes facere dignetur. Quibus hoc regnum feliciter diuque virtutibus armisque protegatur iis quoque ducibus christiana respublica aucta crescat.

CCCXLVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Episcopo Quinqueecclesiensi.

Rev. in Christo pater, amice sincere nobis dilecte. Tenebamur magno desiderio, ut vestra Ptas. huc ad nos hoc tempore venisset. Nam non parum ornamenti et solacii ex illa nuptiis nostris faustissimis accessisset et nos, que magnopere cupimus et expedire arbitramur, coram cum illa abunde colloqui potuissemus. Verum postquam negotia Sermi. dni. regis Ludovici et regni istius Hungarie illam retinuerunt, consuluimus boni excusationem ejus gratiasque illi habemus, quod per nuntium suum easdem nuptias nostras felicissimas honestare voluerit et referre illi hoc officium omni benivolentia et favore nostro regio pollicemur. Cod. R.

Ea vero, que nobis rev. duus. Hieronimus Balbus nomine vre. Ptis. retulit, abunde intelleximus et gratissimo animo affectum et studium optimum ejusdem Ptis. vestre suscepimus, cui per ipsum Balbum ea, que nobis visa sunt, renunciari commisimus. Ex eo latius omnia intelliget, cujus personam et meritis ipsius et commendatione vre. Ptis. habuimus et habebimus semper gratam et acceptam. Feliciter valeat vra. Ptas. Datum Cracovie.

CCCXLIX. SIGISM.

CCCXLIX. Sigismundus, Rex Polonie, Stephano de Bator, Palatino Hungarie.

MDXVIII. Cod. R. Spectabilis et mgce. amice, sincere nobis dilecte. Licet nobis gratissimum fuisset vestram Mgciam. participem habuisse festorum et gaudiorum nostrorum nuptialium, tamen cum venire huc propter publica Sermi. dni. regis Ludovici, nepotis nostri amantissimi, et ejus istius regni Hungarie non potuit, suscepimus gratissimo animo excusationem vestre Mgcie., quod ipsas nuptias nostras felicissimas suo nuncio et muneribus honestare voluerit, gratias illi habemus et referre vicissim omni favore et benivolentia nostra regia pollicemur.

Ad ea vero, que nobis ipse nuncius rev. dnus. Hieronimus Balbus nomine vre. Mgcie. retulit, respondimus illi coram et referre eidem Mgcie. vre. commisimus, ex quo omnia et quam hec cura et officium illius sit nobis gratum, latius cognoscet. — Personam autem ipsius Balbi propter ejus merita et vre. Mgcie. commendationem habuimus et habebimus semper acceptam. Bene valeat vra. Mgcia. Datum Cracovie.

CCCL. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Oratoribus Cesaris Maximiliani, qui missi fuerant ad nuptias regias.

Cod. R. Legationem vrarum. Dtionum. qua sacre Mti. regie declaraverunt: cesaream Celsitudinem simul et summum pontificem aliosque reges ac principes christianos expeditionem generalem contra Turcos parare et invalescenti periculo rei christiane consulere velle modis et processibus a vris. Dtionibus. latius expositis, Mtas. sua abunde intellexit.

Ac imprimis laudat summopere et probat Mtas. sua Serma. hoc tam sanctum et maxime necessarium studium et institutum cesaree Mtis., dominoque deo gratias agit, qui hanc illius Mtis. mentem inspirare dignatus est pro vindicanda salute et bono statu rei christiane adeo nunc quam nunquam alias magis in discrimine constituto. Mtas. enim sua Serma., ut ea, que assidue humeris suis hanc molem Infidelium sustinet, nihil unquam magis desideravit, quam hoc aliquando faustissimum tempus futurum, ut omnes principes christiani unanimi consensu et coactis viribus tandem ad redimendam periclitantem christiane reipublice incolumitatem consurgerent.

Verum quod illius cesarea Mtas. postulat, ut Mtas. sua sacra in Moraviam concederet et illic cum de rebus Sermi. dni. regis Ludovici, tum de ipsa expeditione generali cum dnis. regni Hungarie et Bohemie conventum ageret consiliumque opportunum de illa consequenda caperet, Mtas. sua Serma. edocta per exploratores suos, quod Tartari iis temporibus regnum, et dux Moscovie ducatum Lithuanie invadere statuerunt, aliique vicini hostes adversus Mtem. suam varia moliantur, nequaquam est s. Mti. integrum ex regno et dominiis suis discedere, et hostibus hanc occasionem suos nefarios adversum se conatus perficiendi prestare, nolletque Mtas. sua regnum et dominia sua in tanta hostilitate constituta sua absentia

sentia in discrimen aliquod adducere, que presentia et cura sua solita est hactenus fortiter tueri et in posterum juvante domino deo tuebitur. MDXVIII.

Sed cum Mtas. sua Serma. se ex difficultatibus istis domesticis explicare et res suas cum Tartaris, Moscis et aliis hostibus, que regno et dominiis suis undique imminent, pacare poterit, cumque intelliget ad firmitatem aliquam et bonum ordinem ipsam generalem expeditionem tendere et contributiones ad illam designatas ad effectum aliquem procedere, alacri animo munus suum cum ceteris principibus christianis ita obibit, ut nulli posterioris fieret, nec pro se quidquam opere, studii et impendii hac in re pretermitti, dummodo saluti christiane cum effectu aliquo consulatur, pro qua et vires et sanguinem proprium parata est semper effundere.

Quod autem cesarea Mtas. suadet, ut ad societatem hujus sancte generalis expeditionis Tartari pecunia conducantur, Mtas. sua regia nequaquam faciendum censet, cum propter eorum fidem, quam nulli servare solent, tum communem religionem cum Turcis et observantiam, qua illorum cesarem prosequantur. Ubi igitur hoc ceptum illis aperiretur et insuper pecunia juvaretur, haud dubio hanc optimam occasionem gratificandi Turcarum imperatori arriperent et perturbationem maximam in dominiis christianis facere possent, cum Mtem. suam imprimis, demum reliquos christianos principes circa bellum cum Turcis occupatos cognoscerent.

Postremo sacra Mtas. regia agit et habet summas ac immortales gratias cesaree Celsitudini, quod presentia vrarum. Dtionum. dignata est hoc ejus faustissimum connubium honestare seque auspicem et autorem ejus sacri connubii prestare, quam benevolentiam, studium et operam illius Celsitudinis. vult et pollicetur Mtas. sua regia vicissim illius cesaree Mti. omni benivolentia, officiis, facultatibus, viribus et sanguine denique proprio semper referre.

CCCLI. Sigismundus, Rex Polonie, Isabelle de Aragonia, Duci Barensi Socrui.

Illma. princeps et dna. mater nostra charissima. Venit ad nos gratia dei salva et incolumis Serma. princeps dna. Bona, filia Illtis. vestre et conjunx nostra amantissima, cujus adventus quam letus et jucundus nobis fuerit, nullis verbis explicari potest. Aderat et Ill. dnus. Prosper de Colonna, nobis hospes multo gratissimus, qui commissa vre. Illtis. nobis abunde exposuit et de omnibus juxta pacta et articulis satisfecit. Cum autem ad eandem Illtem. vram. rursus jam redeat, clarius singula, que hic acta sunt et constituta, ipse coram referet, quam scribi possit. Commendamus nos materno amori vre. Illtis., quam sanam, sospitem et felicem esse cupimus. Datum Cracovie die ultima Aprilis. Cod. R.

CCCLII. Sigismundus, Rex Polonie, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

Illustres domini sincere nobis dilecti. Non licuit nobis obaudire preces et querelas gravissimas subditorum vestrarum Illtum., quin ex officio nostro et pro meliori bono illarum his Cod. R.

motibus

MDXVIII. motibus et perturbationi totius ducatus vri. consuleremus. De consilio itaque et intercessione omnium consiliariorum nostrorum hortamur vras. Illtes., ut conventum generalem ducatus illarum pro feria quarta proxima ante dominicam palmarum indicant, ad quem unum ex consiliariis nostris mittemus ad referendum vris. Illtibus. sententiam nostram et omnes differentias sistendum.

Salvum conductum etiam ipsis subditis vrarum. Illtum. dedimus, ut, quod equum est, securi esse possent ubique a vi et hostilitate, qua se opprimi referebant. Itaque vre. Illtes. quod nobis et nostris consiliariis est visum, ipse quoque amplectentur et exequi curent, quoniam motus et perturbatio status communis subditorum uniuscujusque principis non potest nisi magno omnium et ejus esse detrimento. Bene valeant Illtes. vestre. Datum Cracovie.

CCCLIII. Petrus Tomiczki, Eps. Vicecancellarius, Stanislao et Janussio, Ducibus Masovie.

Cod. R. Illustrissimi principes et dni. colendissimi. Feci ego quidem operam meam, ut Mtas. regia suspendisset querelas subditorum vrarum. Illtatum. ad earum huc adventum. Verum Mtas. sua coacta ipsis querelis valde gravibus et instantibus consiliariis universis fecit hoc, quod vre. Illtes. ex literis ejus Mtis. intelligent, et demum palatinum plocensem, me certe inscio et absente, oratorem ad conventum illarum designavit.

Serma. dna. regina jam adventat et non longe abest, Mtas. tamen regia procuravit, ut Sertas. illius lentius proficisceretur, quo nisi ad dominicam secundam post festa Pasche huc applicaret, ad quam diem statuta est coronatio et nuptie prout id literis Mtis. regie latius declarabitur, quibus me et mea obsequia commendo, easque felices et incolumes esse cupio. Cracovie.

CCCLIV. Legatio a Sigismundo, Rege, ad Stanislaum et Janussium, Duces Masovie et ad Annam, matrem eorum.

Cod. R. Fuerunt quidam ecclesiastici et seculares Illtatum. vrarum. subditi in conventu cracoviensi injurias, gravamina et oppressiones diversas totius Masovie ducatus subditorum apud Mtem. regiam et consiliarios sue Mtis. multis verbis exponentes atque a sua Mte. supplicibus verbis auxilium, defensionem et justitiam implorantes. Quibus diligenter sua Mtas. exauditis cum consilio omnium consiliariorum suorum ejusmodi querelis de tot et tantis injuriis, gravaminibus et oppressionibus permota ad Illtes. vestras me mittere atque hoc imprimis per me intimare dignata est: Ut cum Illtres. duces ad eam etatem pervenerint, in qua jam nulla tutela indigere videntur, seque ipsos regere possunt, quod jam consiliarii et omnes subditi, ad quorum officium id videtur pertinere, insimul convenientes Illtes. vras. de more

more in sede sua propria collocent, et ut se ipsos et subditos suos propria auctoritate Illtes. vre. gubernent, res suas et subditorum suorum autoritate sua administrando, electis per communitatem nobilium ex consilio sex viris idoneis, juris et justitie aliarumque rerum administrandarum peritis, qui lateri vestrarum Illtum. semper assistant, ut eorum mediante consilio omnia recte, juste et legitime administrari et gubernari possint. MDXVIII.

Illma. domina ducissa. Dtio. vra. Illris. dignetur jam ad bona dotis sue cum filiabus suis se transferre, relicta possessione et tutela ducatus Illbus. filiis suis.

CCCLV. Sententia Regis Sigismundi inter Duces Masovie et subditos eorum lata.

Sigismundus dei gratia rex etc. Manifestum facimus per presentes universis. Quia cum in ducatu Masovie discordia intestina et graves motus ratione sui regiminis essent excitati, qui illic per publicos conventus et crebras legationes nostras nullo modo sisti et componi potuerunt, existentibusque in felicissimis nuptiis nostris tum Illbus. dominis ducibus Stanislao et Janussio una cum Illri. domina Anna, duce matre sua, quam nunciis communitatis ipsius ducatus Masovie, curavimus pro officio et potestate superioritatis nostre rei tam indigne et perniciose debito modo providere, auditisque diligenter partibus utrisque ac earum causis ac rationibus cum consiliariis regni nostri status utriusque mature discussis, talem tulimus et presentibus férimus sententiam. Cod. B.

Quod Illres domini duces Masovie Stanislaus et Janussius, cum alter vel uterque eorum sit in etate legitima constitutus, idque subditi ipsorum exposcant, soli imperent et gubernent ducatum et subditos suos, nulla alia persona secum in participationem dominii et imperii sui admissa.

Quod conventus generalis in terris Masovie, qui pro feria secunda proxima post octavas corporis Christi fuerat per mgcum. Andream de Nisczice, palatinum plocensem, denunciatus ad postulationem dnorum. ducum statuatur et proclametur ad festum sanctorum apostolorum Petri et Pauli proximum, ad quem omnes consiliarii, officiales et nobiles ac reliqui status ducatus Masovie conveniant consulturi de bono statu dominorum ducum suorum et reipublice ducatus Masovie. Utque in eodem conventu ipsi domini duces absolvant omnes subditos suos a juramentis insuetis per eos prestitis, sigillaque sua et matris sue Illris. domine Anne nomen et titulum continentia frangi et literas sub illis datas aboleri faciant. Que quidem juramenta sigilla et literas nos quantum in nobis est cassamus et in irritum vertimus.

Quod domina dux ob conceptum in nonnullos subditos ducatus Masovie animi rancorem non adsit in eodem conventu, sed in alio aliquo loco sit et maneat cum filiabus suis, quo is ipse conventus debito modo et sine ullo impedimento transigi possit. Utque in eodem conventu tractetur, cognoscatur et deffiniatur de injuriis subditorum ducatus Masovie, et pariter consulatur, qui consiliarii adhiberi debeant dominis ducibus, qui continue cum illis maneant et quorum consiliis ipsi utantur suumque administrarent dominium, et qualiter status eorundem dnorum. ducum et sororum ipsorum dirigi et conservari debeat.

Quod

MDXVIII. Quod decretum conventus generalis cracoviensis de statu ducatus Masovie ad debitum tranquillitatem et quietem reducendo communi consiliariorum et nunciorum communitatis nobilium regni nostri factum. Et quod in ducatu Masovie est per prefatum mgcum. palatinum plocensem denunciatum et publicatum, in omnibus observetur et in robore suo permaneat.

Quod domini duces prohibeant invehi ad terras magistri Prussie de ducatu suo merces et res quascunque venales tunc, cum id per literas nostras universis subditis nostris inhibuerimus. —

Quodque etiam iidem domini duces prohibeant uti subditos suos sale peregrino et externo, sed ut sale nostro illos uti compellant. Oratores vero nostros, quotiens illos ad eos miserimus honeste deinceps excipiant et ita ut decet ac prout eorum predecessores faciebant tractent et honorent.

Quod subditi ducatus Masovie obedienter et cum omni fide se gerant erga dnos. duces, ut decet fideles subditos erga dominos et heredes suos. Erga dominam etiam ducem ita se gerant ut erga matrem dominorum suorum, eamque honorent et nihil contra eam dicere inhoneste aut moliri audeant. Ipsi etiam domini duces gratia et favore suo subditos suos universos prosequantur et id quod nonnullis eorum fecerunt, venientes ad curiam Makow, conventus absque illorum voluntate facientes literasque ad officiales et subditos illorum scribentes atque alia id genus, cum ea ut ipsi dicebant bono animo fecerint pro bono statu ipsorum dominorum suorum ducum se opponentes et consulentes, ipsis indulgeant et condonent. Et similiter domina dux id indulgeat et remittat, nec amplius ea in animum suum contra illos revocent, presertim cum prius in conventu varschoviensi omnia predicta illis remiserint tam ipsi domini duces quam domina dux in presentia oratorum nostrorum eosque in gratiam suam susceperint.

Quod salvus conductus datus subditis ducatus Masovie, qui pro bono statu dominorum suorum se opponent et consulunt in omnibus junctis et clausulis observetur tamdiu, quoad per speciales literas nostras fuerit revocatus. Omnia vero predicta domini duces, cum id ex re et dignitate sit, adimpleant et observent, consiliumque et sententiam nostram exequantur.

Postremo verba, quibus culpati sunt coram nobis nonnulli consiliarii, officiales et nobiles ducatus Masovie nomine Illrium. dominorum ducum et domine ducis et que fuerunt contra illos dicta et eis objecta nocere non debent bone fame, honori et existimationi illorum et eorum posteris nunc et in perpetuum, quos dicimus et declaramus probos homines et in honore ac fide debita erga dominos suos bene conservatos. Similiter, que vicissim ipsi contra dominam ducem dixerunt et questi sunt id illius fame et dignitati ducali nocere non debet nunc et in posterum. Que etiam iidem contra nonnullos eidem domine duci et dnis. ducibus adherentes dixerunt, id similiter illorum honori, bone fame et existimationi ac eorum posterorum nocere non debet, nunc et in perpetuum. Qui tamen de his, in quibus per alteram partem accusati sunt, jure suo respondebunt. In cujus rei testimonium etc. Datum Cracovie XII Maji.

CCCLVI. SIGISM.

CCCLVI. Sigismundus, Rex Polonie, Ducibus Masovie et subditis eorum.

Illustribus dominis Stanislao et Janussio, ducibus, ac mgcis. venerabilibus, generosis et nobilibus, consiliariis et officialibus ac toti nobilitati ducatus Masovie in conventu generali zakroczimensi congregatis, sincere et grate nobis dilectis, salutem et gratiam nostram regiam. MDXVIII. Cod. R.

Illres. dni. ac mgci. etc. Mittimus istuc ad conventum vestrum mgcos. et venerabilem Andream de Kuthno, palatinum ravensem, Stanislaum Ostrorog, castellanum calissiensem et Joannem de Gora, archidiaconum posnaniensem, secretarium nostrum, quibus commisimus nonnulla vobiscum ad bonum et tranquillum statum tam ducalem quam reipublice vestre pertinentia nostro nomine tractare et agere, quo juxta decretum et sententiam nostram res omnes in bono ordine et effectu debito constituerentur. Quare hortamur vos, ut illis in omnibus plenam fidem adhibeatis idque, quod paci et bono ordini vro. expedit, exequi et determinari curetis. Datum.

CCCLVII. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, missa in Masoviam.

Hanc obierunt Andreas de Kuthno, palat. ravensis,
Stanislaus Ostrorog, castellanus calissiensis,
Joannes Gorski, archidiaconus posnaniensis.

Premissa salutatione dicatur. Quod Mtas. regia pro officio suo et bono statu dominorum ducum Masovie et eorum ipsius ducatus cupiens, ut tandem illic motus et dissensio intestina, que omni Reipublice magnum affert detrimentum, componatur, miserit vras. Dtiones. ad eum conventum, qui per Mtem. suam fuerat designatus et per ipsos dnos. duces indictus, ut nomine Mtis. sue agerent et operam facerent, quo juxta decretum suum nuper Cracovie factum omnia ad tranquillitatem et bonum ordinem reducantur. Cod. R.

Mtas. enim sua Serma. tam officio suo, quam gratia et affectu erga dominos duces et eorum bonum ordinem et statum hortatur et consulit, quo juxta decretum suum se gerant et cum subditis suis de regimine et statu suo ita consulant et statuant, ut honestius et utilius communi consilio visum fuerit. Nam Mtas. sua melius prospicit et perpendit ea, que illis profutura sunt, quam ipsimet per etatem cognoscere adhuc valeant.

Ceterum de inhibitionibus vehendi res et mercimonia in terram dni. magistri Prussie agendum, quo dni. duces tunc, cum Mtas. sua regia suis subditis inhibet, ipsi etiam interdicant.

Deinde quodcunque intelligent vre. Dtiones. esse ex dignitate Mtis. regie et bono ac tranquillo statu dominorum ducum Masovie et eorum subditorum, id omne tractare agere et ad effectum deduci curabunt.

Postremo, quia prelati ecclesiarum et ecclesiastice persone quemadmodum et nobiles immunes sunt et exempti ubique terrarum cum rebus suis ab omnibus theloneis, agendum erit

 cum

MDXVIII. cum dnis. ducibus et eorum consiliariis: ut cum dominus eps. plocensis demittet frumenta sua Gedanum versus per fluvium Vistulam, ab eo et ejus factoribus theloneum non exigatur nec recipiatur.

CCCLVIII. Responsum a Ludovico, Rege Hungarie, Oratoribus Cesaris Maximiliani et Sigismundi, Regis Polonie, datum feria IV. post festum S. Barnabe XI. Junii.

Cod. R. Mgci. ac generosi, prestantissimi domini oratores. Superioribus diebus Dtiones. vre. Sermo. et gratiosissimo dno. nostro rege Ludovico honorifice salutato, declaratisque piis principum suorum affectibus et optima eorundem erga hanc Mtem. voluntate, obtulerunt in scriptis quosdam articulos, summam legationis sue continentes, quorum sensum, dimissis verborum ambagibus, paucis in presentiarum repetendum censeo: ut ad illos pro injuncto mihi mandato respondere aptius possim.

Declaraverunt Dtiones. vre. in predictis articulis nomine sacratissimi cesaris et Sermi. dni. regis Polonie tutelam hujus Mtis. ad illas Mtes. omni jure pertinere, illas esse tutores veros et legitimos, idque multis modis confirmatum, et propterea, ut bono statui hujus Mtis. et regnorum suorum ex officio consulerent idque facerent, quod ad bonum ejusdem regnorum suorum pertinere videretur.

Relatum fuisse illis Mtibus., ordinationem illam, que post obitum Sermi. quondam dni. regis Vladislai p. m. presentibus hic utriusque Mtis. oratoribus pro bono publico facta fuerat, post eorundem hinc discessum subito immutatam fuisse, hinc secutas fuisse animorum alienationes et sententiarum varietates, et quasdam etiam graviores dissensiones ac simultates hinc esse, quod decreta et constitutiones regni ad plenum non observarentur, hinc jura turbari, equitatem pessundari, contributionem publicam simulque defensionem negligi, inde secutas diffidatorum denunciationes, hinc Turcos, ut ad ejus Mtis. regna liberius excurrerent et ea depopularentur, occasionem arripuisse. Quam ob rem censere illas Mtes., ut ex ordine dominorum prelatorum ac baronum certi consiliarii eligerentur, qui obviarent ejuscemodi malis et curarent, ut omnia pro bono publico recte fierent.

Consuluerunt in medium Dtiones. vre. nomine principum suorum, ut odia et simultates componantur, dissidentes ad concordiam revocentur, commissumque sibi esse a principibus suis, ut operam suam ad hoc una cum hujus Mtis. consiliariis impendant. Et ne similia posthac contingant optare illas Mtes., ut oratores et consiliarii sui sint continue ad latus hujus Mtis. et adhibeantur senatui ejusdem et consulant una cum hujus Mtis. consiliariis, quod ad quietem, pacem et bonum statum hujus Majestatis et regnorum suorum pertinere arbitrabuntur.

Preterea monuerunt Dtiones. vre., ut conserventur gentes, que pro regni defensione a dnis. prelatis et baronibus ac regnicolis teneri solite sunt, et si quisque pro facultate sua id recte fecerit, gentes ipsas ad defensionem regni sufficientes fore et hostiles excursiones posse prohiberi

prohiberi. Preficiendos esse duces idoneos, muniendas arces finitimas presidiis et commeatibus, banos aptos arcium custodie deligendos, qui, si negligentes forent, deponendos, generalem contributionem faciendam in subsidium Mtis. regie pro suis et regnorum suorum necessitatibus evitandis, curandum denique, ut proventus regii et quique alii bene provideantur. Quod si fiat, sperare illas Mtes., ut bene rebus omnibus hujus Mtis. provideri possit. MDXVIII.

Quod si forte ille Mtes. a suis quos hic fore cupiunt oratoribus cognoscerent, nec publicos hujus regni proventus nec dominorum regnicolarumque contributionem ad omnia onera sustinenda sufficere, curaturas easdem, tanquam fratres charissimos et diligentissimos tutores, ut de aliquo opportuno remedio, non verbis solum, sed rebus ipsis per eos provideatur. Nuncupatim autem paratam esse cesaream Mtem. ad Jaicze in periculis laboranti provisionem et succursum prestandum, modo debitus honor prefatis Mtibus. exhibeatur et consiliarii utriusque Mtis. in senatum suscipiantur.

Postremo continebatur in articulis Dtionum. vrarum., constituisse principes suos, quam primum fieri poterit, convenire et tam super his omnibus, quam super illa generali expeditione, quam sanctissimus dnus. noster summus pontifex instituit, consulturos idque facturos, ut non huic tantum regno, sed toti etiam Christianitati bene provideatur.

Hec fuit summa et sententia legationis Dtionum. vrarum. et articulorum, quos exhibuerunt, ad quos Mtas. hec regia ita respondit.

Imprimis Mtas. hec regia, dominus noster gratiosissimus, sacratissime cesaree Mti. et Sermo. dno. regi Polonie, uti fratribus consanguineis suis et patribus charissimis atque tutoribus, gratias maximas agit, quod Mtes. sue inter tot curas et occupationes suas dignate sunt de hujus Mtis. communis filii suarum Mtum. rebus et statu deque regnorum ejusdem quiete ac defensione singularem curam gerere et Dtiones. vras. ejus rei gratia huc mittere. Quod si hoc tempore propter imbecillem etatem suam pares illis Mtibus. gratias propterea referre, ut vellet, non poterit, sedulam tamen operam datura est, talemque se prestabit, ut tante cure tanteque sollicitudinis et tam liberalis oblationis Mtum. illarum nec immemor nec indigna esse videatur. Ubi autem maturior etas accesserit, hec omnia Mtum. suarum officia, has curas et sollicitudines omni studio omnique conatu et promereri et cumulatissime rependere studebit.

Quod autem ad tutelam pertinet, egerunt jam aliquotiens oratores utriusque Mtis. de ea re apud hanc Mtem., de qua Mtas. regia non potest vel in presens aliud illis Mtibus. respondit, se nunquam ab amicitia et fraternitate ac protectione tutelaque illarum Mtum. voluisse nec velle discedere, nec ullo pacto ab amore earum, utpote fratrum patrumque ac tutorum suorum alienari, quin potius illas Mtes. ut fratres, ut patres, ut protectores ac tutores et venerari semper et observare, quippe in quibus omnem spem et fiduciam suam collocaverit, quarum favore, benivolentia, amore, auxilio, patrocinio et tutela libenter in omnibus rebus necessariis uti intendit uteturque semper.

Verum ubi ille Mtes. cupiunt suos consiliarios senatui et consilio hujus Mtis. in argumentum et executionem tutele adhibere et admitti, Mtas. sua regia hoc quoque certe perlibenter faceret et admitteret; nam nihil est, in quo Mtas. sua non ex animo cupiat illis Mtibus. et

MDXVIII. et gratificari et morem gerere, nisi certe cause, quominus id fiat, Mtem. suam prohiberent et quidem cause tales, quas ubi Mtes. ille intelligent, Mtas. regia sibi persuadet, hanc suam et rationabilem et justam excusationem illas Mtes. non gravatim admissuras.

Cum Sermus. quondam dnus. rex Vladislaus p. m., genitor hujus Mtis. dni. nostri gratiosissimi, ad hujus regni gubernationem et regimen fuisset cooptatus et electus, juramentum' ut fieri a regibus solet, prestitit tam electionis quam coronationis sue tempore: se omnes hujus regni libertates inviolabiliter observaturum. Et sicut pro se tunc, ita postea etiam pro Sermo. dno. nostro rege Ludovico, dum coronatus est, cum per etatem tenellam id facere eidem tunc non licuisset, juravit. — Que quidem paterna Mtas. statim a coronatione sua decretum edidit, ad cujus observationem etiam juravit, in quo est articulus expressus, quo cavetur: ne unquam extranei ad consilium Mtis. sue hungaricum admittantur. Qui articulus, ut Mtes. ille majorem fidem faciant, de verbo ad verbum hic est inscriptus, et est talis:

Item, quod quando de rebus et negotiis regni Hungarie aut partium sibi subjectarum agetur, non cum aliis preterquam cum hungaris consiliariis tractet et consulet et alios forenses aliasque nationes ad talem consultationem taleque consilium non admittat.

Quem quidem articulum vos, domini oratores, coram perlectum audistis et in ipso sigillato decreto manifeste vobis ostenso vidistis. Huc accedit, quod regnicole intelligentes superioribus conventionibus aliquos tractatus fuisse de consiliariis externis, publice supplicarunt Mti. regie proximo conventu: ne hoc contra publicam regni libertatem et contra paterne Mtis. jusjurandum fieri pateretur.

Quod cum ita sit, rogat magnopere Mtas. regia patres suos charissimos, cesarem et regem Polonie, hanc Mtis. sue responsionem excusationemque in bonam partem interpretentur, nec putent id, quod in ea re cupiunt negari ab hac Mte. vel injuria vel contemptu aliquo, sed necessitate et obligatione jurisjurandi, quod paterna Mtas. super hac re, ut premissum est, et suo et hujus Mtis. nomine prestitit. Ferant hanc responsionem equo animo vel eo attento, quod et nunc et alias antea Mtes. sue nunciaverint et huic Mti. et regnicolis ipsis, se in ipsa tutela nihil aliud optare, quam bonum hujus Mtis. et regni, salva semper ejusdem regni libertate, attento denique illo, quod in presentiarum per Dtiones. vras. monuerint hanc Mtem. et dominos consiliarios ejusdem ad decretorum et constitutionum hujus regni observationem. Quod si admitterentur in consilium hujus Mtis. externi, et publica regni libertas offenderetur et jusjurandum paterne Mtis. violaretur, et hoc pacto bonum Mtis. sue regie plurimum impediretur et regni sui tranquillitas violato decreto, quod Mtes. sue observari cupiunt, non mediocriter turbaretur.

Quare iterum atque iterum hec Mtas. rogat illas Mtes. hec omnia boni consulant et sibi persuadeant in hujus rei difficultate Mtem. hanc non ficta sed vera excusatione usam esse, admittantque illam benignis et auribus et animis. Nec propterea (si votis earum non usque quaque respondeat hec responsio) animos suos benivolos ab hac Mte. abstrahere, sed potius amore et pietate paterna, ut consueverunt, Mtem. suam, communem filium, prosequi dignentur. Que quidem Mtes. quotienscunque suos oratores ad Mtem. suam miserint, libenter

benter honorificeque eos suscipiet et eorum consilio in rebus occurrentibus et necessariis etiam utetur. MDXVIII.

Ubi autem Dtiones. vre. mentionem faciunt, quemadmodum ordinationes priores mutate fuerint et inde multa, ut premisi, mala sequuta, Dtiones. vre. intelligant, ordinationes illas solum pro uno anno factas fuisse, pro quo et continuate et observate fuerunt, secundum quas ordinationes oblate fuerant Mti. huic regie in subsidium duo floreni de portis singulis colonorum, tum ad eliberationem bonorum et proventuum Mtis. sue per paternam Majestatem suam inscriptorum, tum ad arcium finitimarum reparationem provisionemque, tum etiam ad gentium conservationem ad regni defensionem. Quod quidem subsidium duorum florenorum Mti. sue tunc exolutum, non ex debito datum fuit, nam Mti. sue ordinarie non plus de suis colonis debent, quam annuos viginti denarios, quos lucrum camere vocant, sed ex sincera dominorum et regnicolarum in Mtem. suam affectione in argumentum et testificationem amoris et fidei ac obedientie eorundem erga suam Mtem. — Quod si hoc quoque subsidium non fuerit ad omnia, ad que oblata fuerat, sufficiens, in causa illud est, quod multo postea majores incubuerunt Mti. sue et regnis suis necessitates, quam ut tanto et tam aucto etiam subsidio possent devitari. Et licet pauperes coloni per exactionem, que ob regni gravissimas necessitates continue fit, nimium et ultra quam credi potest sint depilati et exhausti, tamen hoc non curato non est cessatum de subsidiis Mti. sue etiam postea ferendis. — Nam exacto illo anno, cujus supra memini, contributum fuit Mti. sue quidquid in tanta rusticorum paupertate contribui potuit; nunc vero pene reditum est ad priorem ordinationem. Domini enim prelati, barones et proceres considerantes et Mtis. regie necessitates et regni pericula, duos similiter pro anno presenti florenos de suis colonis in subsidium Majestatis regie et regni ordinaverunt, alterum pro tenendis gentibus, alterum ad castrorum finitimorum provisionem et banderii Majestatis sue instaurationem; ex quo Majestates ille perpendere poterunt, nihil esse per dominos et proceres pretermissum, quod putaverint ad bonum regis et regni pertinuisse. — Quamvis autem regnicole ipsi moti maxime paupertate colonorum suorum in ordinatione hujus subsidii a dominis dissenserunt, et quodam modo rebus infectis a predicto conventu discesserint, prout Mtes. sue ex articulis in ipso conventu compositis intelligere poterunt, sperat tamen Mtas. sua, sperant etiam dni. consiliarii, illos quoque opera ipsorum dominorum ad hanc ordinationem et oblationem posse revocari et induci. Faciunt igitur et domini et regnicole hujusmodi contributiones semper et nunquam cessant facere, tum pro illo amore et observantia, quibus Mtem. suam prosequuntur, tum ex necessitate ipsa. Nam cuique commodius esset suos proventus pro se accipere, qui ex rusticis exigi possunt, quam alio conferre, sed malunt se ipsos hujusmodi rusticorum suorum proventibus quodammodo spoliare quam regni defensionem negligere.

De simultatibus breviter negari non potest, quin fuerint alique dissensiones superiori tempore in hoc regno suscitate, sed non tales, que vel dignitatem vel auctoritatem Mtis. sue offendissent, vel que Mtes. illas multum movere debuerint. Fuerunt enim orte inter aliquas personas privatas; nec id quidem mirum, cum graviores sepius etiam inter angustos parietes uti inter fratres uti inter patrem et filium orte fuerint. Qualescunque autem fuerint

MDXVIII. erint, sunt jam magna ex parte sedate, et si quid restat, sedabitur, et cura aliqua de his nec huic Mti. nec illis Mtibus. relinquetur.

Ubi monent vre. Dtiones., ut certi consiliarii eligantur, qui nociva queque fieri prohibeant et curent, ut omnia recte administrarentur, jam illi electi sunt; quorum officium quale sit Mtes. ille ex articulis in predicto conventu editis intelligent. Curare autem potissimum illi habebunt, ut judicia celebrentur, jura administrentur omnibus, decreta et constitutiones pro bono et quiete Mtis. sue et regni observentur, regni proventus et fideliter colligantur et utiliter dispensentur, et quatenus fieri poterit etiam ab inscriptionibus liberentur atque amplientur et ut alia quoque omnia, que ad bonum statum regis et regni pertinent, recte fiant. —

Ubi consulunt Dtiones. vre., ut gentes regni pro solito observentur putantque, si hoc integre ab omnibus fiat, posse ab hoc regno hostiles insultus abarceri, hoc loco considerare debent ille Mtes. et Dtiones. vestre, quantum crevit hostis potentia, quam longo terrarum tractu confinia illius sint confinibus hujus regni contermina, quantum sit hoc regnum continuis bellis jam exhaustum, et licet gentes, que conscribi in hoc regno possunt et solent, semper teneantur, et raro vel nunquam consuetudo eas tenendas intermittatur; tamen eo venit hostis ipsius potentia, eo rursus devenerunt res hujus regni ob causas predictas, ut ad repellendum excursiones hostiles, que per diversa confinia absque intermissione fiunt, vires hujus regni jam pares esse non videantur. Et cum hostes ipsi confinia hujus regni diripiant, inde fit, ut numerus colonorum continue diminuitur et per consequens etiam numerus gentium, que ex proventu ipsorum colonorum conservantur. Quod si hoc regnum eo jam devenerit, ut partiales etiam incursus sufficienter repellere semper nequeat, quid futurum est, si princeps ipse Turcorum, asiaticis rebus confectis, in hoc Mtis. sue regnum, ad quod toto pectore aspirat, omne robur omnemque rabiem suam converterit? Sed his non obstandis Mtas. sua regia, quo citius fieri poterit, expeditionem aliquam contra hostes ipsos decrevit et deo adjuvante pro regni sui defensione fortunam, qualiscumque futura sit, experietur.

De imperatoribus et ducibus idoneis preficiendis sollicite id semper Mtas. sua curavit, curabitque in posterum maxime, cum res sua agatur, ut tales preficiantur, quos aptos et in re militari peritos fore cognoverit. Curabit etiam de presidiis et custodia castrorum finitimorum et de banis idoneis ad ea collocandis; sed ad eam desolationem castra fere omnia devenerunt, ut difficile sit et quodammodo impossibile Mti. sue, sine aliena jam ope illa posse instaurari. — Immo hoc quoque difficile, ut jam vel banos idoneos ad illorum conservationem invenire possit; nam hujusmodi banatus officia, ad que alias etiam largitionibus contendebant competitores, nunc ultro oblata ob impendentia illis pericula quisque reformidat et refugit, et nunc quoque fere bani omnes officia sua resignaverunt.

Ceterum ubi Dtiones. vre. dicunt: sacram cesaream Mtem. et Sermum. regem Polonie si cognoscerent, nec regnicolarum contributionem, nec proventus publicos ad omnia hujus regni onera et ad publicam defensionem sufficere, velle adhibere omnem curam, ut de aliquo opportuno remedio provideatur: Mtas. sua regia iterum agit gratias illis Mtibus. et quidem amplissimas de tam pia cura et tam liberali oblatione Mtum. suarum. Certificat autem

autem Mtes. suas eo jam angustiarum res suas esse per continuam hostilitatem redactas, MDXVIII. ut omnino sibi et ope et presidio Mtum. suarum opus esse existimet. — Que ut sibi non desint tanquam patres et tutores charissimos ex singulari fiducia plurimum precatur.

Quod autem Dtiones. vre. dicunt paratam esse cesaream Mtem. ad Jaicze succursum, modo debitus honor utrique Mti. per admissionem consiliariorum suorum in senatum hujus Mtis. exhibeatur, de consiliariis jam satis responsum est.

Quod autem ad honorem illarum Mtum. pertinet, parata est fuitque semper hec Mtas. una cum dominis et omnibus aliis subditis suis Majestates illas omni honore omnique reverentia prosequi, et ipsas uti patres tutoresque charissimos et observare et colere facereque omnia quecunque ad honorem, decus et gloriam illarum Mtum. pertinere cognoverit. Quas majorem in modum rogat et obsecrat ob non admissionem consiliariorum suorum in senatum Mtis. sue ob causas predictas, non ascribant Majestatis sue voluntati, sed necessitati. Et propterea ab amore et benivolentia sua hanc Mtem. communem filium non excludant, sed solita pietate prosequi dignentur. Quod illas facturas hec Mtas. plurimum confidit. — Et ex hac ipsa fiducia plurimum rogat cesaream Mtem., ut bonum illum animum, quem concepit de succursu ipsius Jaicze non abjiciat, sed dignetur Mtas. sua auxilio fore, ut possit Mtas. sua ope illius adjuta commodius illi extrema jam pericula patienti tum peditatu, tum tormentis bellicis subvenire, de qua, nisi quam primum succurratur, actum erit; cujus amissio non in regnum solummodo Mtis. hujus, sed etiam in provinciarum et regnorum sue cesaree Mtis. et totius Christianitatis perniciem procul dubio cederet.

Quod autem Mtes. ille constituerunt convenire ad hoc, ut rebus hujus Mtis. collato consilio prospiciatur, utque de ratione generalis expeditionis, quam summus pontifex in Turcos instituit pro defensione hujus regni et totius Christianitatis invicem consulant, laudat magnopere Mtas. sua regia hoc tam bonum et tam salutare propositum Mtum. suarum agitque illis iterum gratias de cura pro rebus Mtis. sue per illas in hoc ipso conventu suscipienda. Quas et sua sponte et hortatu pontificis rogat: ut et inducias quinquennales, quas Sctas. sua inter principes christianos gratia suscipiende expeditionis generalis instituit et publicavit, approbare acceptareque et ad hanc ipsam expeditionem Mtes. sue concurrere dignentur, ut jam tandem hostes isti perfidi et truculenti a cervicibus Christianorum excutiantur et repellantur et regna christiana ab illis occupata in libertatem et in fidem Christi salvatoris nostri consursu et armis Mtum. suarum aliorumque principum catholicorum vindicentur, id quod ad incrementum et propagationem fidei sancte, nec non ad amplitudinem, pacem et securitatem totius Christianitatis cum summa Mtum. suarum laude, decore et gloria sempiterna procul dubio redundabit.

Quod autem Mtas. cesarea curaverit, ut Sermus. rex catholicus Hispaniarum, Carolus, frater et consanguineus hujus Mtis., ad societatem ordinemque aurei velleris per excellentissimum quondam Philippum, regem, genitorem suum, laudabiliter institutum, Mtem. suam acciperet et honoratissimis confratribus suis adnumeraret, agit Mti. sue cesaree maximas gratias, quod Mtas. sua in eo quoque negotio curaverit, quod huic Mti. fratri et filio suo honori et ornamento fore existimavit, quem quidem ordinem Mtas. sua regia, tum pro sue cesaree Mtis. desiderio, tum pro amore prefati Sermi. regis Caroli consanguinei sui libenter ingredietur,

MDXVIII gredietur, insigniaque ordinis suscipiet. Factura omnia, quecunque pro constitutionibus illius ordinis facere tenebitur.

De juramento autem, quod ratione hujus ordinis Mtas. sua facere debebit, refert se ad Mtem. cesaream et ipsius in ea re uti vult consilio, sperans, illam id consulturam, quod huic Mti. pro ista tenera etate sua honorificum fore arbitrabitur.

Quod reliquum est. Sacratissime cesaree et Sermi. domini regis Polonie Mtibus. uti fratribus, patribus et tutoribus charissimis omne studium suum, omnes fortunas, provincias et regna seque ipsum hec Mtas. plurimum commendat, rogans ex singulari fiducia magnopere illas Mtes., ut Mtem. suam non deserant, sed solita benivolentia, charitate pietateque prosequi atque amplecti velint et de rebus Mtis. sue non mediocriter afflictis, ut consueverunt, in hac tenella ejusdem etate curam gerere dignentur.

CCCLIX. Responsum a Cesare Maximiliano contra Bohemos, aspernantes Cesarem ipsum et Sigismundum, Polonie regem, tutores regi Hungarie Ludovico a Vladislao patre rege constitutos.

Cod. R. Quod quidam proceres queruntur egreque ferunt, Vladislaum, p. m. quondam Hungarie Bohemieque etc. regem, sine consilio illorum consensuque Ludovico filio suo, memoratorum regnorum heredi, domino ac regi jam publice declarato, exteros adhibuisse et constituisse commissarios atque tutores, regnorum preterea bonorumque suorum omnium vicarios, economos et administratores, atque ideo eam tutelam ac procurationem ratam, firmam et gratam habere non dignantur, pretexendo nescio quas regni Bohemie leges, quibus opinionem suam hanc tueri volunt etc.

Proferunt in medium has, quibus opinionem suam tueri contendunt, leges, quibus literis, quibus tabulis continentur, vix ullas proferre poterunt: hoc primum respondeant, deinde ad hoc, si cuivis procerum, equitum civiumque regni Bohemie, economos, pedagogos, vicarios, tutores et commissarios, liberis bonisque suis constituere licet, quos quisque voluerit, sive tabulis, sive testamento, inconsulto rege, domino suo, quam ob rem id quod cuivis subditorum licet, regi terre regnique domino erga proprios liberos, inconsultis irrequisitisque iis, non liceatur. Eodem accedit, si id ita fieret, ut sint subditi dominis suis liberiores, servi regibus, grex pastore. Que absurditas omnium absurditatum turpissima fedissimaque vel apud Ethnicos reputatur nedum apud Christianos. Eadem jurium legumque omnium regum, ad hec imperatorum summorumque ducum exterminatrix, imperiorum, regnorum, terrarum, urbium depopulatrix, nusquam toleranda gentium, nusquam animo equo ferenda tanquam omnis ordinis discipline ritusque ac totius administrationis publice hostis et inimica. Non succurrunt eis, qui talia opinari contra jus et fas audent, res geste antiquorum Bohemie regum historiis ac literis mandate, ubi reges eorum exteros illi regno tutores,

res, imperatores, prefectos presidesque preficiebant, quando unus Bohemie rex ducem Austrie prefecit regno Bohemie, cui omnis ordo, omnis ejusdem regni status parere coactus est, et ultro ac sponte sua paruit. MDXVIII.

Nec succurrit illud Joannis illius quondam animosissimi, fortissimi invictique Bohemie regis tabulis publicis commendatum, qui ita iturus in bellum, ducem Slesie Boleslaum regno suo prefecit imperatoremque constituit, qui in solio regie Mtis. sedens munera regis obibat universaque tanquam rex in Bohemie regno pro suo arbitratu administravit, quod tabule publice Sdislai testantur.

Preterea reges sacri imperii regibus juris dicendi summariam tribuunt potestatem, quod digesti veteris testimonio continetur. Nota Vlpiani vox est asserentis: quod principi placuit, legis habere vigorem. Quod si legis vigorem placita principis habent, que sanxerit subditis suis, quomodo principis, regis, imperatoris placita, que de heredibus liberis et bonis suis constituerit, edixerit, mandaverit vigorem legis amittent?

Unde illi, quicunque tales fuerint, qui Vladislai, regis f. m., commissioni tuteleque invictissimo summoque imperatori Romanorum, Maximiliano, Sermoque principi Sigismundo, Polonie etc. regi, per ipsum constitute contraire volunt, presumtuosi audacesque, ne dicam temerarii judicandi sunt contraque legem committere videntur.

Non legerunt illi Herculem Senece tragici, idem regi quod Jovi licere testantis. Esto, sint alique leges, quibus quidam regni Bohemie proceres commissionem, administrationem ac tutelam a rege Vladislao factam, memoratisque principibus summo Romanorum imperatori regique Polonie creditam super liberis, regnis bonisque propriis infirmare conantur, nonne auctoritas regia, que pro lege habetur, omnibus hujusmodi legibus potentior est, qua et veteres abrogare et novas ferre ac utrisque derogare potest, nisi fallax habeatur jure consultorum vulgaris illa sententia, qua dicitur: ejus esse leges solvere, cujus est eas condere. Quod si vobis ad improbitatis vestre petitiones permissu sepe memorati regis licuit priscas et antiquissimas leges a sapientissimis fortissimisque viris, majoribus vestris, prudentissime latas abrogare novasque ineptissimas ferre, quas millies castigatis semperque pejores factas ipsi recognoscitis: quam ob rem regem, vestrumque dominum non licuerit pro liberis suis quecunque illi viderentur, ac quascunque voluerit ferre? Quod subdito licuit, multo magis suo domino liceat, necesse est.

Si veteres quas ipsi obtenditis leges mutavit, vos eas priores permutastis, abrogastisque, si novas tulit vestris contrarias, quas sepenumero correxistis nec unquam reddere potuistis nisi deteriores; facessant igitur ridendi homines cum suis illis novis ignotisque opinionibus auctoritati regis sui jam vita defuncti in tutorem filii commissariorumque constitutione non derogent ineptiisque suis Rempublicam non turbent. Qui si legibus humanis persuaderi non possunt, aut ut verius dicam, nolunt, divinis saltem persuaderi sibi patiantur, furore ignorantiaque aut prorsus depositis aut parumper dilatis. Quamdiu, inquit, herus parvulus est, nihil differt a servo, cum dominus sit omnium; sed sub vicariis et economis est ad tempus usque prefinitum a patre. Nonne hec verba divine legis sunt ab illo celesti jureconsulto Paulo prolata? Videtisne iisdem in verbis vicarios commissarios tutoresque parvuli a patre non ab aliis datos? a domino non a subditis constitutos? sub iisdemque agere ad

 perfinitum

MDXVIII. prefinitum usque tempus non a subditis, sed a patre? Cur ergo vos auctoritatem emortuo jam patri in constituendis filio suo economis ac tutoribus eripere extorquereque contra humanas divinasque leges nitimini? Cur in adversas aquas nando ire pergitis frustra? Cur gigantum more, ut poëtarum fabule continent, contra Deos arma sumitis ipsumque Jovem superis detrudere regnis vestro damno tentatis? Hec est cur egre feratis administrationem hanc regni Bohemie tutelamque sui filii Ludovici bonorumque suorum vobis ab rege vestro non esse traditam; periclitatus est optimus sanctissimusque rex ac dominus vester et exploravit ingenia vestra, cognovit artem hanc gubernandorum populorum regnorumque suorum in vobis non esse. Quo adhuc ipso in rebus humanis agente manibusque vestris regni sui habenas permittente, quam male, quam turpiter regnum hoc bonaque sua regebatis? quam grandi et magno ere alieno multisque nominibus regnum hoc brevi tempore involvitiss? usuras usuris vestra ignorantia accumulantes? homagia nobilissima a regno hoc regnique corona alienantes? que majorum vestrorum sudore, sanguine armisque, multis laboribus, multis impensis, diutino tempore parta erant? ea quidam vestrum turpi parvo lucello pessundarunt? Transeo alia multa non minus mala, que temporibus christianissimorum regum, cesaris Sigismundi, ipsoque defuncto, sub regimine Ladislai regis in exemplar hinc fuerunt agitata, vosque multo magis administratione vestri regiminis commisistis in regni heredumque regni totiusque imperii perniciem et jacturam vix unquam recuperandam; quibus regia Mtas. dum adhuc viveret exactius pensiculatis, que incuria, negligentia, ignoratione sive dolo per vos regno Mtis. sue heredibusque suis et universe plebi invecta sunt; potuit secum ita rationari cogitareque: si mihi vero jam consummate perfecteque etatis proceres subditi mei, quibus bona mea privata credidi, quibus regimen gubernaculaque publica regni mei, magistratus, honores, judicia plebemque meam regendam permisi; si mihi inquam, imposuerunt, si preterea usus omnes redditusque mei regni tollentes, meque heredemque meum totumque regnum grandi ere alieno involverunt, quid gnatum meum, me defuncto impuberem maneat? Deus ipse novit, hominum vero nemo. Mihi bona universa, redditus censusque meos adhuc viventi spirantique occupantes invaserunt, illi ne fors et vitam cum regno adimant, bone Jesu, perquam metuo, quam si illi non ademerint, certe in egestate summa miseriaque vivere omni pressum gravatumque inopia cogent.

Proinde de vobis vestraque administratione rerum suarum heredisque sui desperans, gnato heredique suo melius consulere percupiens, ad exteros confugere, ad romanum videlicet imperatorem regemque Polonie, suos consanguineos, coactus, de quibus optimam spem concepit, liberos suos, regna bonaque sua administranda gubernandaque credidit atque mandavit. —

Quam ob rem vos, iis rebus cognitis, cum gubernandi tanti regni artem non didiceritis, nobis, quibus hoc congruit, quique specimen quam optimum tam in bello quam in pace administrandarum rerum summarum prebuimus, regni Bohemie bonorumque Ludovici regis gubernacula permittatis, qui et scimus et possumus propriorum regnorum nostrorum administratione periclitati et universo orbi cogniti, quibusque ea regendi tuendique ratio, tam regnorum, quam ipsius eorum heredis est a patre credita atque commissa, quam vobis neque committere neque credere ingeniis vestris permotus noluit. Nam navem agere ignarus

ignarus navis timet. Abrotanum egro non audet, nisi qui didicit dare. Et que sequuntur? MDXVIII.
Nec vestri negotii scientieque vestre est regna regere, que male regendo ferme pessundastis et perdidistis. Nostrum hoc est a cedibus, a ruinis bellisque domesticis, omnibusque malis hoc Bohemie regnum asserere, de quibus scriptum est:

Tu regere imperio populos, Romane, memento
He tibi artes erunt pacique imponere morem
Parcere subjectis et debellare superbos!

Vere nunquam Romani tantummodo, sed summus Romanorum induperator sumus. Ea propter hortamur, monemus et, si quid nostra apud vos valet auctoritas, mandamus et injungimus: abstinete ab hac pervicacia nec prehensate, quod apprehendere nequaquam potestis. Si regis et domini vestri viventis mandatis paruistis, defuncti quoque jussis parere vos equum est, ne crimine lese Mtis. rei convincamini meritoque in vos divina humanaque censura acerbius animadvertat.

Discite Jovem revereri et jussa capessere divum
Discite justitiam moniti et non temnere divos.

Nolite bona regis vestri (arces et reliquas possessiones regias ac redditus dico) alienare, nolite distrahere, quas ere vestro non potestis emere, immo, quod minus est, vix alienatas et obligatas redimere potestis. Nam iis conciliis generalibus post mortem f. m. Vladislai, regis, in arce pragensi absque et sine tutorum consensu et voluntate prehabitis, decrevisse accepimus, non arces modo et regias possessiones alienare distrahereque, sed census etiam redditusque regios permisisse ob es alienum creditoribus jure obtento, aut post dictas sententias obtinere occupareque ipsos in iis obtentis defendere contra omnes, ut talia omnia in se latius demonstrant, sunt publica et proclamata. Ita ut Ludovicus, rex vester, quod non ipse neque pater Vladislaus, sed que vos rapuistis, exolveret.

Veh Jupiter omnipotens, cur nunc tua fulmina cessant?

Recte Salomon igitur: Et enim, inquit, quia contra malos non statim profertur sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.

Reliqua vero controversiarum, discordiarum, absurditatum, abusionum, que in regno Bohemie retroactis temporibus seminate sunt, et quem et sub quibus conditionibus ac modis finem habent, sine predictorum tutorum consensu dimitto. Sed unum iis obiter addendum est, quod ab optimo quoque iniquissimo feratur animo oportet, quod omnibus illis concionibus vestris nulla cesaree Mtis. et Sermi. regis Polonie electorum suorum tutorem, neque etiam Ludovici, regis, ulla consiliariorum suorum mentio est habita. Nullis de rebus, nullis de negotiis, que agitata sunt, ut referatur ad suas Mtes. tractatum est, universa pro suo ipsorum arbitrio tanquam ipsi regiam habeant auctoritatem sunt agitata. Et, quod minus ferendum est, suggestum regie Mtis occupare contendunt. Quomodo quondam apud priscos affectasse ferunt regnum celestum Gigantes, ut sacri continent canones et fabule poëtarum, qui omnes et propositum nequitie ac malignitatis sue non sunt assecuti et ausuum conatuumque suorum occeptas in hac luce apud inferos luunt penas eternumque luunt. Que ne vobis eveniant supplicia, etiam atque etiam precamur.

CCCLX. SIGISM.

CCCLX. Sigismundus, Rex Polonie, Thome, Cardinali Strigoniensi, Patriarche Constantinopolitano.

MDXVIII. Cod. R. Rme. in Christo pater et dne. amice sincere nobis dilecte. Post reditum oratorum nostrorum ex conventu preterito regni istius Ungarie, hactenus nihil audivimus de statu et successibus Sermi. dni. regis Ludovici, charissimi nepotis nostri, et ejus ipsius regni Ungarie, ex vago duntaxat rumore accepimus arcem Jezioro esse per Turcas interceptam, que res, utcumque incerta, nos magna molestia et dolore affecit. Rogamusque vram. rmam. Dtionem., ut si rumor iste verus erat, ipsa ut regni istius princeps et consiliarius incumbat, et aliorum studia provocet ad providendum bono statui dicti Sermi. dni. regis Ludovici et reipublice vestre, ne — quod dnus. deus avertat, — et arces alie et demum totum regnum in discrimen veniat, unde etiam tota respublica christiana laborare cogeretur, quod vram. rmam. Dtionem. pro ejus virtute et consilio facturam confidimus. Cui ut amico et tanquam patri nostro charissimo manifestum facimus Sermam. conjugem nostram auspice deo concepisse et fetum in utero commodum vivere, quam spem et solatium nostrum non ambigimus vre. rme. Dtioni. commune nobiscum futurum.

Ceterum his diebus preteritis dux Moscovie intelligens nos longius abesse, miserat ingentes copias ad oppugnandas arces nostras finitimas in Lithuania, quarum lectiorem partem milites nostri, quos pro presidiis illic collocavimus, profligarunt et dnos. vojevodas multosque alios insignes partim occiderunt, partim captivos egerunt, ita ut universi accepto gravi dispendio et intellecto capitaneo nostro cum gentibus contra se venire, turpiter aufugerint.

Tartari etiam, qui per id tempus terram nostram et Valachiam incursabant, sunt tam illic quam apud nos aliquotiens pulsi et profligati. Commendamus nos et Sermum. nepotem nostrum vre. rme. Dtioni., que sit incolumis et felix. Datum Cracovie Calendis Septembris.

CCCLXI. Sigismundus, Rex Polonie, Regi Galliarum.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Serme. et excellentissime princeps et dne. amice et frater charissime etc. Intercepte fuerunt estate preterita quedam naves cum mercibus nonnullorum civium gedanensium, subditorum nostrorum, per eos, qui se gerebant pro militibus vre. Mtis. eamque predam in regnum ejus retulerunt, sed et quosdam liberos juvenes et procuratores, quorum hec merces erant, receperant tenentesque illos in carcere non modico tempore, demum fortasse obstrictos fide se rursus sistendi dimiserunt. — Nos, Serme. rex, semper animum eum gessimus erga Mtem. vram, quod illi in omnibus gratificari studuimus subditosque illius, quoscunque mercimonia exercere contigit in locis et dominiis nostris, omni favore sumus prosecuti. Sed nec aliquid commune nobis est aut subditis nostris cum*

cum ullis hostibus vre. Mtis., cujus rei pretextu fortasse hi subditi nostri spoliati et in carcerem acti fuerunt. Igitur plurimum rogamus Mtem. vram., ut pro nostra in se propensione proque justitia ipsa faciat et merces ipsas restitui subditis nostris et ipsos qui capti erant, si qua sponsione obstricti sunt, libere dimitti; quandoquidem si cui subdito Mtis. vre. hoc in regno nostro contingeret, id nullo modo impunitum relinqueremus, id quod etiam Mtem. vram. pro ejus virtute et rei decentia facturam et nobis super eodem negotio responsum quod optamus daturam non ambigimus. Cujus favori nos ex corde commendamus et quam valere felicissimam desideramus. MDXVIII.

CCCLXII. Legatio a Sigismundo primo, Rege Polonie, ad Conventum Augustensem et ad Cesarem Maximilianum: data Erasmo Ciolek, Epo. Plocensi et Bogussio, Thesaurario ducatus Lithuanie.

Quod Mtas. regia intellecto consilio et decreto sanctissimi domini et cesaree Mtis. ac aliorum principum christianorum de expeditione generali contra Turcas facienda summopere letata est gratiasque egit immortali deo, quod hac tandem etate sua et qua id maxime ea res postulare videtur hoc salutare institutum ejus divina benignitas dignata est inspirare. Nam Mtas. sua regia, ut ea, que continue humeris suis tantam Infidelium molem sustinet et ex prosperis successibus ac summa libidine omnia occupandi imperatoris Turcarum metitur et prospicit, rempublicam christianam esse nunc majori in discrimine quam unquam alias constitutam, nihil magis optavit, quam ipsam generalem expeditionem a tot jam annis nequidquam tentatam ad effectum et ordinem bonum perductum iri. Cod. R.

Verum quod et summus pontifex et ces. Mtas. optarunt, ut jam aliquod initium belli inferendi Turco fieret interim dum in Asia sit occupatus, Mtas. sua regia id pro se facere tam subito non potest, donec tantis bellis cum Tartaris, Scismaticis et aliis vicinis hostibus domi adeo distinetur, a quibus quando se paulo pacare poterit, cumque intelliget: alios reges et principes paratos esse et ad firmitatem aliquam et bonum ordinem ipsam generalem expeditionem tendere et contributiones pro illa designatas ad effectum aliquem procedere, alacri animo munus suum cum aliis christianis principibus ita obibit, ut nulli posterioris foret, nec pro se quidquam opere, studii et impendiorum pretermittet, dummodo saluti christiane cum effectu aliquo consulatur, pro qua et vires et sanguinem proprium parata est semper effundere.

Ac placere quidem ejus Mti. regie modum per summum pontificem et cesaream Celsitudinem aliorumque regum et principum oratores de contributionibus faciendis et colligendo exercitu aliisque ad eam rem processibus institutum. Verum nec de eo quidquam Mtem. suam cum consiliariis et subditis suis decernere et constituere potuisse inter domesticas difficultates et tumultum bellicum; quibus tamen aliqua ex parte compositis et generali expeditione procendente Mtem. suam regiam pariter modum ipsum de pecunia colligenda et exercitu scribendo statuturam in regno et dominiis suis, et id, quod opus videbitur et

MDXVIII. et quod etiam vires ejus Mtis. et regni ac dominiorum suorum ferre poterunt ad tam sanctum et diu desideratum opus perficiendum nihil pretermittetur aut negligetur.

In quibus quidem difficultatibus cum Mtas. sua regia jam pridem habet cognitum cesaree Celsitudinis studium erga se et statum suum pacandum, agere ejus Mtem. illius Celsitudini summas et immortales gratias de tanto affectu et benivolentia fraterna velleque vicissim ejus Mtem. omni suo studio, viribus et facultate eniti, ut pro quacnnque occasione et quibuscunque modis illius Celsitudini vicissim gratificari et officium fraternum prestare possit.

De nunciis cesaree Mtis. Italis, quos in Moscoviam misit, dicendum: illos fuisse apud Mtem. regiam et instructionem illis de tractanda pace vel induciis a Mte. sua datam, que causa cesaree Mtis. et reipublice christiane libenter conditiones pacis sibi honestas et ferendas est acceptura.

PARS LEGATIONIS DE PRUSSIA.

Quod dominus Sigismundus de Erberstain, orator ces. Mtis., cum ad Moscoviam proficiscebatur, retulerat Mti. regie nomine illius Celsitudinis et proposuerat nonnullas conditiones et modos componende differentie inter Mtem. ejus regiam et magistrum Prussie ac ejus ordinem, quas cum ejus Mtas. retulit ad consilium Senatus et communis nobilitatis regni sui, nequaquam consentire voluerunt ad aliquam earundem conditionum acceptandam, ut potius velint extrema queque subire quam aliquid sibi eorum adimi, que a tanto tempore totque bellis et impendiis in suam potestem vindicarunt et pacifice obtinent.

Preterea quod illius ces. Celsitudo perquiri a Mte. regia per ipsum dnum. Sigismundum fecit, utrum ejus Mtas. haberet antique pacis et concordie cum magistro Prussie confirmationem sedis apostolice et imperatoris aut regis Romanorum et magistrorum Livonie, Germanie et Italie? referendum: Mtem. suam regiam ita in actibus et juribus suis comperisse, quod tantum justitie et firmitudnis habet ad terras suas Prussie, quas tenet, quantum opus exigere videtur.

Quod etiam cesarea Celsitudo proposuerat Mti. regie per dominum Fridericum de Strassaw, oratorem suum, et deinde per Illrem. dnum Casimirum, marchionem brandeburgensem, ut de componenda re ipsa pruthenica compromissum in ejus Celsitudinem faceret, id cum pariter Mtas. sua regia ad consilium et subditos suos retulit, et illi memoria repetentes, quas ante concordiam factam tales compromissiones difficultates inferre et quam majores motus semper excitare solebant, idque etiam perpendentes, quod in eadem re pruthenica sit in conventu posoniensi conventum et constitutum, ut videlicet de novis aliquibus differentiis exortis cesarea Mtas. et Sermus. rex Hungarie cum rmis. dnis. cardinalibus Strigoniensi et Gurcensi. cognoscerent, consentire nullo modo voluerunt, ut rem per solennem concordiam dudum actam agerent et refricarent; cum tamen ejus Mtas. cum cesarea Celsitudine mutuo convenerit, ita ut id summopere optat et intelligit rei christiane expedire, magisterque Prussie ibidem aderit, referendum: quod Mtas. sua libenter et non gravate justitiam suam ostendet, et quod nihil aliud ab illo petit, quam id, quod ei juste debetur, declarabit.

Referendum

Referendum insuper: Mtem. suam nunquam discordiam et controversiam aliquam sua occasione inire voluisse cum dno. magistro et ordine de Prussia, nec quidquam ab illo requisisse quam id, quod Mti. sue ratione terrarum, quas de benignitate Mtis. sue et ejus predecessorum possidet, facere tenetur, verum illum declinantem debitum suum prestare et cupientem pacem et concordiam dudum factam infringere variis et indignis modis presefferre et declarare infensum et hostilem animum erga Mtem. suam, premendo assidue subditos Mtis. sue, tum predonum licentia et excursionibus ex terra sua, tum vectigalibus insolitis et vadimoniis, carceribus ac spoliis multiplicibus, quibus homines et subditi Mtis. sue ibidem in ejus terra afficiuntur. MDXVIII.

Preterea facto federe et conspiratione contra Mtem. suam cum Scismatico duce Moscorum non minus sancte romane ecclesie infenso quam aliquo alio Infideli, et occasionem inde querendo tam illi gratificandi, quam ejus Mtem. adversus se provocandi, intelligens suas vires ad inferendum ultro bellum non sufficere, apparatus omnes bellicos facere, delectus habere, militem mercenarium ex vicinis dominiis palam convocare, implere querimoniis universum orbem, rejiciendo ea in Mtem. suam regiam et ejus subditos, que ipsemet facit, ut inprimis cesaream Mtem., demum alios omnes principes christianos adversus Mtem. suam commoveret et subsidium ab illis obtineret.

Que omnia Mtem. suam Sermam. cum ingenti subditorum suorum gravitate tulisse et dissimulasse causa reipublice christiane, et ferre usque huc, licet egerrime. Et quod ipse magister ita se erga Mtem. suam, tot bellis cum Infidelibus et Scismaticis occupatam, tanquam de occasione gerit, distrahendo et impediendo Mtem. suam, quam pro necessitudine sanguinis, pro debito et professione sua adjuvare omnibus viribus deberet.

De capitaneatu generalis expeditionis quia et summus pontifex et cesarea Mtas. id munus detulerunt Mti. regie et ejus Mtas. significavit jam illius cesaree Mti.: si in hac re consilio ipsius uti velle nec quidquam facere illa inconsulta, referendum illius Mti.: quod si ei munus ipsum subeundum videretur, subituram libenter Mtem. regiam, sed non aliter nisi simul cum illius cesarea Mte., utpote a qua se nulla in re sejungere vellet neque unquam vult, et quam in re bellica omnium longe peritissimam non ignorat.

Postremo: quod illius ces. Mtas. significaverat sacre ejus Mti. regie per Illrem. dnum. Casimirum, marchionem brandeburgensem, et dominum Laurentium Saurer, vicedominum Austrie, consiliarium suum: qualiter omne studium suum adhibuerit, quo Sermus. dominus rex Ludovicus in regem Romanorum eligeretur, sed plane intelligat, quod eam rem perducere ad effectum non posset, ambiente id et partes aliquas habente domino rege Francorum, et qualiter decreverit ejus cesarea Mtas., quo ipsum regem Francorum ab eo conatu deturbaret, opponere illi nepotem suum, Sermum. dnum. Hispanie regem, idque ut commodius efficere posset postulavit a Mte. regia, quo ipsa nuncios suos cum plena potestate et secreto suo sigillo mitteret ad conventum generalem Augustensem ad prestandum suffragium seu votum nomine Sermi. regis Ludovici in electione romani regis, ut tutor illius Mtis. et decretum obsignandum, referendum: quod Mtas. regia quemadmodum in omnibus aliis soleat ita et in hac re satisfacere et gratificari cupiens illius Celsitudini, miserit vras. Dtiones. ad eundem conventum augustensem cum plena facultate, sigillo,

MDXVIII. gillo, credentiis ac aliis omnibus, que necessaria sunt visa, quo juxta instructionem illius Celsitudinis possent singula pro illius voto perficere.

APUD SUMMUM PONTIFICEM
ET SEDEM APOSTOLICAM AGENDA.

De expeditione generali cum prefatione qualiter ad eam sit Mtas. regia per summum pontificem crebris nunciis et literis cohortata ita referendum erit summo pontifici et Mtem. regiam ejusque studium commendandum, ut est nuncio illius sancto fratri Nicolao Schomberg et cesaree Mti. responsum, ne in aliquo res discrepare videretur.

Item agendum pro denario S. Petri ad reficiendas arces finitimas et jubileo soli Mti. regie exclusa ecclesia Gnesnensi ad eundem usum concedendo.

Agendum etiam cum illius Scte.: ut et impetrabiles essent preces Mtis. sue apud ejus Sctem. et ea que impetrat, ut sint firma et solida, ne equa ratio haberi videatur regis et subditi. Et proinde, ut ejus Sctas. nominationes Mtis. sue concessas et postea revocatas revalidaret et alias pro decem personis ad metropolitanam gnesnensem et cathedrales cracoviensem, vladislaviensem, posnaniensem, plocensem ecclesias gratiose concederet.

Item seorsum agendum pro gratia seu reservatione dignitatis seu canonicatus in cracoviensi ecclesia, qui vel que primum vacaverit etiam in mense ordinarii pro dno. Joanne Gorski, secretario Mtis. regie.

CCCLXIII. Facultas data Erasmo, Epo. Plocensi, nomine Ludovici, Regis Hungarie etc., ad Conventum Imperii.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

Manifestum facimus per presentes universis. Quia cum potestas et dignitas sacri romani imperii primum apud infideles et alias nationes constituta, deinde divina providentia disponente ad ordinem et electionem germanice nationis devenit, cumque respublica christiana in dies magis tam a Fidelibus, quam etiam Infidelibus infestetur et labefit, Sermo. ac excellentissimo principe dno. Maximiliano, divina favente clementia electo Romanorum imperatore et archiduce Austrie, fratre et consanguineo nostro charissimo in bona et felici sua etate jam ingravescente, ut perdifficile fiat soli ejus Mti. tantis rerum momentis et actionibus preesse atque inde necessitas postulet, nunc in ejus Mtis. vita personam idoneam eligere, que tantum ipsius s. rom. imperii onus adjuvaret ob eamque rem illius sacra Mtas. cesarea omnesque imperii principes in Augusta una convenerunt, ut in providenda et constituenda tam ardua et necessaria re consulatur et felici auspicio concludatur, nos ut patruus et tutor Sermi. principis, dni. Ludovici, regis Hungarie et Bohemie, fratris et nepotis nostri charissimi, ejus nomine et loco, tanquam s. rom. imperii princeps elector, dedimus et tenore presentium damus omnimodam et plenam facultatem nostram rev. in Christo patri, dno. Erasmo, epo. plocensi etc. consiliariis nostris sincere nobis dilectis, ut ipsi loco nostro pariterque cum Sermo. dno. Maximiliano imperatore, ut una nobiscum dicti dni. regis Ludovici tutore,

tutore, illius Serenitatis nomine simul cum aliis sacri imperii principibus electoribus juxta con- MDXVIII.
suetudinem et ordinationem ipsius sacri imperii regem Romanorum eligere et suscipere ac super decretum titulum et sigillum nostrum erigere et apponere debeant et possint, promittentes verbo nostro regio, quod quidquid in his egerint, tractaverint et concluserint, id nos non secus ratum et firmum habituros ac si per nos ipsos actum, tractatum et conclusum fuerit, et si quid amplioris facultatis quam presentibus continetur adhuc egerent, hanc illis omnem hisce literis nostris concedimus. In quarum testimonium etc.

CCCLXIV. Plenipotentia ad Carolum in regem Romanorum eligendum.

Sigismundus primus, Rex Polonie.

Manifestum facimus per presentes universis. — Quia cum potestas et dignitas sacri romani Cod. R.
imperii primum apud infideles et alias nationes constituta, deinde divina providentia disponente ad ordinem et electionem germanice nationis devenit, cumque respublica christiana in dies magis tam a fidelibus quam etiam infidelibus infestetur et labescit, Sermo. et excellentissimo principe domino dno. Maximiliano divina favente clementia electo Romanorum imperatore et archiduce Austrie, fratre et consanguineo nostro charissimo in bona et felici sua etate jam ingravescente ut perdifficile fiat ejus Mti. tantis rerum momentis et actioninibus preesse atque inde necessitas postulet nunc in ejus Mtis. vita personam idoneam eligere, que tantum ipsius sacri romani imperii onus ferre adjuvaret, ob eamque rem illius sacra Mtas. cesarea omnesque imperii principes in Augusta una convenerunt, ut in providenda et constituenda tam ardua et necessaria re consulatur et felici auspicio concludatur, Nos ut patruus tutor Sermi. principis dni. Ludovici, Ungarie et Bohemie etc. regis, fratris et nepotis nostri charissimi, ejus nomine et loco tanquam sacri imperii princeps elector dedimus et tenore presentium damus omnimodam et plenam facultatem nostram reverendo in Christo patri dno. Erasmo, epo. plocensi etc., Raphaeli de Lesszno, castellano landensi, et Bogussio, marschalco Mg. ducatus Lithuanie, consiliariis nostris sincere nobis dilectis: ut ipsi loco nostro pariter cum Sermo. dno. Maximiliano imperatore uti una nobiscum dicti domini regis Ludovici tutore illius Sertis. nomine simul cum aliis sacri imperii principibus electoribus juxta consuetudinem et ordinationem ipsius sacri imperii regem Romanorum eligere et suscipere ac super decretum titulum et sigillum nostrum erigere et apponere debeant et possint: promittentes verbo nostro regio, quod quidquid in his egerint, tractaverint et concluserint, id nos non secus ratum et firmum habituros ac si per nos ipsos actum, tractatum et conclusum fuerit, et si quid amplioris facultatis quam presentibus continetur adhuc egerent, hanc illis omnem hisce literis nostris concedimus. In quorum testimonium etc. Datum XVIII Julii.

CCCLXV. SIGISM.

CCCLXV. Sigismundus, Rex Polonie, Maximiliano, Cesari.

MDXVIII. Cod. R. Serme. et excellentissime princeps. Intelligentes vram. Mtem. conventum generalem in Augusta pro statu sacri romani imperii et totius reipublice christiane habituram, mittimus istuc ad illam rev. in Christo patrem dominum Erasmum, epum. plocensem, et generosum Raphaelem de Lesszno, cast. landensem, et Boguslaum, marsalcum Mg. ducatus nostri Lithuanie, consiliarios nostros sincere nobis dilectos. Quibus commisimus nonnulla non vulgaria negotia tractare et agere cum vra. Celsitudine, quam plurimum rogamus, ut et fidem plenam illis prebere et eos benigne expedire dignetur. Valeatque felicissime et nos quod facit favore et benivolentia fraterna prosequatur et commendatos habeat.

CCCLXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Electoribus Imperii.

Cod. R. Rme. in Christo pater. Mittentes istuc ad conventum generalem Augustensem presentes oratores nostros, commisimus illis nonnulla nostro nomine cum vestra rma. Pte. singulariter conferre, postulamusque ab illa: quo et fidem illis adhibere velit, ut confidentia nostra de illa postulare videbitur. Et bene valeat nosque diligat. Datum.

CCCLXVII. Avisamentum ad expeditionem contra Turcos.

Cod. R. Videretur quod principes christiani avisarentur, quod adversarius tyrannus Turcarum habet in redditibus ordinariis XII milliones ducatorum quolibet anno, et hanc omnem summam et majorem omni anno conabitur expendere ad explendum votum suum de subjicienda sibi Italia et Vngaria et duabus moscheis Rome et Bude consecrandis et tandem de destruendo et extinguendo nomine christiano per totum orbem.

Item: quod in omni expeditione sua a paucis annis citra videlicet quam incepit contra regem Persarum, vel quam terminavit contra duos soldanos, quos devicit, habuit in exercitu suo fere CC milia hominum armatorum inter equestres et pedestres copias et magnam abundantiam tormentorum.

Item: quod nunc apud Constantinopolim describit magnum numerum armigerorum et classem trecentarum triremium subtilium et grossarum et infinitum numerum aliorum navigiorum et tormentorum.

Pro reparatione tanti mali, quod deus a Christianis avertat, videretur necessarium, christianos principes similiter cogitare celeriter de armandis militibus ad internecionem inimicorum Christi. Et quia in tribus expeditionibus principalibus a quadringentis annis citra per Christianos

stianos contra Infideles habitis in recuperatione terre sancte uunquam minor numerus, quam ducentorum milium armatorum fuit collectus contra Infideles: videlicet sub Vrbano II anno domini MLXXXV. CCC milia armigerorum et ultra; anno vero domini MCXLIIII. similis multitudo ducentorum milium congregata fuit — ideo nunc quando tyranus Turcarum alterius potentie est, quam illi Saraceni fuerant, et unita in eo est universa potentia tantorum imperatorum et regum, videretur, quod aliter Christiani unirentur, alias actum esset, de eis. Et ad minus videretur consultum: quod ex diversis principatibus christianis cogerentur centum nonaginta milia armigerorum electorum: ne videremur velle tentare deum, si contra tam armatum hostem aliter dimicare conaremur. Et ex istis unus exercitus terrestris LX milium procederet per septemtrionem i. e. Vngariam recta via Constantinopolim. In quo exercitu essent pedites quinquaginta milia. In ordinantia alia pars exercitus equestris in cathafractis et aliis levis armature militibus et maxima copia tormentorum, qui essent Germani, lancesquineti: Ungari, Bohemi, Poloni, Dachi et ordines Theutonicorum. Et iste exercitus duceretur ab imperatore et rege Polonie ac solveretur ex quinque impositionibus inferius assignandis in his ipsis provinciis. MDXVIII.

Alius exercitus terrestris per Forum Julium aut viam aliam faciliorem cum securitate aliorum Christianorum: qui exercitus esset aliorum sexaginta milium armatorum similiter pedestrium et equestrium. Et in hoc essent Galli, Scoti, Suizeri, Lotoringi, Sabaudienses, Veneti, Florentini, Januenses, Senenses, Lucenses, Ferrarienses, Mantuani, Montiferrati et Salutiani, et solverent etiam ex ipsis impositionibus, que in ipsis provinciis exigerentur.

Tertius exercitus aliorum sexaginta milium hominum esset in classe maritima multarum navium magnarum et parvarum et ad minus sexaginta triremium, que classis remanens armata in mari cum viginti milium hominibus posset exponere in terra quotiens voluerit quinquaginta milium homines aut XI milium et aliquos paucos equos pro armigeris principalibus et pro ducendis tormentis per terram, quando videretur necessarium in terra ad confligendum vel obsidendum. Et ipsa classis posset traducere sufficientem commeatum victualium. Qui exercitus maritimus cogeretur ex Hispanis, Anglicis, Portugallensibus, Neapolitanis, Siculis, Flandrensibus. Et huic classi sanctissimi dni. nostri classis et alie omnes conjungi possent, et posset ire recta via ad Brundusium et inde Dirachium et Aploniam, ut ista loca et vicina caperet primum, et inde si videretur consultum expectaret ibi vel prope alium exercitum Christianorum, venientem per Forum Julium. Et si esset rumor, quod hostis esset propinquus et forte conjungerent se isti exercitus vel pars illorum, que sufficeret, ut a principio hostem terrerent et positum in fuga facile dissiparent; et si non esset necesse, classis ipsa cum universo suo exercitu procederet ad Peloponnesum, et eo capto, si videretur, iret deinde ad Euboeam dictam Nigropontum et ad sinum thessalonicensem, ut ibi iterum, si esset consultum et talis exercitus Turcarum appareret, expectaret exercitum terrestrem occidentalem, vel melius recta via proficisceretur Constantinopolim, aut posset ire recta via ad Hierusalem aut Alexandriam, prout de communi consilio sancte fraternitatis et ordinatione sctmi. domini nostri decerneretur.

Omnia tamen, que isto triennio induciarum et belli per dictos tres exercitus caperentur, servarentur pro indiviso pro tota sancta fraternitate et in fine belli constitutis ex nunc judicibus

MDXVIII. cibus dicte fraternitatis, qui illa distribuerent, adjudicarentur, prout magis de jure et equitate et pro bono Christianitatis videretur expedire.

Item capitaneis istorum exercituum liceret tractare cum populis et capitaneis adversariis ad rebellionem, et concordare, ut facilius Turcas desererent.

Quinque autem impositiones pro istis tribus exercitibus juxta numerum vulnerum et plagarum Christi principalium, que debent per annum tolerari a Christianis pro honore nominis Christi videntur exigende:

Prima, quod Sctmus. dnus. noster et imperator ac omnes reges ac principes et communitates non recognoscentes superiorem in temporalibus, i. e. ad minus qui obedientiam solenniter consueverunt dare Sctmo. dno. nostro, quia eorum est prima et immediata cura Christianitatis et potissima utilitas hujus belli eis proveniret, impendere debeant partem quintam suorum reddituum i. e. duas decimas pro uno anno in pecunia vel gentibus solutis et obedientibus capitaneis assignandis.

Secunda: quod similiter cardinales et omnes prelati ac universi ecclesiastici seculares sive regulares impendant similiter quintam partem suorum redditum i. e. duas decimas pro uno anno.

Tertia: quod omnes dni. alii seculares et communitates et quicunque alii recognoscentes superiorem temporalem redditus certos habentes, qui ad minus ultra centum ducatos in redditibus haberent, impendant unam vigesimam partem i. e. mediam decimam suorum reddituum in pecunia vel in gentibus.

Quarta: quod in universo populo minuto poneretur impositio unius quatreni in venditionibus per libram in carnibus, piscibus, vino, oleo, sale et aliis, que minutim venderentur, et pariformiter in pannis et serico et aliis rebus secundum proportionem suam, vel si magis placeret, per focularia, quod omnes sexaginta foci solverent impensam unius militis pedestris continui h. e. sexaginta vel quinquaginta ducatorum in anno.

Quinta: quod universalis cruciata per universam Europam cum plenissima indulgentia bene taxata predicetur et exigatur ac bene omnia fideliter conserventur et dispensentur secure.

Principes autem, qui non recognoscent in temporalibus superiorem in effectu, et qui solent pape solennem exhibere obedientiam et taxantur ad unam quintam reddituum pro anno, sunt XXIII videlicet:

Papa	Dux Sabaudie
Imperator	Domini Florentini
Rex Francie	Dux Ferrarie
Rex Hispanie	Dux Lotaringie
Rex Anglie	Marchio Mantuanus
Rex Portugalie	Domini Senenses
Rex Vngarie	Domini Januenses
Rex Polonie	Domini Lucenses
Rex Scotie	Marchio Montis ferrati
Rex Dacie	Marchio Salutiarum
Dux Venetorum	Domini Rhodienses
	Domini Ragusei.

Ista

Ista ergo prima impositio quinte partis reddituum in principibus non recognoscentibus superiorem in temporalibus creditur ascendere ad tres miliones ducatorum et ultra. MDXVIII.

Item secunda impositio quinte partis reddituum Cleri pro uno anno creditur ascendere tantundem.

Item tertia impositio i. e. vigesima omnium secularium, habentium redditus super centum ducatos, creditur valere tantundem et amplius.

Item quarta impositio unius quatreni per libram in minutis venditionibus, vel solutio unius peditis pro sexaginta focularibus erit similiter valoris plus quam trium milionum.

Item quinta impositio sancte cruciate erit valoris duorum milionum et ultra bene exacta et servata.

Exitus autem et impensa pro tribus exercitibus predictis contra Turcas videtur posse ascendere pro uno anno ad septem miliones ducatorum, ita ut cuilibet de tribus exercitibus dentur duo miliones et trecenti triginta quinque ducati.

Et pro secura exactione ac distributione istarum impositionum videretur: quod in qualibet provincia eligerentur quinque principales persone, una pro parte sctmi. domini nostri, alia pro rege vel domino provincie, alia pro clero, alia pro nobilibus, alia pro populo minuto, qui exigerent et conservarent ac distribuerent hec que imponuntur in quinque capsis ferreis bene custoditis in qualibet provincia, quarum quelibet haberet nomen impositionis sue et quelibet quinque claves, retinendas per hujusmodi electas personas et communibus impensis thesaurarii et computatores ac scriptores haberentur.

Item: quod ex nunc fieret una fraternitas principum non recognoscentium superiorem, que diceretur fraternitas sancte cruciate, et isti mitterent oratores suos ad Sctmum. dominum nostrum, vel mitterent mandata ad oratores jam existentes in curia sue Beatitudinis, ut conformarent inducias quinquennales Sctmi. dni. nostri et bellum triennale contra Turcas indicere promitterent in dominiis suis, ac impositiones et alias conditiones nomine suorum principum admitterent, et de divisione terrarum haberent mandatum ad constituendum judices vel commissarios ad divisionem post triennium recuperationis, et daretur ordo scribendi et respondendi super hac causa sancte cruciate cum diligentia per tabellarios ad hoc paratos. Daretur quoque modus avisandi regem Persarum et Ethiopum ad hoc, ut uno tempore possint ipsi movere bellum ad diversionem Turcarum, ut bellum universum cum facilitate transiret, sub quo omnis Machumetana secta brevi succumberet.

Et ista ponuntur pro quodam brevi memoriali, que omnia remittuntur summe prudentie Sctmi. dni. nostri, que a Deo opt. max. instruetur et dirigetur.

Cesar est paratus quantum in se est expeditionem adjuvare, in ea perseverare, superare, occumbere et personaliter via danubiana in hostes proficisci quantis unquam viribus copiis et tormentis poterit.

Et propterea in proxima dieta augustana conabitur, quo ad pecunias et alia ea exequantur, que in consultationibus hinc inde transmissis inter Sctmum. dnum. nostrum et suam Mtem. videntur esse deliberata, aut que ad bellum inter Turcas necessaria sibi occurrent; et ad hoc laborabit toto presenti anno.

Ita ut in futuro aut in isto primo opportuno tempore exercitus per Germaniam conscribendus,

MDXVIII. dus, adjunctis his copiis, que ex provinciis patrimonialibus cesaris absque ulla exceptione juxta earum ratam et pecunias colligentur.

Dummodo tria concurrant. Primum: quod Mti. sue constet literis aut oratorum relationibus, reges Francie et Hispanie suo quemque itinere et modo proficisci, aliosque principaliores expeditionem hanc pro rata adjuvare velle. Deinde, quod Mtas. sua prehabeat honorabilem cum Venetis super pace aut treuga conclusionem et postremo, quod res pecuniarie in dieta augustana aut alibi hoc anno ut sperat transigetur.

Quod postremum tametsi non succederet, tamen Mtas. sua quo ad provincias patrimoniales predictas et pecunias ex aliquibus aliarum Germanie patriarum tunc collectas, est parata ut supra ad expeditionem venire, dummodo de predictis regibus sibi constiterit, ut est dictum.

Nam de aliis Vngarie et Polonie sibi persuadet, illos in hac re nullam esse moram causaturos, dummodo Polonie rex non impediatur bello moscitico; nam quoad simultates pruthenicas bene videtur induciis pontificalibus esse provisum.

Eisdem autem et aliis regibus hoc suum propositum est quam primum declarandum, ut et ipsi juxta pecunias et vires ex eorum regnis colligendas se in predictum tempus ad hanc expeditionem parare possint et secum quisque conjuncto aut parum distanti itinere in hostes proficisci.

Nec Mtas. sua de pecuniis pro expeditione colligendis quidquam directe vel indirecte in proprios aut alios a tali expeditione usus convertet, desiderans vehementer etiam alios ejusdem esse propositi et voluntatis.

Inducias probat, dummodo expeditio fiat. Sed quoad Venetos expectandum sibi dicit regum Gallie et Hispanie responsum, ad quos hanc causam remisit.

CCCLXVIII. Responsum a Ludovico, Rege Vngarie, datum Nicolao Szombergo, Monacho, Leonis X., Pape Nuncio.

Cod. R. Inprimis regia Mtas. gratias agit Sctmo. domino nostro, quod curaverit expeditionem suscipi contra Turcas, que res sicuti Scti. sue honorem et gloriam immortalem ita toti Christianitati incrementum, securitatem et pacem est allatura.

Inducias quinquennales, quas Sctas. sua instituit inter principes christianos, regia Mtas. et acceptat et approbat, et licet cum nemine christiano principe bellum habeat, tamen etiam si haberet libenter has inducias acceptaret.

Scribet autem cesaree Mti. prout Sctas. sua optavit, ut ipsa quoque hujusmodi inducias et probet et acceptet.

Supplicationes pro instituto pontificis jam decrevit.

Expeditionem libenter suscipiet contra Infideles et eo quidem alacrius, quo magis ab illis impetitur, expeditionem dico generalem. Nam sua Mtas. nunquam est etiam alioquin sine expeditione particulari et nunquam quiescet, cum cogatur continuos hostium insultus quotidianis bellis propulsare. Quantopere autem cupiat hanc expeditionem generalem, manifestum

festum est argumentum, quod maluerit perpeti omnia incommoda regnorum suorum, que con- MDXVIII. finibus suis absque intermissione inferuntur, quam ut pacem cum Turca iniret bonis licet conditionisbus oblatam. Cujus oratorem, qui ejus rei gratia venerat, votis frustratum propediem est remissura.

De transitu et via principum Mtas. regia non potest tam cito resolvere se et respondere sue Scti.: primo propter incertam anni presentis fertilitatem et cum non intelligat, quanta annone sit copia: deinde cum nesciat, qui principes et quanto bellatorum numero per regnum Mtis. sue sint transituri, preterea cum nondum satis intelligat, qualem sit habitura de ejusmodi transitu ex parte principum securitatem: postremo, quod omnium maximum est: quod non soleat Mtas. regia de rebus tam arduis sine totius regni sui consensu quidquam decernere. Videbit itaque qualis et quanta erit annona, experietur a Sctmo. domino nostro et de numero gentium illorum principum, qui hac ituri sunt, et de securitate Mtis. sue, consultisque regnicolis suis, Scti. sue per suum nuncium respondebit de hac re. Non dubitat autem, regnicolas suos ad ea, que honesta queque possibilia erunt, cum certa securitate accessuros.

De pecuniis imponendis probat Mtas. sua modos cesaris, sed illos convenientiores regnis cesarianis quam suis fore existimat, quam ob rem inveniet Mtas. sua modos alios, qui regnis suis magis quadrabunt et utiliores erunt ad pecunias in hanc sanctam expeditionem colligendas, de quibus Sctem. suam curabit reddere certiorem. Unum illum cesaris modum imitabitur, qui est, ut de quinquaginta focis unus miles conscribatur. Hec Mtas. multo arctius hunc modum observabit; nam ex focis triginta sex ordinabit militem unum gravis armature in certis locis regni sui, aliis vero locis, que hostibus propinquiora sunt, ex viginti quatuor focis militem unum levis armature.

Solet etiam in presenti rerum statu Mtas. regia illos potissimum, qui habitant juxta confinia sepius et toties quoties opus est cogere viritim contra hostes.

Solet etiam non solum ab his, qui opulentiores sunt, subsidium ad defensionem regnorum suorum exigere, sed etiam ab inopibus et pauperibus et quibus vix suppetant facultates ad valorem trium florenorum, ut hic modus exigendi pecunias continuus et quodammodo perpetuus est in regno Mtis. sue.

Cruciatam Mtas. regia admittere non audet nec potest, ne populus continuis exactionibus exacerbatus ad similem, que nuper maximis sumptibus gravissimisque laboribus et multo sanguine compressa est, seditionem incitetur et provocetur.

Ecclesiasticorum primores magna sustinent onera in conservandis gentibus ratione proventuum suorum et illos non potest gravare dupliciter. Ab his vero qui hujusmodi onera non sustinent, Mtas. regia parata est subsidium aliquod pro facultate proventuum uniuscujusque et expetere et exigere, et hanc curam rmo. dno. legato demandabit. Dabit etiam operam Mtas. sua, ut ex omni ordine unusquisque pro dignitate sua etiam ultra solitum aliquid in hanc expeditionem contribuat, et non dubitat, unumquemque id libentissime facturum, modo res hujus expeditionis procedere videantur.

Quanta autem summa pecuniarum haberi queat ex his modis sua Mtas. nondum habet exploratum neque potest illa exprimi ante quam intelligat, quantam quisque dare et contribuere poterit.

De

MDXVIII. De tempore profectionis, Mtas. sua regia semper est in profectione, quia continue bellat, tunc tamen et promptius et instructius proficiscetur, cum senserit alios principes esse expeditos et esse in via.

Habebit Mtas. sua in suo exercitu militem hungarum et bohemum. Equitatem habebit ex Vngaris majori ex parte, poterit enim habere ex Bohemis et Moravis et Slesitis, verum peditem poterit habere optimum ex Bohemis. Quantum autem numerum habere queat, explicare in presens non potest, cum nondum sciat, si veniat, quantum possit habere pecuniarum. Que si suppetant largius, tantum poterit habere, quantum voluerit.

Tormentis Mtas. sua ad hanc expeditionem multum indiget, non minus etiam munitionibus, utputa pulveribus et globis: et licet habeat tormenta in arcibus finitimis, non tamen talia, que faciant ad campestrem expeditionem, nec tanta, ut et arcium defensioni et huic expeditioni sufficiant. Cum autem sciat: cesaream Mtem. his tormentis abundare, rogat Sctem. suam: dignetur rogare Mtem. ipsam cesaream, ut aliquid ex his Mti. sue imperciatur et pretium Sctas. sua curet illi persolvendum, et quod Sctas. sua aliquo subsidio etiam de manibus suis provideat pro munitionibus necessariis ordinandis.

De ducibus belli Mtas. regia sola vult esse dux et imperator sui exercitus. Quodsi per etatem ad hoc minus apta videretur, non deerunt Mti. sue duces idonei ex omnibus regnis suis, quos preficiat exercitui suo; nam cum sit rex liber et habeat regnum liberum, non vult alienum imperium subire in detrimentum sui nominis et libertatem regnorum suorum.

De annona providebit, ut diligenter colligatur, quidquid proveniet, prohibebitque, ne ex hoc regno educatur.

De statu regis et regni dicere non potest Mtas. sua, valde esse felicem statum suum regnorumque suorum propter hostilitates, quas patitur ex parte Turcarum, alioquin est in veneratione debita apud suos et prestatur ei ab omnibus obedientia, et nemo est, qui non cupiat bonum statum sue Mtis. Fuerunt autem mota quedam odia et simultates in hoc regno inter personas privatas, sed non tales, que Mtis. sue dignitatem auctoritatemque offendissent. Nec id quidem mirum, cum fuerint etiam intra angustos parietes, ut inter fratres, ut inter patrem et filium majores sepius suscitate. Qualescunque tamen fuerint, magna ex parte jam sedate sunt, et, si quid restat, sedabitur.

Quod pertinet ad statum confiniorum, illa sunt desolatissima et non poterunt nisi maximis sumptibus reparari, nec est Mtas. sua sufficiens ad hoc, ut ea instaurare suis proventibus possit, nisi aliena ope provideatur.

Confinia regie Mtis. a Ponto usque ad mare adriaticum contermina sunt hostibus ubique lacerantur, cogitur omnibus Mtas. sua quantum potest subvenire, et cum id sufficienter facere nequeat, negliguntur omnia. Ultra provisionem confiniorum cogitur dare subsidium etiam vojevode Moldavo et Transalpino et ita eos in fide conservare etc. Quare Sctem. suam plurimum rogat: dignetur curare, ut aliquid subsidii ad reparationem hujusmodi arcium finitimarum, que sunt clipei hujus regni, impartire dignetur.

De Jaicza, que laborat in majori periculo quam alia confinia, Mtas. sua instituit illi succurrere per expeditionem, quam jam decrevit, sed veretur Mtas. sua tantum illi incumbere periculi, ut vix putet suis viribus et sua ope posse propulsari.

Quam

Quam ob rem Sctem. suam iterum rogat: dignetur ut cepit de negotio sancte expeditionis ferventer continuare, ut per illam possint confinia illa Mtis. sue liberari ab hostibus. Nam si cessatum fuerit, cum jam publicata sit per omnia fere regna christiana futura expeditio, perveneritque ea res ad notitiam cesaris Turcarum, procul dubio irritabitur magis et res suas asiaticas cum quovis dispendio suo componet et convertet arma in Christianos et ante omnia in hanc Mtem. suam et in regna sua: et hoc pacto, cum non habeat Mtas. sua pares vires ad resistendum illi, illo irrupente actum erit — quod deus avertat — de hoc regno. Cujus amissio in omnium regnorum christianorum, quorum omnium scutum est et antemurale, perniciem redundabit. MDXVIII.

CCCLXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Szombergo, Monacho, Nuncio apostolico.

Reverende et religiose devote nobis dilecte. Fuit animi et propositi nostri, ut conventum generalem regni nostri pro festo S. Martini preterito habuissemus, quemadmodum id vre. Pti. tunc cum apud nos erat declaravimus; verum intervenientibus nonnullis inopinatis et subitis hujus dominii nostri necessitatibus, quibus nisi presentia nostra et celeritate adhibita bene consultum iri non potuit, coacti sumus conventum ejusdem dominii antevertere et ad eum nos conferre; tamen curabimus nos quam celerrime hinc exolvere et conventum regni agere, quem ut nostra fert opinio ad festum purificationis domine nostre S. Marie statuemus, et inibi referemus ad consiliarios nostros ea omnia, que nobiscum egit vestra Ptas. de rebus pruthenicis, et quidquid cum illis decreverimus, faciemus e vestigio vel illam vel Sanctissimum dominum nostrum certiorem. Cod. R.

Ceterum perscripsit nobis mgcus. palatinus cracoviensis ea, que cum ipso Cracovie Ptas. vra. contulit, et inter cetera de profectione sua in Moscoviam et quod peteret a nobis literas securitatis transeundi per ditionem nostram sibi mitti. Nos quidem non absumus ab eo, ut, cum hec sit voluntas dicti Sanctissimi domini nostri, illuc vadat et mittemus ei cum presentibus ipsas literas securitatis perstamusque in eadem voluntate nostra faciendi quinquennales inducias cum eo hoste nostro causa rei christiane prout vre. Pti. prius declaravimus. Verum ille ut est prorsus ab omni humanitate, ne dicamus ratione alienus, proponet conditiones indignas et non ferendas, quas nullas nos acceptabimus, sed ut est natura induciarum ita illas simpliciter causa, ut diximus, rei christiane cum illo inire parati sumus. Itaque Ptas. vra. sciet, qualiter se illic in ea re gerere debebit. Que bene valeat. Datum. —

CCCLXX. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, datum Nicolao Szombergo, Monacho, Nuncio apostolico.

Legatio vris. Ptis. quam nomine Sctmi. dni. nostri egit apud s. Mtem. regiam, hec summatim continebat. Cod R.

MDXVIII. Declaravit imprimis: se missum a Sctmo. dno. nostro ad cesaream Celsitudinem et alios reges ac principes, tum ad hanc Mtem., ut de quinquennalibus induciis cum omnibus christianis principibus, deinde de bello et communi expeditione contra Turcam suscipienda tractaret, ageret, persuaderet.

Ceterum de re pruthenica via juris vel equitatis componenda.

Item: de rebus hungaricis et statu Sermi. regis Ludovici in ordine et regimine debito constituendo.

Postremo de sua profectione ad Moscos et, si opus esset, etiam ad Turcas causa pacis tractande et pro bono tam hujus Mtis. quam totius reipublice christiane commodo et utilitate.

Ad hec sacra Mtas. regia committere mihi dignata est vre. Pti. sic respondere.

In primis laudat summopere et probat s. Mtas. regia hoc tam sanctum et maxime necessarium studium, curam et institutum Sctmi. dni. nostri, dominoque deo gratias agit, cui hanc illius Scti. mentem inspirare dignata est pro vindicanda salute et bono statu rei christiane adeo nunc ut nunquam alias magis in discrimine constituto. Mtas. enim sua Serma., ut ea, que assidue humeris suis hanc molem Infidelium sustinet, nihil unquam magis desideravit, quam hoc aliquando faustissimum tempus futurum, ut omnes principes christiani unanimi consensu et coactis viribus tandem ad redimendum periclitantem reipublice christiane bonum statum consurgerent.

Verum quod illius Sctas. postulat et hortatur, ut Mtas. sua Serma. jam ad hanc communem expeditionem se accingeret et prepararet, non dubitat Mtas. sua satis constare illius Scti. quantis et quam assiduis domi bellis distineatur tam a Tartaris quam a Scismaticis ac aliis eorum adherentibus, ita ut tam subito nequeat apparatum et cogitationes suas domesticis difficultatibus occupatas ad opus et actiones alias reducere.

Verum cum Mtas. sua Serma. se ex ipsis difficultatibus domesticis explicare et res suas cum Tartaris et Moscis quoquo modo, citra tamen indignitatem et detrimentum suum et dominiorum suorum pacare poterit, cumque intelliget: alios reges et principes christianos paratos esse, et ipsam generalem expeditionem ad firmitatem aliquam et bonum ordinem tendere, ac contributiones ad illam designatas ad effectum aliquem procedere, alacri animo eandem ipsam expeditionem generalem Mtas. sua suscipiet et munus suum cum aliis prinprincipibus christianis ita obibit, ut nulli posterior fieret, nec pro se quidquam opere, studii et impendii hac in re pretermittet, dummodo saluti christiane cum effectu consulatur, pro qua et vires et sanguinem proprium parata est semper effundere.

Modus autem de colligenda pecunia et exercitu scribendo tum a Sctmo. dno. nostro, tum etiam a cesarea Mte. constitutus satis placet Mti. regie; verum de eo ordinando pro consuetudine ac facultate regni et dominiorum suorum non potuit hactenus cum consiliariis suis et subditis quidquam tractare et constituere, domesticis difficultatibus omnia consilia et curas Mtis. sue occupantibus; tamen operam faciet, ut illis aliqua ex parte compositis et generali expeditione procedente, pariter modus ipse de pecunia et exercitu faciendo statuatur in regno et dominiis Mtis. sue. Et id, quod opus videbitur et quod etiam vires ejus Mtis. ac regni et dominiorum suorum ferre poterunt, ad tam sanctum et diu desideratum opus perficiendum, nihil pretermittetur aut negligetur.

Inducias

Inducias quinquennales, etsi Mtas. regia cum nemine principe catholico bellum gerit nec gerere hactenus unquam voluit, tamen libenter acceptat et observare vult firmiter, dummodo ipsa generalis expeditio procedat et Mtas. sua ab aliquibus hostibus suis bello et injuriis non lacessatur, quoniam illam vim vi repellere oporteret. MDXVIII.

Inducias quinquennales probat seu acceptat Mtas. sua cum conditionibus predictis, simpliciter vero et sine conditionibus ad biennium.

Quod autem ad rem pruthenicam attinet sacra Mtas. regia nunquam discordiam et controversiam aliquam sua occasione inire voluit cum magistro et ordine Prussie nec quidquam ab illo requisivit, quam id, quod Mti. sue ratione terrarum, quas de benignitate Mtis. sue et ejus predecessorum possidet, facere tenetur. — Verum ille declinans et debitum suum prestare et pacem ac concordiam dudum factam observare variis et indignis modis pre se fert et declarat infensum et hostilem animum erga suam Mtem. premendo assidue subditos sue Mtis. tum predonum licentia et excursionibus ex terra sua, tum vectigatibus insolitis et vadimoniis, carceribus, spoliis multiplicibus, quibus homines Mtis. sue ibidem in ejus terra afficiuntur.

Preterea facto federe et conspiratione contra Mtem. suam cum scismatico duce Moscorum non minus romane ecclesie infenso quam aliquo alio Infideli, et occasionem inde querendo tam illi gratificandi quam ejus Mtem. adversus se provocandi, intelligens suas vires ad inferendum ultro bellum non sufficere, apparatus omnes bellicos facit, delectus habet, militem mercenarium ex vicinis dominiis palam convocat, implet querimoniis universum orbem, rejiciendo ea in Mtem. suam regiam et ejus subditos, que ipsemet facit, ut imprimis Sctmum. dnum. nostrum et cesaream Mtem., demum alios omnes principes christianos adversus Mtem. suam commoveret et subsidium ab illis obtineret; que omnia Mtas. sua Serma. cum ingenti subditorum suorum gravitate tulit et dissimulavit causa reipublice christiane et fert usque huc, licet egerrime; et quod ipse magister ita se erga Mtem. suam tot bellis cum Infidelibus et Scismaticis occupatam tanquam de occasione gerit distrahendo et impediendo Mtem. suam, quam pro necessitudine sanguinis, pro debito et professione sua adjuvare omnibus viribus deberet.

Quia vero Mti. sue regie statuere aliquid de ipsa re pruthenica non est satis integrum absque scientia et consensu consiliariorum et procerum regni sui, qui alioquin inherentes concordie facte nolunt aliquod nove actionis ingredi et rem actam agere, eligentes potius suam justitiam et terras suas multo sanguine et impendio de manibus illas injuste occupantium vindicatas armis itidem ut alii principes christiani faciunt, quam advocatis tueri et manu tenere: quandoquidem in memoria est, tales tractatus et judiciarios et arbitrarios dudum et sepe tentatos fuisse, qui semper et in irritum cadere et majorem belli et difficultatis materiam prebere solebant, non potest Mtas. sua ad hoc, ut causa ipsa denuo cognosceretur via juris vel equitatis consentire et voluntati Sctmi. dni. nostri in ea re satis facere, tamen cum ejus Mtas. cum cesarea Celsitudine mutuo convenerit, ita ut id summopere optat et intelligit rei christiane expedire, magisterque Prussie itidem aderit, libenter et non gravate justitiam suam ostendet et quod nihil aliud ab eo petit quam id, quod ei juste debetur, declarabit. Nihilominus tamen Mtas. sua Serma. illius Scti. summas et immortales

MDXVIII. les agit gratias de hac cura et sollicitudine, quam erga se et res suas agere dignatur et pollicetur hanc Sctis. sue benignitatem et favorem paternum vicissim omni studio et observantia sua semper referre.

De rebus Vngaricis quo in statu sint vra. Ptas. clarius illic existens cognovit. Mtas. sua Serma. hactenus nihil reliquum fecit, quod ad officium suum pertinebat, quo Sermi. dni. Ludovici regis benignam rationem habere et paternam erga illum curam gerere dignetur, ac rogat summopere Mtas. sua illius Sctem.: velit in eadem cura persistere illique auctoritate et beneficentia sua non deesse, commonendo consiliarios et proceres subditos illius ad ea, que debiti et fidei ipsorum sunt et que ad bonum statum illius Mtis. et regnorum ejus pertinere videntur.

De protectione Ptis. vre. in Moscoviam probat sacra Mtas. regia consilium Sctmi. dni. nostri, de reducendo illo duce ad obedientiam romane ecclesie et bello, quod ille temere et injuste cum sua Mte. gerit sistendo; utraque enim res esset cum non mediocri harum terrarum et totius reipublice christiane commodo; quare libenter videbit Mtas. sua, quo illuc proficiscatur et mandata dicti Sctmi. dni. nostri obeat: ut si bellum ipsum continueret, quominus Mtas. sua illo impediretur, tanto commodius et celerius se ad communem expeditionem contra Turcas accingere posset.

Ad Tartaros vero nequaquam suadet vel censet Mtas. sua, ut Ptas. vra. proficiscatur. Gens enim illa cum fera et barbara omnisque humanitatis expers, tum Turco fide et religione conjuncta est, et proinde cederet haud dubio ipsa profectio ad magnam indignitatem Sctmi. dni. nostri et sancte sedis apostolice. Sed et persona vestre Ptis. ad grave aliquod discrimen venire posset, cum neque legationibus apud illos tuta sit fides.

Hec tamen cura et pietas ipsius Sctmi. dni. nostri, qua commisit Pti. vestre pro commodo Mtis. sue, tam Moscos quam Tartaros adire, grata est plurimum Mti. sue Serme., illiusque Scti. etiam atque etiam gratias agit immortales et pollicetur vicssim pro ejus Sctis. commodo et bono statu non modo facultates suas, sed sanguinem proprium, ubi opus exigeret, libenter impendere.

Quod reliquum est: Mtas. sua Serma. commendat se, regnum, dominia et negotia resque omnes suas in gratiam et favorem ipsius Sctmi. dni. nostri, ac plurimum Sctem. suam rogat: uti eam benivolentia et benignitate paterna complecti ejusque preces et impetrabiles et non irritas apud se habere dignetur. Cujus Sctis. pedes Mtas. sua Serma. omni propensione et reverentia, qua potest, et debet osculatur et se iterum commendat.

CCCLXXI. Conditiones per Szomberg proposite.

Cod. R. Magister inter regem et Moscum conditione uti possidetis pacem vel inducias faciat. In Podoliam ad loca habitata, que post quinquennium reddat, veniat, interimque ac post ad alia inhabitata cum omnibus viribus veniat, ibi habitet, Tartaros impugnet, vitam suam et suorum pro salute regis ac suorum ponat, que ultra Vistulam sunt accipiat cum omnibus, que nunc habet aut unquam in terris regi subjectis habiturus est, in feudum, ita tamen, ut

ut non teneatur esse contra Moscos durante eorum amicitia cum Livoniensibus aut magistro generali Livoniensium superiore. Rex aliud quam feudale juramentum non exigat et ante finem Marcii respondeat. Cetera circa hoc tenet rmus. dnus. Premisliensis etc. MDXVIII.

Quod si rex, que de restituenda Prussia supra dicta sunt, persuadere suis non posset, tunc Podolia, ut eam nunc habet Mtas. sua, infra annum proximum magistro detur et sola ab illo in feudum recipiatur salvis tantum confederatis offensive et absque prejudicio jurium alicujus partis quo ad Prussiam, de qua et juramento pacis perpetue decem annis aut post manente magistro in Podolia nulla controversia sit.

Medio autem tempore presentis anni et futuri de dominis forte in Podolia magistro subesse nolentibus concordetur rege providente, ita tamen, ut magister interim regis auctoritate eis mandet illorumque et aliorum octo annorum spatio ejusdem perpetue pacis forma in aliis quam de dominis ac terminis ditionum hec ut nunc sunt permaneant voluntati partium adaptetur per ipsarum partium tam de dominis subesse nolentibus quam de hac forma pacis adaptanda aliisque emergentibus aut occurrentibus in duos vel plures compromissionem, ita ut arbitri compromissionis terminos prorogere et in eventum differentiarum tercium eligere queant.

Quod si post hujusmodi decem annos, nam ante non liceat, aut rex juramentum predictum exigere, aut magister in Prussiam redire vellet, in utroque casu feudum et comprommissio cesset, rex in priori jure suo sit, magister libere redeat, unus hoc alteri per annum antea insinuet. In primo tamen casu rex tribus immediate tum sequentibus annis magistro, que in Podolia construxit ad arbitrium bonorum solvat, dando de hoc cum dicta insinuatione sufficientem et ab omni etiam compensationis exceptione liberam cautionem. In secundo vero libere similiter regi magister dimittat, que in Podolia immobilia construxit, suaque aut suorum fuere. Cetera ut supra in primo concordandi modo huic ultimo non contraria.

Magister Podoliam ita in feudum habeat ut supra, Tartarum precopensem polonico auxilio invadat, et taurico vel aureo chersoneso occupato Podoliam reddat retenta ibidem vel alibi pensione. Podolia autem ipsa uni tum ex magistri germanis in feudum et aliqua regis filia in conjugem detur.

Rex Scepusium Vngaris reddat et cum illis agat pecuniariis vel aliis modis, ut magistro in Dalmatia Segniam, nam alium portum non habent, et tantundem ibidem vel in Croatia prope Turcos in feudum consignent, quo eorum oblivisci possit, que aliquando is ordo habuit in Prussia.

Rex Samagitiam concedat et Graudenicz vel aliquid simile in Prussia, ita tamen, ut ubique omnes sua possideant et teneant redemptione magistro concessa, si quid de ipsa Samagitia aut Graudenicz esset impignoratum.

In quovis supra dictorum trium ultimorum modorum concordandi, que partes alie possident, possideant, juramentum cesset, ac illius loco federa fiant et lige temporales sive perpetue jurande aut non jurande, cum talibusque conditionibus, ut partes acquiescant.

Item: rex aliquam ecclesiam de majoribus Polonie uni ex germanis magistri conferat, sunt enim

MDXVIII. enim omnes sui nepotes osque et caro sua. Papa autem cardinalatum alteri et magnum episcopatum concedat.

In quolibet supra dictorum modorum poterunt conditiones augeri et equari pecuniariis et aliis mediis juxta voluntatem partium et eorum, qui hec tractabunt, longe majorem quam qui hec amanter proponit prudentiam et sagacitatem.

CONDITIONES PER SZOMBERG REGI PROPOSITE.

Magister paratus est suscipere terras in Prussia, quas nunc habet et in post habebit et similiter terras in Podolia in feudum ut vasallus.

Idem prestabit juramentum regie Mti. ut vasallus et erit cum Mte. sua nisi sit contra romanum imperium et principes ejus et contra Moscum durante amicitia cum Livoniensibus et magistro eorum superiore.

Idem militabit cum omnibus suis contra Tartaros et vitam ac vires suas effundet.

Idem impendet omnem operam, ut Mtas. regia habeat pacem vel inducias cum Mosco ita ut ille possideat ea, que nunc possidet.

Vicissim petit magister sibi dari terras citra Istulam aut Gdanum et sine his nihil fieri posse arbitrari debet. Vel ut frater Nicolaus proposuit Elbingum et episcopum varmiensem et Samagitiam: h. e. in Prussia insulam, que dividit Istulam, in qua concluditur Elbing et episcopatus varmiensis.

Item: ut dentur ei loca in Podolia vicina Tartaris, sed ad quinquennium postulat dari sibi loca habitata, in que se recipere posset cum suis et ibi se sustentare, quoad se muniat et fortificet in locis desolatis, que quidem loca habitata lapso quinquennio restituturum se pollicetur.

Post designari sibi iter ex Prussia directum ad Podoliam ad latitudinem medii miliaris, vel saltem liberum transitum liberamque vectionem rerum omnium ad militiam necessariarum h. e. victualium et ad arma et bella spectantium absque gabellarum et quorumcunque theloneorum solutione.

Petit concedi sibi potestatem in ripis fluminum in Polonia et Lithuania constituendi granaria seu horrea, ad que frumenta ex Podolia ad Prussiam devehenda reponi possint.

Aliqui articuli possent recipi de pace perpetua, de quibus et magister et regia Mtas. convenirent, nisi sint contra sedem apostolicam et romanum imperium ac principes ejus et professionem magistri.

Quod hanc novam conventionem juraret observare magister.

Hoc tamen postulat: ut juramentum prestaret et ipse et ejus posteri ac successores per procuratorem sufficiens mandatum habentem h. e. per magnum commendatorem, vel ubi aliter fieri non posset, prestaret ipse juramentum ad presens: dummodo ejus successores fierent ab eo immunes, sed per procuratorem illud prestarent.

Magister Mtem. regiam de omnibus conclusis observandis assecurabit.

Et similiter Mtas. regia magistrum assecurare debebit.

Item: ut Mtas. regia declaret voluntatem suam super premissis nunc et tractatum faciat ad principium mensis Decembris alias usque ad finem anni presentis.

CONDITIONES

Solvent magister et ordo Mti. regie pro terris illi restituendis in Prussia aut civitate Gdansk centum milia, aut forte, ut frater Nicolaus opinatur, ducenta milia fl. ad ratas temporum solvenda et sub certa ac debita securitate. MDXVIII.

Licet non obligaret se magister nec juraret ferre auxilia Mti. regie contra romanum imperium et Moscos armis offensivis, tamen bene defensivis.

Preterea facta concordia et pace cum Mosco si magister promitteret pro eo, quod ille servaturus esset pacta et conventa et pacem, et ille postea contraveniret: posset in eo casu nonobservationis pactorum et pacis juvare Mtem. regiam contra illum ipse magister.

Dicit frater Nicolaus: magistrum habere pecuniam, et partem illius a Mosco habere illum opinatur.

Si non posset vel licere sibi non putaret Mtas. regia restituere simpliciter terras in Prussia aut civitatem Gdansk, saltem renunciaret tuitioni illarum. Nam magister reduceret illas ad suam obedientiam et subjectionem.

CCCLXXII. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, datum Szombergo, Monacho, nuncio Pape.

Ea que Ptas. vra. retulit sacre Mti. regie de actionibus suis in Prussia et revocatione sui per Sctmum. dnum. nostrum propter res hungaricas ac profectione sua in Moscoviam arbitrio Mtis. sue, queque a dno. magistro Prussie secreto cognovit de conditionibus concordie ratione terrarum Prussie ac juramenti, deque auxiliis ferendis et aliis rebus Mtas. sua Serma. abunde omnia intellexit. Cod. R.

Ac imprimis quod ad profectionem vre. Ptis. in Moscoviam attinet: Mtas. sua cognitam habens perfidiam ducis illius, et quod ille neque pacta aut federa ulla observare neque inire soleat, nisi quantum ex re et necessitate sua esse intelligit, non videtur Mti. sue, quod profectio illuc Ptis. vre. ullum commodum rei christiane vel honorem sedi apostolice esset allatura, presertim cum gratia dei jam exercitus illius ducis est e finibus Mtis. sue cum gravi dispendio et ignominia illius pulsus: quem Mtas. sua Serma. vult et decrevit tantisper bello persequi, donec ab eo id omne vindicet, quod ille per nefas et injuste occupavit, ad quod sibi et justitie sue divinum auxilium non defuturum confidit.

Quantum vero ad res pruthenicas Mtas. sua Serma. tametsi prius Pti. vre. declaravit, neque solere neque integrum esse sibi tractare aut agere aliquid de his, que ad regnum pertinent, absque consiliariis ac provincialibus suis, tamen quia dnus. magister voluntatem suam Pti. vre. secreto communicavit, que id ipsum a Mte. sua postulat et expetit, contenta est ejus Mtas. animum ut sententiam suam vre. Pti. confidenter tanquam nuncio apostolico dicere et aperire.

Non videtur Mti. sue Serme. ut regnicole sui deberent ullo modo consentire ad restitutionem civitatum et arcium ultra Vistulam aut Gdanum, que omnia uti hereditaria bona et multo

MDXVIII. multo impendio et sanguine recuperata plurimi sunt apud illos momenti. Verum de moderando juramento per dnum. magistrum prestando et terris aliquibus in vicinia Tartarorum illi dandis fieri possent aliqui decentes tractatus et res bonis et honestis mediis convenire; tamen tam de restituendis dictis civitatibus, quam moderatione juramenti ac locis in finibus regni dandis Mtas. sua in proximo generali conventu regni sui vult ad senatum suum omnia diligenter referre et consilium super singulis hisce rebus maturum capere, et quidquid decreverit mutuo cum cesarea Mte. vel ejus nunciis agere et tractare, que cum dudum actionem istam preoccupavit et incepit, non vult Mtas. sua nec eam decere videtur absque illius cesarea Mte. quidquam aggredi.

Agit Sctmo. dno. nostro summas et immortales gratias pro hac cura et sollicitudine, quam gerit de rebus ejus Mtis. vultque illi hanc gratiam et pietatem paternam omni observantia et obsequiis suis semper referre. Vestre etiam Ptis. studium et operam habet Mtas. sua acceptam et gratam eamque illi benivolentia sua regia per omnem occasionem rependere pollicetur.

Inhibitionem de rebus inferendis ad terram domini magistri Prussie Mtas. regia fecit communi totius regni consilio ea causa, quod ipse dnus. magister prior id in terra sua statuerit, sed ejusdem inhibitionis exequutio suspensa fuit ad festum S. Laurentii, quo mercatores et alii homines, qui illic commercia sua habent, possent absque aliquo dispendio rebus et negotiis suis providere, unde hac causa non aliquo sinistro respectu vel contemptu vre. Ptis. inhibitio ipsa circa illud tempus est promulgata, quam cum Mtas. sua de voluntate et consilio regni universi statuit, non licet illi eam nisi de communi totius regni consensu vel suspendere vel tollere, nec dnus. magister ullam ob id justam causam querendi habet, cum ipse initium fecerit. Et ut ille ostendere voluit, suos subditos absque terris Mtis. sue subsistere posse, ita vicissim ejus Mtas. illi cognitum et compertum esse vult, suos quoque subditos absque terra illius non defecturos.

Cum autem Sctmus. dnus. noster, quem s. Mtas. regia cum debita colit observantia miserit huc ad eam vram. Ptem., ac illi tot rerum momenta apud alios reges et principes agenda et tractanda committat et credat, Mtas. sua Serma. fidei et integritati ejus nihil diffidit, sed quod ei negotia regni sui usque adeo ut postulavit agere et tractare non commiserit, factum est eo, quod non soleat neque liceat Mti. sue in tantis rebus absque scientia et consilio senatorum suorum quidquid aggredi, alioquin personam vestre Ptis. et ratione sedis apostolice et ejus ipsius causa gratam habet et acceptam.

Postremo Mtas. sua Serma. postulat a vra. Pte., ut se regnum et dominia sua commendet Sctmo. dno. nostro et supplicet ejus nomine illius Scti., quo eam gratia et benignitate paterna complecti ac preces ejus, quas ab oratore suo intelliget, acceptare et exaudire dignetur, uti ejus regis, qui continue cum Infidelibus et aliis ejusdem sancte sedis contemptoribus depugnat.

CCCLXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X. Pape.

Cod. R. Sanctissime in Christo pater et domine, dne. clementissime. — Post humilem mei regnique mei et dominiorum meorum commendationem et oscula pedum beatorum. Fuit apud me frater

frater Nicolaus Szombergus et ea que a Scte. vestra in mandatis habuit singula mihi diligenter retulit, quem pro mea erga illam observantia et grato animo suscepi et absolvere quam maxime ad placitum Sctis. vre. fieri potuit curavi, prout ipse coram abundius referet. Me eidem Scti. vre. regnumque et dominia mea plurimum commendo et supplico, ut precum mearum, quas cum ex literis interdum, tum vero ex oratore meo, qui ex conventu Augustense ad illam veniet, accipiet, benignam rationem habere dignetur, ut ejus regis, qui pro salute rei christiane et sancte sedis apostolice honore et incremento nunquam a bellis et impendiis requiesco. Dominus deus diu servet incolumem et felicem vram. Sanctitatem. Datum Cracovie d. XXVI Augusti. MDXVIII.

CCCLXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X., Summo Pontifici.

Sanctissime. Quamvis ad ea, que jam pridem Sctas. vra. mecum literis et nunciis suis ac novissime per fratrem Nicolaum Schombergum, ordinis predicatorum, agere dignata est, abunde illi per eundem fratrem ad omnia responderim, tamen et hunc oratorem meum, rev. in Christo patrem, dnum. Erasmum, epum. plocensem, mittere ad Sctem. vram. volui, qui et eadem et nonnulla alia negotia apud illam ageret et tractaret. Proinde commendo eum plurimum Scti. vre. supplicoque, ut et benigne eum suscipiat, et que in rebus nostris egerit, fidem illi et gratiam suam exhibere dignetur tanquam dnus. clementissimus, cui me regnumque et dominia mea etiam atque etiam commendo. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCCLXXV. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinalibus.

Rme. Mittimus ad Sctmum. dnum. nostrum rev. dnum. Erasmum, epum. plocensem, consiliarium nostrum, ad nonnulla negotia nostra apud ejus Sctem. obeunda, quem vre. rme. Pti. commendamus, ut illi in ipsis negotiis nostris consilio et patrocinio suo adesse velit, et nos vicissim quacunque in re vre. rme. Pti. complacere et gratificari poterimus, id omni studio et alacritate semper faciemus. Quam felicissime etc. Ex cod. mss. bibl. Ossolin.

CCCLXXVI. Responsum a Sigismundo, Rege Polonie, Nicolao Szomberg, Nuncio apostolico.

XXIII Januarii MDXIX.

Sacra Mtas. regia, reverende pater, perspexit abunde curam et studium vre. Ptis. in componenda differentia inter se et dnum. magistrum Prussie, et quod ante fecit, id iterum in presentiarum Sctmo. dno. nostro summas gratias agit etc. Cod. R.

Quod ad reditum Ptis. vre. attinet, licet Mtas. regia nesciat prorsus in quo fine deliberatio consiliariorum

MDXVIII. consiliariorum et provincialium suorum consistet, tamen intelligens Mtas. sua neminem efficacius posse rem ipsam pruthenicam tractare et componere quam vram. Ptem., que jam tanto studio incepit et hinc atque inde multa percalluit, optat Mtas. sua, ut ad perficiendum hoc inceptum negotium redeat, et ut eam Sctmus. dnus. noster mittat Mtas. sua per literas aget et instabit.

Commendationem dni. magistri Mti. sue, de qua Ptas. vra. retulit, Mtas. sua grato animo suscipit polliceturque vicissim illum omni favore et benivolentia sua regia tanquam nepotem suum complecti: dummodo ille aliter se erga Mtem. suam et ejus subditos gerere studeat, quam hactenus consuevit. Mittere autem ad illum non putat necessarium Mtas. sua, quandoquidem vra. Ptas. affectum Mtis. sue erga illum abunde per literas significari illi poterit, itidem ut ille per eam Mti. sue significavit, cui facilius fidem adhibebit.

Literas ad Sctmum. dnum. nostrum in commendationem vre. Ptis. libenter sua Mtas. dabit, et quod nihil neque contra cesaream Mtem. neque ullum alium hic quidquam egit, sed in omnibus fideliter et sollicite pro voto illius Sctis. et commodo rei christiane se gessit illi declarabit.

Ubi autem Sctmus. dnus. noster remittere huc nollet vram. Ptem. aut ipsa aliquibus occupationibus districta venire non posset, Mtas. sua omnia, in quibus cum consiliariis suis stabit, dno. magistro per dominum episcopum varmiensem aut aliquem alium declarabit.

Commendat se demum Mtas. sua Serma. regnum et dominia sua Sctmo. domino nostro, pro cujus felici statu et incremento Mtas. sua non solum vires et facultates suas omnes, sed sanguinem etiam proprium, si ita expediret profundere semper est parata.

CCCLXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Leoni X., Pontifici maximo.

Cod. B. Sanctissime in Christo pater et dne., dne. clementissime. Post humilem mei regnique etc. Discedentem a me fratrem Nicolaum Szomberg non possum vestre Scti. non commendare: quippe cujus singularem industriam et studium in exequendis omnibus negotiis ad rem christianam pertinentibus abunde cognovimus et intelleximus, aliter esse de illo ad Sctem. vestram perlatum. — Scire itaque dignetur, eundem fratrem neque apud me neque etiam in Hungaria, uti me oratores mei istinc e Roma ac ex Ungaria edocuerunt, quidquam vel contra defunctam cesaream Mtem. vel aliquem alium egisse, sed ea duntaxat curasse, que ad conjunctionem christianorum principum et generalem expeditionem contra Turcos conducere videbantur. Quare tantum abest, ut vestra Sctas. quidpiam sinistri de illo digne suspicari possit falsa emulorum ipsius delatione; ut etiam vel hoc meo testimonio pro tanta ejus fide, studio et diligentia amplissimam illi gratiam et benificentiam suam merito exhibere debeat. Quia vero idem ipse frater jam nonnulla componendorum negotiorum meorum jecit fundamenta cum magistro Prussie et ordine ipsius, que nemo alter eque commode ut ipse, qui cepit, et utrinque multa percalluit, conficere possit, supplico, ut vra. Sctas. cum eam rem cordi habeat, huc illum remittat ad eadem ipsa negotia, si qua equitate poterint componenda.

componenda. Alioqui res ad magnam perturbationem, quod nos certe causa rei christiane nollemus, redundabit. Valeat felicissime vra. Sctas. Cui me regnumque et dominia mea iterum atque iterum plurimum commendo et devoveo. Datum Cracovie XXVI Januarii. MDXVIII.

CCCLXXVIII. Sigismundus, Rex Polonie, Cardinali Protectori.

Rme. Revertitur ad Sctmum. dnum. nostrum frater Nicolaus Szomberg, qui cum apud nos tum etiam in Hungaria, ut liquido cognovimus, existens omnia, que ad conjunctionem christianorum principum et generalem expeditionem contra Turcos pertinebant, cordate simul et diligenter egit. — Quare si quid aliter de actionibus ipsius ad dictum Sctmum. dominum nostrum aut vram. rmam. Dtionem. permanavit, fidem adhibere nolit. Cod. R.

Quia vero is negotia nostra cum magistro Prussie ac ejus ordine, que in nonnulla difficultate et differentia constituta sunt, componere cepit ad eaque perficienda nemo alius eque commodus esse poterit quam ipse qui cepit et utrinque multa pervestigavit, expediret, ut Sctmus. dnus. noster illum rursus huc remittere dignaretur ad eadem ipsa negotia componenda. Rogamus vram. rmam. Dtionem. operam de hac re apud illum facere dignetur, si, ut intelligimus studeat ejus Setas. occasiones omnes belli gerendi inter Christianos principes sublatum iri.

Ceterum cum defuncta sit cesarea Mtas. que tutelam Sermi. domini regis Hungarie nepotis nostri charissimi, una nobiscum egit, commendamus ipsum nepotem nostrum ac regna et dominia ejus eidem Sctmo. domino nostro rogamusque vram. reverendissimam Dtionem.: agere velit cum ejus Sanctitate, quo impedita vel producta hac morte cesaree Majestatis expeditione generali rationem ejusdem nepotis nostri et regni ipsius Ungarie in summo discrimine constituti habere dignetur, ut una nobiscum illius curam agat, quod uterque ejus Sanctitati perpetuo demerebimur. Valeat felicissime vra. reverendissima Dtio. et nos diligat. Datum XXVI Januarii.

CCCLXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Palatino Vilnensi et Palatino Trocensi.

Veniens huc ex Moscovia orator cesaree Mtis., retulit nobis idem quod nuncii nostri, se de pace aut induciis nihil illic effecisse, verum ducere secum oratores hostis nostri, qui ut intelligit nihil aliud in mandatis habent quam de nobis queri et rem illius excusare. Cod. R.

Nos consultum censemus, ut idem faciamus, mittimusque nuncium ad illius cesaream Mtem. qui nostram ad omnia equa et justa propensionem sue Mti. declaret et quod per nos nihil stetit, quominus decentibus conditionibus pax esset composita. Voluimus tamen id significare prius Stibus. vestris, ut, si quid eis videbitur adhuc cum illius Mte. agendum, nobis perscriberent.

Ceterum

MDXVIII Ceterum quia idem orator cesareus retulit nobis: hostem nostrum non detractare, ut essent inducie inter nos et illum, sed ea conditione, ut pro illis ad eum mitteremus, quas etiam ita facere vellet, ut ei videretur, nos nullo modo vellemus amplius ad eum mittere et hanc indignitatem Mg. ducatui perpetuo inducere et nobis, unde et hostis ipse magis animari possit et nos impotentiam nostram testaremur; nec id, quod nunc frustra ad eum miseramus ullo modo fecissemus, nisi voluissemus ces. Mti. gratificari nostramque ad equam pacem et concordiam propensionem declarare. Tamen quia videtur nobis valde necessarium et utile, ut aliquantum respiremus, et interim vires nostras melius colligamus, censemus ut significaremus ad cesaream Mtem., quo illa quasi nobis id non poscentibus, sed suo motu proprio faceret inter nos et ipsum hostem inducias ad tres annos, ut possemus intra hoc idem tempus triennii magistrum Livonie in auxilium nobis adducere. Et proinde significent nobis Stes. vre. in hoc suam sententiam: utrum habere velint tales inducias et si censeant agi per illius cesaream Mtem. hoc modo de illis absque missione oratorum nostrorum in Moscoviam: quia nos non mittemus ad ejus cesaream Mtem. nuncium donec a Stibus. vris. consilium et sententiam earum habeamus. Que bene valeant. Datum.

CCCLXXX. Informatio a Sigismundo, Rege Polonie, data Oratoribus Maximiliani, Cesaris, in Moscoviam missis in negotio pacis tractande.

Cod. R. Quod Mtas. regia non dubitat id quod ad exordium tractatuum conficiende pacis inter Mtem. suam et ducem Moscovie attinet, Dtiones. vras. abunde esse a Mte. cesarea edoctas, utpote de expeditione generali, quam summus pontifex et illius cesarea Mtas. parant adversus imperatorem Turcorum et jam magna ex parte constituerunt, ad quam tanti momenti esse ducentes Mtem. regiam et ducem Moscovie accedere, ut sine illis nequaquam res bene geri posse videatur, aucta adeo potentia ipsius Turce et in dies magis invalescente, ut nisi maturius huic malo provideatur, frustra deinde neglecta occasione esset aliquid faciendum. Maxime cordi habere ipsum summum pontificem et ces. Mtem. componi discordiam et bellum inter Mtem. suam et ducem Moscovie.

Nam inter christianos principes solos jam hos duos restare, qui inter se adhuc digladiantur fuisseque majores causas bollorum inter alios reges et principes christianos, quam sit hec inter Mtem. suam et ipsum ducem; tamen propter hanc summe necessariam expeditionem et bonum reipublice christiane, dimissis omnibus, cunctos se jam concordari et reconciliari permisisse. Et propterea postulandus et hortandus erit ipse dux ad pacem equam et decentem ineundam et quod cesarea Mtas. habeat hanc spem Mtem. regiam venire ad equam pacem non recusaturam.

Quod cesarea Mtas. intellexit plane ex oratore suo dno. Sigismundo de Herberstain, in quibus consiliarii Mtis. regie culparunt ducem Moscovie de transgressione et violatione federum, commemorantes ipsa federa et ea producentes, que erant facta inter felicis memorie

Sermum.

Sermum. dnum. Casimirum, regem patrem Mtis. sue, et Basilium, avum Basilii, moderni ducis Moscovie, et deinde que erant inter Sermum. olim Alexandrum regem, fratrem germanum sue Mtis., et Joannem, Basilii patrem ejusdem ducis moderni, et postremo que inter Mtem. suam et ipsum ducem facta et juramentis ac literis utrinque firmata fuerunt. Volentesque, ut pax juxta prima federa conficeretur et ut inter tractandum deinde ad secunda descendentes in conditionibus demum ultimorum federum constitissent. E diverso vero quid responderint consiliarii ducis Moscovie et in quibus Mtem. regiam culparint, etiam id abunde cesaream Mtem. ex dicto dno. Sigismundo oratore suo cognovisse. MDXVIII.

Intelligente itaque cesarea Mte. ex rebus predictis venire ad concordiam inter se, Mtem. regiam et ducem Moscovie non posse, misisse illius cesaream Mtem. vras. Dtiones., qui id nomine suo conficere curarent juxta conditiones federum, que prius inter Mtem. regiam et ipsum ducem Moscovie fuerunt facta, ex quibus ut aliquid dimittere Mtas. sua deberet et presertim de restitutione arcis Smolensko, ad hoc nullo modo induci poterit.

Et certe sciant vre. Dtiones., non aliter Mtem. regiam pacem cum duce illo inituram, quam quod ipsa arx Smolensko restituatur et quod ea, que facit, ut scilicet permittat tractari inter se et illum de concordia, facit causa et confidentia cesaree Mtis. et pro bono reipublice christiane.

Quod si dictus dux inire pacem nollet, nisi ad se nuncii a Mte. regia mitterentur, sciant Dtiones. vre., id Mtem suam nullo modo facturam. Et proinde ita agant, ut ipse sola autoritate cesaree Mtis. faciant ipsam pacem absque eo, quod nuncios illuc Mtas. regia, vel ille dux ad eam huc mittat.

Ubi vero dux Moscovie conditionibus predictis pacem facere recusaret, h. é. vel quod nollet restituere arcem Smolensko, vel tractare de concordia, nisi nunciis Mtis. sue regie ad eum mitterentur, accipient inde Dtiones. vre. occasionem tractandi de induciis, eo videlicet modo, ut illas sole illic facerent auctoritate cesarea, sine eo quod Mtas. regia in Moscoviam, vel dux ille huc mittere deberet. Nam Mtas. sua nullo modo amplius ad eum mittere vult. Ad quas tamen inducias Mtem. suam non declarabunt Dtiones. vre. penitus assensisse, sed sperare se illas Mtem. suam causa cesaree Mtis. et reipublice christiane inituram.

Si pax confici poterit modis et conditionibus predictis, agendum erit de restitutione captivorum et eorum, quos Mtas. regia multo plures et insigniores habet et quos ipse quoque et nunc et ante inita federa detinuit et juxta conventa facta non restituit, quorum nomina, ubi opus esset, vris. Dtionibus postea darentur aut mitterentur.

Inducie autem si fieri debebunt, firmabunt illas vre. Dtiones. juramento et literis ducis illius sine eo quod Mtas. regia illuc mittat, quas deinde Mti. sue vel afferent vel mittent, Mtas. sua pariter literas suas dabit et juramento confirmabit. Que tamen inducie non fiant ab aliquibus aliis rebus quam a bello, ut duntaxat cessatio esset belli ad quinque vel sex annos ratione hujus necessitatis rei communis christiane, absque eo quod commercium aliquod fieri deberet inter Mtis. sue et illius subditos et mercatores.

Ordinabuntur vero poste per omnia dominia Mtis. regie, quibus Dtiones. vre. literas suas ad Mtem. ejus mittere celeriter et rursum per Mtem. suam in omnibus certiores fieri de voluntate sue Mtis. poterunt.

Reliqua

MDXVIII. Reliqua committit Mtas. regia industrie, prudentie et fidei Dtionum. vestrarum: ut quod utile et honestum Mti. sue putabunt, id agant, tractent et exequantur.

Et quia vadunt ad homines longe ab omni humanitate et moribus civilibus alienos, ita insistant, ut nil illis constare possit vestras Dtiones. aliquid agere de scientia et voluntate Mtis. regie, sed de solo cesaree Mtis. studio et instructione.

CCCLXXXI. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Serma. princeps et dna. conjunx nostra charissima. Constitutis hic nobis in continuis curis et laboribus ita ut id magnitudo negotiorum nostrorum exposcit, magnopere nos litere Mtis. vestre delectarunt. Nihil enim nobis gratius facere potest, quam quod nunciis et literis suis amorem erga nos suum testatur, et que precipua est cura nostra, nos de statu et valetudine sua facit certiores. —*

Scire vero dignetur Mtas. vra. diebus istis quadringentos equites Moscos, et non vulgares homines, qui ad terram nostram excurrerant, esse per presidia nostra cesos et quadraginta ex illis insigniores captos. Quem successum voluimus Mti. vre. significare, ut si quam molestiam ex solitudine sua cepit, haberet quo animum lenire possit.

CCCLXXXII. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Serma. princeps etc. Perjucunde nobis fuerunt litere vre. Mtis., quibus nos et invisere voluit et suam nobis bonam valetudinem declaravit. Qua re nihil nobis gratius facere potuit. Nos etiam gratia dei recte valemus et operam omnem impendimus, quo absolutis hic negotiis nostris, quam celerius ad vram. Mtem. redeamus. Interim autem, quo tedium suum levare possit, non ignoret, iterum paucis ante diebus fractam fugatamque esse sub arce nostra Poloczko non parvam hostium Moscovitarum manum, ita benignitate divina actiones nostras adjuvante.*

Quod vero a nobis petit, ut equos levis incessus et boni passus hic pro Illma. dna. communi matre nostra conquiramus, faciemus sedulo, quamvis putemus, nos tales equos citius in regno quam hic reperituros. Rescribimus eidem Illme. dne. matri nostre, et literas, quas a nobis postulavit, illi mittimus. Vra. Mtas. perferre eas per nuncium ejus Illtis., qui nunc istic est, curabit. Et felicissime valeat. Ex Brzescie Lithuanie.

CCCLXXXIII. Sigismundus, Rex Polonie, Joanni, Epo. Posnaniensi.

Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *Rev. in Christo pater. Contulimus episcopatum Chelmensem rev. dno. Jacobo, epo. camenecensi, ejus majorumque ipsius meritis id exposcentibus, cui episcopatui, quia ecclesia parrochialis in Biala*

Biala dudum est designata et compertum non est, utrum dnus. olim eps. chelmensis eam Rome MDXVIII. *incorporari fecit, Ptas. vra. committat administrationem ejusdem ecclesie honorabili N tam in spiritualibus quam temporalibus, donec plane de ipsa incorporatione res innotescat. Etc.*

CCCLXXXIV. Sigismundus, Rex Polonie, Bone, Regine.

Serma. etc. Agimus plurimas gratias vre. Mti., quod nos per hunc nuncium et literas suas inviserit, unde, quod nobis charissimum est, statum et bonam valetudinem Mtis. vre. cognovimus. Ex cod. mss. bibl. Ossolin. *In quo autem nobis venerabilem Andream Cricium, secretarium nostrum, commendat rogatque, ut eum ad preposituram S. Floriani, que ad presens vacare perhibetur, promoveamus, quoniam ea fama nondum satis liquet et nos non consuevimus aliquid leviter ac precipitanter agere, nihil adhuc certi Mti. vre. respondere possumus, tamen ubi liquido constabit, eandem preposituram vacare, habebimus singularem et benignam rationem intercessionis vre. Mtis. nec preces illius obaudire volumus. Que felicissime valeat etc.*

CCCLXXXV. Tractatio pacis inter Sigismundum, Regem Polonie, et Basilium, Moscorum ducem, per oratores Maximiliani, Cesaris.

Finita oratione jussu Sermi. principis et Mg. ducis Moscorum nos contulimus ad aliam salam, ubi advenerunt tres consiliarii majores ac duo ex primariis secretariis, et licentiatis omnibus ex loco illo, dnus. Joannes Juryowicz ex consiliariis sic dicere incepit: Cod. R.

Magnus Basilius dei gratia imperator et dominator totius Russie et Mg. dux intellectis expositis per vos dominos oratores et consiliarios fratris sui charissimi Maximiliani d. g. imperatoris Romanorum, supremi regis et magni domini, misit magnum consiliarium suum dominum Georgium Theodorowicz, cui Dtiones. vre. possunt et debent referre ea, que habent in secreto a fratre suo charissimo Maximiliano d. g. imperatore Romanorum, supremo rege et magno dno., exponenda, deinde eidem magno Basilio d. g. imperatori et dominatori totius Russie et magno duci.

Et iterum incipiendo: Magnus Basilius etc. sub eadem forma misit consiliarium suum et supremum thesaurarium, dnum. Georgium Dimitrowicz seq. ut supra.

Secundo loco incepit dnus. Georgius Dimitrowicz, thesaurarius, et sequutus est eandem formam nominando duos collegas consiliarios et secretarios.

Et tertio loco idem dnus. Georgius Theodorowicz nominando duos collegas et secretarios.

Postmodum uterque ipsorum separatim et de per se fecit instantiam, ut eis secretum et particulare sacratissimi imperatoris domini nostri revelaremus. Declaravimus ipsis impertinere nos aliter nec ultro procedere: cum jam orando satis aperte propalavissemus et declaravimus Sermo. Basilio d. g. imperatori etc. intentionem et summum desiderium sacratissimi

Maximiliani

MDXVIII. Maximiliani, Christianorum imperatoris etc., quod pax Sertis. sue et subditis omnino utilis et reipublice christiane necessaria cum Sermo. rege Polonie iniretur et donec non haberemus intentionem prefati Sermi. principis, non convenire nos descendere ad capitula et conditiones pacis. Ideo super hoc institimus nobis dari declarationem nosque postmodum super declaratis esse fundaturos intentionem nostram. Qua responsione intellecta se contulerunt ad Sermum. principem, ut haberent verbum suum, et revertentes ad nos aliqualiter duri et confusi, iterum melius instructi se contulerunt ad ipsum Sermum. principem. Et exinde ad nos revertentes retulerunt: magnum Basilium d. g. imperatorem etc. satis aperte per oratores suos denuo et per Sigismundum de Herberstain, consiliarium et oratorem S. Imperatoris, declarasse fratri suo charissimo Maximiliano etc.: se velle pacem equam et condecentem cum Sigismundo, rege Polonie, et ita nobis declarat. — Ideo instantes, ut conditiones declararentur, quibus intellectis devenimus ad particularitatem et declarationem organo dni. Antonii.

VERBA ET COHORTATIO ORATORUM CESARIS AD CONSILIARIOS MOSCORUM DUCIS.

Cod. R. Cum sit notorium clareque constet, non elaborabimus, mgci. et clarissimi domini consiliarii, Mgciis. vestris declarare fraternum singularem amorem, quo Maximilianus, divina favente clementia Romanorum imperator, semper augustus etc. dnus. noster gratiosissimus, Sermum. et potentissimum principem vestrum prosequitur, unde ex ipsius fraterni amoris confidentia non deterritam Mtem. suam imperialem posse adhuc etiam inter Sertem. suam et Sermum. Polonie regem inducere concordiam et pacem, quamvis omnes labores et conatus Mtis. sue cesaree in componenda ipsa pace irriti et frustra fuere, sicuti a spectabilibus Mtis. sue imperialis dilectis Volodomerio Plemenico, secretario, et Isdoma, interprete Sertis. sue, oratoribus, ac Sigismundo de Herberstain, Mtis. sue cesaree consiliario et oratore, istis diebus preteritis apud Sertem. suam intellexit: quam ob rem, ut supra diximus, non deterrita Mtas. sua imperialis nos ista de causa, ut pacem ipsam tractemus ad Sertem. suam misit; que vero pax isto tempore non modo concernit beneficium et utilitatem utriusque partis, quantum etiam bonum et commodum totius reipublice christiane, quam Turce, crudelissimi christiani nomini hostes, invadere et destruere minantur. Ex quo Mtas. sua cesarea, tanquam optimus Sertis. sue frater ac imperator, omnium Christianorum caput, cujus est inter christianos principes discordes seminare unionem et pacem, instante eo magis ista urgentissima necessitate, hortatur Sertem. suam, ipsius Christianitatis membrum, quod pro defensione reipublice christiane ac pro servitio Christi, qui pro nostra redemptione non dubitavit accipere humanam carnem ac immanissimimum crucis subire tormentum, velit cum Sermo. Polonie rege facere pacem, sicuti et alii principes christiani, qui quamvis inter se bella intestina, et majoris importantie quam ista gerebant, fecerunt, ac uniti contra ipsos tyrannos Turcas accipere arma decreverunt, quod et sperat Mtas. sua imperialis Sertem. suam facturam, cujus bonitatis, magnanimitatis et potentie esset instructissima cesarea Mtas. sua, que vellet, quod talis fama celebris Sertis. sue ita ubique volaret et presertim

sertim inter christianos principes, et quod non diceretur: Sertem. suam et Sermum. regem MDXVIII. Polonie solos discordes fuisse ab omnibus aliis principibus christianis in tanta sanctissima et urgentissima expeditione. — Vellet igitur imperialis Mtas. sua ad honorem altissime et individue trinitatis ac gloriosissime virginis Marie totiusque curie celestis ac intuitu Mtis. sue, charissimi Sertis. sue fratris, quod Sertas. sua esset contenta, firmare perpetuam pacem cum Sermo. Polonie rege juxta conditiones federum, que prius inter Sertem. suam et Sermum. ipsum regem Polonie fuerunt facte, et que in preteritum cause non potuerunt movere animum Sertis. sue ad pacem ipsam, moveat nunc necessitas reipublice christiane, que in tanto evidentissimo periculo jacet. Faciet enim Sertas. sua deo opt. max. oblationem acceptissimam, qui malum pro malo non reddidit, sed pro transgressoribus exoravit, et faciet universe religioni bonum et omne commodum Sertique sue laudem et honorem ac subditis amplissimam animi satisfactionem et Maximiliano imperatori, domino nostro clementissimo etc., rem pergratissimam omni vicissitudine erga Sertem. suam recompensandam.

RESPONSUM DUCIS MOSCORUM ORATORIBUS CESAREIS FRANCISCO DE COLLA ET ANTONIO DE COMITIBUS.

Magnus dominus Basilius, d. g. imperator ac dominator totius Russie et mg. dux, mandat dici vobis: Antea frater noster Maximilianus, electus Romanorum imperator et supremus rex, fecit nos hortari non una vice per suos et nostros oratores, ut nos cum Sigismundo rege pacati essemus. Post hoc autem frater noster misit ad nos suum oratorem Sigismundum Herberstain. Dicebat vero nobis a fratre nostro orator suus Sigismundus hortando nos, ut nos ob amorem fratris nostri Maximiliani, imperatoris et supremi regis, cum Sigismundo rege pacem faceremus.

Mg. dnus. Basilius d. g. imperator et dominator totius Russie etc. mandat dici vobis: Vos quoque nunc ex parte fratris nostri Maximiliani, electi Romanorum imperatoris etc., de eodem retulistis, quod frater noster etiam nunc cordiali optatu inter nos et Sigismundum, regem Polonie, pacem et concordiam requisivit etiam propter christianam rempublicam, quia soltanus Turcarum imperator per multas distantias principum christianorum sub se convertit etiam quatuor sedes majores generalium patriarcharum Christianitatis et alia multa Christianorum dominia sub se tenet. Simili modo nunc idem Selimsach sultanus in destructionem regis Persarum et in victoriis nuper factis duobus sultanis Egipti elevatus est et augmentat exercitum suum terrestrem atque maritimum et vult arma movere contra alia Christianorum dominia, et conatur, ut istos dominos posset destruere ac dominia ipsorum sibi subjungere. Et si nunc contra ipsum non providebitur nec contra stabitur, nec expeditio tractabitur, tunc contra ipsum frustra erit attentatio.

Mg. dnus. Basilius d. g. imperator etc. mandat dici vobis: Illa de causa frater noster Maximilianus, electus imperator etc. multos reges ac principes ad pacem et concordiam induxit, habitoque consilio cum eis constituit, ita quod vult stare contra sultanum Turcorum, non expectando Turcorum sultani invasionem, sed magis in regnum suum ac dominium vult invadere,

MDXVIII. invadere, sed forte non se movebit propterea quod nos cum Sigismundo rege pro nunc adhuc non sumus pacati.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dici vobis. Intellexit frater noster Maximilianus, electus etc. a suo consiliario et oratore Sigismundo Herberstain et a nostro secretario Volodimirio ac ab interprete nostro Isdoma, quod inter nos cum Sigismundo, rege Polonie, pax non est confecta.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dici vobis. Etiam illud a suo oratore atque a nostris nunciis bene intellexit, que injurie et fractiones facte sunt avo et patri nostro magno domino Joanni d. g. imperatori etc. etiam nobis a regibus Polonie; simili modo et hoc bene intellexit, que verba retulerunt oratores regis, quod cum Sigismundo rege et inter nos pax non est facta, non deterrita sua Mtas. mittere ad nos, vos suos oratores.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dici vobis. Vos autem ex parte fratris nostri Maximiliani etc. petendo nos retulistis nobis, quatenus nos intuitu fratris nostri contra Christianitatem iram nostram deponeremus, etiam Sigismundi regis injurias nobis factas dimitteremus propter commodum ambarum partium, etiam propter hoc, ut contra Infideles pro Christianitate stare, cum Sigismundo autem rege ut vellemus esse in perpetua pace eodem modo sicut nos fuimus cum eo in pace preterito tempore.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dici vobis. Nobis non bene notum est, in quo tempore avus istius sultani Machumet vicit Constantinopolim et alia multa dominia Christianorum et nunc nepos suus Selimsach soltanus vicit Egiptum, Hierusalem et totam regionem Palestine et super duobus sultanis Egipti et super regem Persarum ipsius victoria nobis nota.

Nos vero sicuti prius a dno. deo rogavimus ita et nunc a dno. deo postulamus: utinam dominus deus nobis, Christianorum dominis, contra Christianorum inimicos infideles adjutorium et valetudinem suam mitteret et nostra dominia Christianorum sub nobis Christianorum dominis essent. Et quando superioribus temporibus pro Christianitate stetimus atque Christianitatem ab Infidelibus fovebamus, eodem modo et nunc pro Christianitate contra Infideles volumus stare atque defendere ab eisdem, quantum nobis dnus. deus adjuvabit. Et volumus hoc semper videre, ut Deus daret per nos, Christianorum dominos, Christianitas ut semper in quiete at que bona conservatione esset.

Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandat dici vobis. Quod autem ex parte fratris nostri Maximiliani electi etc. nobis retulistis, quatenus nos cum Sigismundo, rege Polonie, essemus pacati; nos vero sicuti superioribus diebus ad fratrem nostrum in commissione dedimus cum suis atque cum nostris oratoribus, quod ob amorem fratris nostri Maximiliani cum Sigismundo rege pacem volumus prout erit conveniens. Etiam Sigismundus rex habuit missos suos oratores ad nos, sed inter nos illa pax non est facta non per nostram partem, sed per partem regis Polonie. Quando autem nostri consiliarii de pace cum oratoribus Sigismundi regis tractaverunt, fratris nostri orator Sigismundus Herberstain illa audivit.

Mg. dominus Basilius etc. mandat dici vobis. Etiam nunc si rex Sigismundus voluerit nobiscum pacem mittetque oratores suos ad nos pro pace, tum nos intuitu fratris nostri Maximiliani etc. cum rege Sigismundo pacem volumus prout erit conveniens.

Mg.

Mg. dnus Basilius etc mandat dici vobis. Quod autem dixistis nobis: quatenus nos cum rege Sigismundo essemus in pace eodem modo sicuti fuimus cum eo superiori tempore, hoc bene notum est fratri nostro Maximiliano etc quomodo nostrum patrimonium, Russie civitates, reges Polonie tenent sub se injuste: prioribus autem temporibus fuit in pace cum patre nostro magno dno. Joanne d. g. etc. ac mg. duce Alexander rege. Tunc pater noster mg. dnus. Joannes propter pacem et bonam concordiam et propter hoc, ut sanguis christianus inter eos non funderetur, similiter ut bona conversatio inter eos esset, illas civitates terre Russie attinentes, suum patrimonium, tunc sibi permisit. MDXVIII.

Mg. dnus. Basilius etc mandat dici vobis. Post hoc rex Sigismundus fuit nobiscum in confederatione et quas civitates Russie, nostrum patrimonium, simili modo tenuit sub se injuste. Nos vero illas civitates, nostrum patrimonium, sibi permisimus propterea, ut inter nos esset pax et quies et ut ultra sanguis Christinorum inter nos non effunderetur etiam ut bona conversatio inter nos esset. Nunc autem nos nostrum patrimonium, civitates Russie, quas Sigismundus rex adhuc tenet sub se injuste, quare debemus permittere uti?

Mg. dnus. Basilius d. g. etc mandat dici vobis. Etiam quod dixistis nobis, ut nos illas deponeremus injurias, quas nobis intulit rex Sigismundus, nos autem ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. etiam propter ejusdem petitionem, similiter propterea, ut inter nos cum Sigismundo esset pax et quies, et ut sanguis christianus ultra non effunderetur: que injurie nobis a rege Sigismundo illate sunt, illas omittimus, que autem injuste cause facte sunt sorori nostre regine et Mg. ducisse Helene, ut rex Sigismundus de sorore nostra regina ac Mg. ducissa Helena nobis satisfaceret.

Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandat dici vobis: propter autem fratris nostri Maximiliani electi etc. hortationem cum rege Sigismundo pacem et concordiam volumus prout erit nobis conveniens.

PETUNT ORATORES CESAREI DECLARARI SIBI VERBA ISTA: UT NOBIS ERIT CONVENIENS.

Et quoniam ex supra contentis dum prius ore tenus per consiliarios ducales exponeretur continue concludebatur: Sermum. principem cum Sermo. Polonie rege velle pacem et concordiam sibi convenientem, et pacem quomodo nos proposueramus vel conditiones illius renuebant, quesivimus: ut declararent nobis, que pax sibi convenire videbatur, ut sciremus: quomodo nos regere et citius dari posset expeditio presenti practice, ne longa mora aliquod prejudicium inferat christiane reipudlice, nobis per interpretem subsequentem presentari fecerunt scripturam.

RESPONDENT CONSILIARII MOSCICI SUPER PREDICTO DUBIO.

Quid autem locuti fuerint oratores Maximiliani imperatoris etc dnis. consiliariis et quid magnus dnus. mandat ex parte sua responderi per suos consiliarios oratoribus Maximiliani super verba eorum.

Mg.

MDXVIII. Mg. dnus. Basilius d. g. etc mandat dici vobis isto modo. Cum rege Sigismundo inter nos confederatio non convenit esse quo modo nobiscum Sigismundus rex fuit in confederatione superioribus temporibus, sed ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. cum Sigismundo rege pacem et bonam concordiam volumus sicut nobis convenit.

Oratores autem Maximiliani locuti fuerunt Mg. dni. consiliariis: quatenus Mg. dnus. vellet nobis declarare, quomodo inter eos cum Sigismundo rege pax convenit esse.

Et Mg. dnus. Basilius etc. juxta petitionem dictorum Maximiliani oratorum renunciavit per suos consiliarias.

Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandat dici vobis. Dixistis consiliariis nostris, qualiter nobis pacem cum Sigismundo rege convenit habere. Nos quippe propter fratris nostri Maximiliani etc. petitionem, etiam propterea, ut inter nos esset pax et quies, similiter ut sanguis christianus ultra non effunderetur, cum rege Sigismundo pacem et concordiam bonam volumus sicut convenit. Que autem injuste cause facte sunt sorori nostre regine et Mg. ducisse Helene etiam ac nostro patrimonio, civitatibus Russie de Kiiow et aliis civitatibus, quas rex Sigismundus nunc usque hoc tempus adhuc tenet sub se injuste. Quando autem venient a Sigismundo rege ad nos ipsius oratores, tunc de hoc possunt verba fieri.

DISCEPTATIO INTER ORATORES CESARIS ET CONSILIARIOS DUCIS MOSCORUM.

Die II Augusti tres consiliarii, duo secretarii et duo interpretes venientes ad hospitium mei, Francisci, ubi aderat etiam collega meus in presentia Joannis de Thurre, post amicabiles salutationes querentes a nobis si vidissemus scripturas suas et quid de eis sentiebamus, fuit per nos responsum sub forma inscripta organo prefati college mei. Ex causa cujus responsionis et etiam illarum precedentium emerse sunt varie difficultates et disputationes et precipue sub articulo pacis ineunde sub forma ultimi federis et super particula de reducendo partes ad pristinum, si quid post federa innovatum esset.

Ubi consiliarii mentionem faciunt: Sermum. regem Polonie contra amicitiam et fedus concitasse Tartaros infideles ad invadendum ipsius Sermi. principis statum cum maximo sue Sertis. et subditorum suorum damno et jactura. Querentes super hoc etiam haberi ratio. Denuo post multas et longas disputationes, videntes nos ipsos constantes nolle ad pristinum aliquid reducere neque restituere, sed stare super dubiis responsionibus suis et opinionibus, declaravimus illis aperte: nos non posse transgredi conditiones nostras et commissiones, quibus injunctum est, ut secundum fedus ultimum nos pacem firmare tentaremus, de qua pace cesarea Mtas. ob fraternum amorem, quo prosequitur Sermum. principem, non dubitabat fieri difficultatem, querendo, ut tempore hujus urgentissime necessitatis christiane reipublice, cujus membrum est Serenitas sua, non renueret federi: cui prius non requisita a tali fratre minusque instanti tam urgenti necessitate prestiterat consensum cum aliis multis verbis ad propositum concludendo. Quod postquam Dtiones. sue erunt hujus constantis opinionis, quod vellent pro exoneratione nostra declarare et intimare presentem nostram disputationem cum tenore scripture Sermo. principi, ut si melius et majori

jori cum consideratione Sertas. sua aliquid ultra declarare intendit, sit locus. Casu quo nollent procedi, rogarent Serenitatem suam, ut nos admitteret ad presentiam suam pro majore satisfactione animi nostri. MDXVIII.

VERBA ORATORUM CESARIS
AD CONSILIARIOS DUCIS MOSCORUM.

Heri per Dtiones. vestras, mgci. patres, nomine Sermi. principis vestri ore propositionibus nostris circa pacem datum fuit responsum, quod etiam responsum sic nobis petentibus habuimus ab ipsis Dtionibus. vris in scriptis et simul habuimus propositiones pacis, quas nobis proposuerunt Mgcie. vre. juxta desiderium et voluntatem Sermi. principis, que omnia pro parva capacitate ingenii nostri et revidimus et relegimus, et tandem illud, quod ex tempore dedimus ideo juxta commissiones nostras responsum illud Dtionibus. vris. etiam in presentiarum et voce et scriptis damus, videlicet: quod Maximilianus, divina favente clementia electus Romanorum imperator, semper augustus, frater charissimus Sermi. principis vestri, habita vera intelligentia et informatione a dno. Sigismundo de Herberstain, Mtis. sue cesaree consiliario et oratore, qui egit apud Sermum. principem vrum. istis preteritis diebus, de controversiis et differentiis pendentibus inter Sermum. principem vrum. et Polonie regem. Et habita consideratione reipublice christiane, quam isto tempore Turce, crudelissimi christiani nominis hostes, invadere et destruere minantur, confisus in fraterno amore, quo Sermum. principem vrum. prosequitur, nos ad Sertem. suam misit, ut cum ipsa pacem tractaremus juxta conditiones federum, que prius fuerunt facta inter Sertem. suam et Polonie regem, et quodsi aliquid innovatum esset isto tempore preterito, in pristinum restitueretur, sperans Mtas. sua imperialis, quod talem pacem sine aliqua difficultate Sertas. sua firmaret, attento religionis christiane periculo, hortatione ac precibus ces. Mtis. sue, et quod alias Sertas. sua ipsam talem pacem firmat. Et quia Mgcie. vre. nomine Sermi. principis nobis proponunt: quod si Sigismundus rex vult pacem, mittat oratores suos et quod tunc super pacem fient verba, respondemus sicuti respondimus: quod nostrum non est pretermittere commissionem nostram, que est, ut nos pacem ipsam cum Serte. sua tractemus. Et si hoc dicitur, ne jurisdictiones Sermi. principis amittantur, ex nunc nos obtulimus Serti. sue, quod quandocunque habebimus aliquam certitudinem pacis juxta voluntatem cesaree Mtis. dare operam, quod oratores ipsius regis venient ad Sertem. suam petendo pacem. — Circa vero violationes federum, nostrum non est in causa ista quid juris discernere, nec minus discernere circa injurias, quas asserunt Dtiones. vestre factas Serme. Helene, regine, sorori Sertis. sue per Sermum. Polonie regem, nec etiam circa terras et loca, que possidet et tenet Sermus. rex Polonie spectantes Serti. sue. — Nostrum tantum est, mgci. patres, componere pacem Sermo. principi vro. sicuti proposuimus, quam tenebat pro certo Mtas. sua imperialis, quod Sertas. sua intuitu dei, reipublice christiane ac cesaree Mtis. sue ratificare deberet, cum alias Sertas. ipsam ratificasset petitionibus ipsius regis Polonie, a quo talesmet, quales nunc allegant Dtiones. vre. dependebant injurie et querele. Et si igitur, mgci. patres, Sertas. sua fuit illo tempore sua bonitate et gratia contenta omnibus aliis omis-

 sis

MDXVIII. sis cum ipso rege firmare pacem, quanto magis deberet nunc ipsi paci annuere ad dei gloriam, ad commodum et defensionem reipublice christiane ac ad instantiam Maximiliani Christianorum imperatoris. Nam quid dicent christiani principes, quando intelligent, alias suam Sertem. fecisse pacem cum rege Polonie, stantibus talibus injuriis et querelis, et nunc nolle ipsammet pacem habere, instante urgentissima necessitate christiane reipublice, que in tanto periculo evidentissimo jacet. Hec pauca dignabuntur Dtiones. vre. Sermo. principi referre et nos de voluntate sue Sertis. reddere certiores, que non egre ferat, quia sicuti convenit, que in mandatis habemus, exequimur.

Eadem die II Augusti venerunt ad nos domini Theodorus Borissovicz et Volodimiro et ex parte Sermi. principis nobis intimarunt: Sertem. suam pro sequenti die de mane nos coinvitare ad presentiam suam juxta requisitionem nostram.

ORATIO ORATORUM CESARIS AD MOSCORUM DUCEM PER FRANCISCUM DICTA.

Fuimus, Serme. Basili, imperator et dominator Russie, magne dux et domine, cum consiliariis Sertis. vestre et omni studio ac officio perquisivimus modum conveniendi pro pace et concordia inducenda inter Sertem. vram. et Sermum. Polonie regem, pro qua tam diu per elapsum ad utriusque partis commodum laboravit Sertis. vre. frater optimus, Maximilianus, sacratissimus Christianorum imperator, dominus noster, et modo tanquam Christianorum ipsorum caput, cui spectat habere curam reipublice christiane cogitur continuare. Et cum propter difficultates, que emergunt, simus anxii et dubii, pacem ipsam induci posse maxime in brevi sicuti expediret propter presentes necessitates et importantias, ne ob longas moras periculum, in quo versatur reipublica christiana, augeatur et ne importune principes christiani, qui jam expeditionem generalem adversus Turcas, christiani nominis sempiternos hostes, constituerunt cum detrimento et periculo particularibus dissensionibus et bellis retardentur vel impediantur, duximus auctoritate cesarea et qua in hoc fungimur Serti. vre. nunciare et aperire summum pontificem cum universo collegio cardinalium ac interventu oratorum fere omnium regum et principum christianorum, ut tollerent impedimenta, que propter bella inter aliquot principes vigentia resultabant, instituisse et publicasse inducias quinquennales inter omnes reges ac principes christianos hac tantum de causa, ut expeditio ipsa communibus talius Christianitatis viribus concorditer suscipiatur, ad quam cum ut membro Christianitatis dignum sit et necessarium, Sertem. vram. et Sermum. Polonie regem accedere et auxilium afferre et non privatis dissensionibus detineri, quominus in commune consulere valeant. Itaque pro bono et commodo ipsius totius Christianitatis invictissimus sacratissimus imperator omni studio et ferventia hortatur et obtestatur Sertem. vram. tanquam fratrem suum charissimum, ut postquam de pace pronunc non est dare modum aut tam cito conveniri non possit, ne hujusmodi particularibus dissensionibus et impedimentis christiane reipublice prejudicium inferatur, saltem de presenti inducias ipsas quinquennales, ut a summo pontifice cum interventu et auctoritate aliorum regum et principum Christianorum institutum et publicatum est, acceptare et ratas habere velit:

velit: quo tempore et spatio commodius terminari poterunt difficultates et pax perpetua de facili inducetur, ac unaqueque Sertum. vrarum. quod possident tenebit sine prejudicio jurium suorum. Ipsaque sancta expeditio contra Turcos adeo necessaria tempore congruo omnique impedimento remoto ab omnibus christiani nominis regibus et principibus suscipiatur. Ad quam Sertas. vestra tanto citius parari poterit, quod quidem omnipotenti deo erit acceptabile, christiane reipublice commodum et in specie sacratissimo imperatori satisfactorium et summe gratum, denuoque conveniens tanto principi, sicuti vra. Sertas. est ac omni laude dignum. MDXVIII.

Die VIII ejusdem per solitos conductores nostros fuimus conducti ad presentiam Sermi. principis et Mg. dni. et post salutationes et inclinationes nostras ad parvam moram fuimus jussu sue Sertis. conducti ad aliam salam, ubi cum consiliariis super induciis habuimus responsionem sequentis tenoris pariter ex tempore super eis tractamentum ut apparebit infra.

RESPONSUM DUCIS MOSCORUM ORATORIBUS CESAREIS.

Mg. dominus Basilius d. g. imperator et dominator totius Russie etc. mandat dici vobis. Dixistis nobis, quod mandavit vobis frater noster Maximilianus, electus etc., nobis declarare, quod cum regibus et principibus christianis constituerunt inter se inducias quinquennales propter utilitatem reipubl. christiane contra christiani nominis inimicos scil. Turcos.

Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandat dici vobis. Vos autem dixistis nobis petendo nos ex parte fratris nostri Maximiliani, electi etc., si forte inter nos et regem Sigismundum pax perpetua atque confederatio non potuerit confici, ut nos intuitu fratris nostri Maximiliani cum Sigismundo rege acciperemus inducias ad quinque annos, ut deus daret, quod christiane reipublice nullum esset impedimentum. Interim vero inter nos commodius determinabuntur difficultates magne, etiam pax perpetua posset fieri, quis autem ex nobis, quas civitates et loca possidet, illa tenebit.

Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandat dici vobis. Fratri autem nostro Maximiliano etc hoc bene notum est, que injurie magne per Sigismundum regem nobis illate sunt, etiam quas civitates terre Russie attinentes nostrum patrimonium tenet sub se. Ergo frater noster Maximilianus etc. intelligendo hoc ad nos misit suum oratorem atque consiliarium Georgium Snyczbauer et factus est nobiscum in fraternitate ac perpetua confederatione.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dici vobis. Etiam postea frater noster Maximilianus etc. habuit missos ad nos suos oratores et cum istis suis oratoribus et nunciis etiam cum nostris oratoribus et nunciis nobis significavit atque in suis literis non una vice nobis scripsit: quod fuerunt apud ipsum Hungarie rex Vladislaus et Sigismundus, Polonie, in ipsius civitate Vienna, et de omnibus discordiis Sigismundus rex obtulit se fratri nostro Maximiliano electo etc. Quas autem injurias Sigismundus rex ad nos habet, etiam de istis omnibus Sigismundus rex obtulit se voluntati fratris nostri Maximiliani etc. Tunc frater noster Maximilianus etc. vobis in commissione dedit, ut nos ob amorem fratris nostri cum Sigismundo rege pacati essemus. Nos autem cum Sigismundo rege volebamus pacem habere atque

MDXVIII. atque querebamus hoc omni modo, ut ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. cum Sigismundo rege ad pacem possemus venire; sed Sigismundus rex nobiscum vult pacem non prout convenit. Qualiter autem inter nos convenit cum Sigismundo rege pacem habere, ipse illo modo nobiscum pacem non vult et si nobiscum Sigismundus rex pacem vult non ita sicut convenit, tunc signum est, quod non vult nobiscum esse in perpetua pace atque in cordiali amore. Nobis itaque cum Sigismundo rege nec inducias accipere fuit congruum.

Mg. dnus Basilius etc. mandat dici vobis. nunc autem ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. ipsiusque propter petitionem etiam propterea, ut inter nos pax esset et quies, similiter ut sanguis christianus magis non effunderetur etiam ut Christianitas esset in tranquillitate atque conservatione nostra cum Sigismundo rege inducias accipere volumus ad quinque annos sicut erit conveniens.

RESPONSIO ORATORUM EX TEMPORE ET VOCE.

Quibus quidem supra contentis per nos responsum est. Sermum. principem et Magnum dominum optime deliberasse et sicut convenit sapienti et religioso principi acceptando tam justas et laudabiles inducias; sed quia additur aliud verbum: sicut est conveniens. Desideramusque declarationem, si quid sub illo verbo latet.

REPLICATIO CONSILIARIORUM.

Tunc per istos consiliarios fuit ore nobis data sequens declaratio et responsum, quod ex inde etiam in scriptis transmiserunt.

TENOR DECLARATIONIS EX PARTE SERMI. PRINCIPIS ET MG. DOMINI.

Quomodo autem inter Mg. dnum. et Sigismundum regem convenit inducias esse: Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandavit vobis illud declarari: quas civitates et oppida, patrimonium suum, dnus. noster tenet et quas civitates et oppida Sigismundus rex hucusque tenet, et quando deo dante venient ad Mg. dnum. Sigismundi regis oratores, tunc literis inducialibus inscribere istas civitates et oppida atque loca patrimonii dni. nostri, sicut gubernant huiusque subditi dni. nostri, etiam civitates, oppida atque loca sicut gubernant hucusque Sigismundi regis subditi. Similiter de justiciis faciendis ex utraque parte, captivis autem ex utraque parte libertas.

RESPONSUM ORATORUM CESARIANORUM AD DECLARATA DUCIS MOSCORUM: EX TEMPORE.

Audivimus hilari animo Sermum. principem et Mg. dnum. in contemplationem fratris sui Maximiliani etc. deliberasse inducias quinquennales adeo justas et convenientes acceptare et eis annuere, sed quia apponuntur illa verba; quas civitates et oppida patrimonium suum etc.

etc. cum duabus subsequentibus conditionibus adjunctis, scilicet: quod veniant oratores pariter et quod captivis hincinde sit libertas, turbati sumus et dubitamus, immo per expressum cognoscimus, rem poni in majori difficultate et discrimine quam prius esset. Nam primo quo ad illa verba: quas civitates et oppida etc. non expedit, ut oratores Sermi. regis Polonie hoc faciant, quia jam interpositione nostra induciarum satis clare descripsimus, unamquamque partem stare in terminis suis, et quod tenet possidere durantibus induciis et sine prejudicio jurium, que cum proponantur a cesarea Mte., multo fortiora sunt, quam si proponerentur et corroborarentur ab oratoribus prefati Sermi. regis Polonie, maxime cum sacratissimus imperator in validationem ipsarum induciarum sit paratus reducere ipsum Sermum. regem ad omnem laudationem et corroborationem et manu propria ac sigillo et juramento firmare, quod per nos hic concludetur. MDXVIII.

Quo vero ad conditionem, quod mittantur hic oratores, videtur impertinens, nec tempus presentis importantie patitur talem dilationem, maxime cum presentes inducie non requirantur per Sermum. regem Polonie, sed ex officio et auctoritate cesaree Mtis., Serenitatum suarum communis fratris, et cui pertinet sedare discordias inter principes christianos maxime presenti tempore, quo christiana respublica stat in tali discrimine et periculo, pro cujus conservatione reliqui principes christiani moti sunt ad concordiam. Et licet majores fuerint inter aliquos ipsorum difficultates, permiserunt tamen ipsas sedari et de omnium ferme concordia inducie quinquennales, quibus annueri per Sertem. suam perquisivimus, fuerunt per summum pontificem Rome institute et publicate: ne expeditio tam sancta et necessaria contra infideles Turcas dissensionibus particularibus retardaretur; nec in eis queruntur, vel apponuntur conditiones, sed tantum secundum naturam induciarum unusquisque annuit deponendo arma ac ab armis et injuriis cessando. Et ita videtur conveniens fieri per Sermum. principem et non aliter arctare regem Polonie, qui forte, amoto respectu christiane reipublice, non esset contentus de eis, cum oporteat ipsum quiescere et relaxare Smolensko, arcem et locum tante importantie statui suo, tamen ut Christianus oportebit patienter ferre, scimusque ces. Mtem. Sertem. suam non esse compulsuram ad tales oratores mittendos, maxime cum in anno preterito etiam ad requisitionem cesaree Mtis. fuerunt missi et reversi sunt infructuose et delusi, ut sepius conclamavit et sepius per oratores suos querelavit ac protestatus fuit ipse Sermus. rex, se amplius non missurum.

Pariter de captivis non videtur modus, quia talis conditio apud cesaream Mtem. non fuit in consideratione et si etiam fuisset, semper timuisset aliquam ex partibus gravare propter importantiam captivorum. Et quia non querit etiam, ut status restituatur, cui abreptus est per presentes inducias, sed solum, ut eis annuatur, sicut Rome institutum ac publicatum est et sicuti alii principes annuerunt. Nam injustum esset in induciis aliquam ex partibus gravare ultra id, quod inter alios principes conventum est. Ideo videtur dignum et laudabile, si prefatus Sermus. princeps illis annuet, nosque erimus parati tales inducias corroborari facere sigillis, manu et juramento Sermi. Pol. regis auctoritate cesaris et absque eo, quod vadant hinc inde oratores alicujus partis.

Consiliarii Sermi. principis accedentes Sertem. suam et instructi ad nos revertentes dixerunt contra eorum consuetudines: nequaquam princeps quidquam velle innovari, affirmantes antiquam

MDXVIII. antiquam esse consuetudinem, oratores regum Polonie hic venire, ideo veniant cum sigillis et scriptura manus regis ad jurandum. Pariter quo ad captivos nunquam auditum, quod in talibus casibus induciarum non relaxarentur et ideo servari, quod semper servatum est.

Contra allegatas consuetudines et consiliarios Sermi. principis diximus nos oratores: quo ad illam oratorum missionem, ipsam fuisse adimpletam per adventum illorum anno preterito, quando rex ad requisitionem ces. Mtis. misit ad requirendam pacem, sed modo non expedire, cum inducie sint diverse nature quam sit pax, cumque tales inducie non requirantur per Sermum. regem, nec ad ejus instantiam, sed per cesaream Mtem. ex officio suo pro servitio dei et reipublice christiane sueque cesaree Mti. concedende sunt, et Sermum. principem suam cesaream Mtem. ejus tam bonum fratrem cum satisfactione omnium principum christianorum de eis complacere, pariter quoad captivos, habemus exemplum ante oculos et in presentiarum casus apertissimos. Nam inter cesaream Mtem., et Venetos, inter quos duravit bellum per novem annos, fuerunt bis inite inducie absque eo quod captivi relaxarentur pariter inita est pax inter prefatam cesaream Mtem. christianissimum regem Francie ac catholicum regem Hispaniarum absque liberatione captivorum, nominando in specie comitem Christophorum de Frangepanibus et alios apud Venetos et marschalcum Navarie apud regem catholicum, denuo ineunde sunt inducie secundum naturam ipsarum, scilitet cessare ab armis tantum et non apponere conditiones.

Revertentes iterum consiliarii ad Sermum. principem et exinde ad nos retulerunt: Sertem. suam esse constantis animi, nolle aliter inducias, nisi conditionibus jam dictis admissis. Tunc requisivimus in scriptis talem deliberationem pro nostra exoneratione.

Et ego Franciscus cum intelligentia dixi erga Antonium, collegam meum, in presentia consiliariorum ipsisque audientibus et per interpretem admonitis impertinere nos amplius laborare existens Sermus. princeps hujus constantis animi et scientes nos pro certo tales conditiones non posse adimpleri. Ideo eram opinionis resolutam accipere licentiam.

De quibus verbis revertentes consiliarii post datam notitiam Sermo. principi, ad nos dixerunt: ipsum Sermum. principem velle nobis dare in scriptis intentionem suam, esseque in potestate nostra recessus; dominusque Antonius collega replicando dixit: quod licet ego Franciscus essem illius opinionis, quod tamen ipse esset animi, adhuc habere majorem considerationem et ita sine conclusione et cum aliquali discordia fuimus per solitos conductores nostros reconducti ad nostra hospitia et in sero per secretarium astantibus duobus interpretibus fuerunt presentate scripture, de quibus ante constat in duabus partibus et in duabus linguis, latine sc. et ruthenice. Die IX in sero venientibus ad me Franciscum causa visitationis dnis. Theodoro Borissovicz et Volodimiro cum interpretibus, videns Sermum. principem nec consiliarios aliqualiter mutare sententiam, stansque ego in practica illa recedendi, rogavi ipsos, ut vellent apud Sermum. principem orare pro me, ut si sua Sertas. non aliter indigebat persona et opera mea, vel aliter erat animi se disponere super practicam induciarum, quod nollet pati, me stare sic infructuose et sine honore cesaree Mtis. in hoc loco, sed permittere, me posse ire ad suam cesaream Mtem., ubi forte cum majori fructu tractatus esse possem.

Die X venerunt ad me suprascripti consiliarii et secretarii ex parte Sermi. principis et quesiverunt

siverunt certitudinem animi mei pro recessu. Quibus replicavi: nos oratores ad Sermum. principem venisse, ut Serti. sue proponeremus cum conditionibus honestis inter ipsum et Sermum. Polonie regem sicut fecimus pacem, utque, si esset difficultas super pace componenda propter importantias et pericula reipublice christiane, condescenderemus et proponeremus inducias eo modo, quo Rome institutum et publicatum fuerat per summum pontificem inter omnes principes christianos, sicuti fecimus, super quibus ore et scriptis habuimus constantem deliberationem Sermi. principis totaliter discrepantem ab his, que habemus in mandatis concludere et sepius facte instantie, ut inducie simpliciter et secundum naturam induciarum implerentur, nec videtur dare modum, ex quo ut functi officio nostro et frustra laborantes mihi videtur, quod sit bene, ut ambo oratores accedamus ad dominum nostrum, nisi forte Sermus. princeps pro aliquo bono respectu nobis ignoto vellet nos supersedere. Quo casu remittebam me voluntati sue Serenitatis, cujus mandata eram paratus adimplere. MDXVIII.

Iverunt pariter iidem consiliarii ac secretarii ad dnum. Antonium, collegam meum, et voluntatem suam etiam quesiverunt, qui respondit: se esse opinionis, quod ambo remaneremus et scriberemus difficultates expectando responsum. Nihilominus, quod videbat me contrarie opinionis et non sine ratione, et hoc modo proponebat deliberationem suam ambiguam.

Undecima die prefati consiliarii et secretarii revertentes, nobis prius premonitis, ut essemus simul et unicuique nostrum proposuerunt incipiendo a me Francisco et querendo deliberationem meam, si volebam manere et scribere ac expectare responsum. Nam Sermus. princeps erat animi, me convenienter tractare, si etiam omnino eram animi recedere, quod erat in potestate mea. Quibus illud idem respondi: quod si mansio poterat esse fructuosa, eram paratus stare ad omne placitum Sermi. principis, si autem esset vana et sine operatione, ut quid perdere tempus sine honore domini mei? Et facta per ipsos eadem instantia domino Antonio, intellectoque, ipsum esse animi, quod scriberemus rogando me ad supersedendum, donec haberemus responsum, cognito, quod omnino consiliarii desiderabant, ut manerem, dum sepissime fecissent instantiam pro resoluta deliberatione mea, dixi in contemplationem Serenissimi principis, quod manerem, ut scriberemus et expectaremus responsum, licet esset cum nota nostra, et parum sperarem. Et tunc iterato incepimus exhortari consiliarios ipsos, ut vellent omnino deliberare de presenti super ipsis induciis, ne daretur tempus et commoditas atrocissimis hostibus infidelibus et sempiternis christiani nominis christianam rempublicam tantum arctare, quod post modum non esset modus nedum contra eos agendi et in eorum provinciis, sed nec resistendi in nostris. Et postquam debebamus scribere, quesivimus declarationem verborum illorum in responsione Sermi. principis super tractatu pacis, quando dicitur: si venient oratores regis Polonie fient verba super injuriis Serme. regine Helene et super civitatibus Russie patrimonii etc., quid importent illa verba et quid sperandum vel declarandum sit sacratissimo imperatori, ut possit persuadere cum aliquo fundamento, quod illos mittat et sub re certa.

Dixerunt consiliarii, velle hoc referre Sermo. principi.

Die XII revertentes ad nos prefati consiliarii et secretarii sub pretextu antescripte declarationis

MDXVIII, tionis per nos requisite, renovavimus persuasiones et instantias super tractatu pacis et super induciis, et fuimus in longa disceptatione et tamen nullam majorem declarationem habere potuimus et semper ipsos invenimus sub opinione et conclusione, esse impossibile, quod consuetudines hujus regionis alterentur nec revocentur, et ita dubii ab utraque parte et sine conclusione recesserunt ipsi consiliarii ac secretarii cum solo ordine providendi pro accessu nobilis Jo. de Turre firmato pro die sabbati XIIII presentis cum literis et expeditione nostra. Nec aliter super dubio nostro habuimus declarationem, nisi prout stat in responsionibus Sermi. principis.

Die XIIII ejusdem, dum essemus pro expediendo nobili Jo. de Turre, venerunt ad nos dominus Joannes Joryowicz et duo secretarii cum interpretibus et ex parte Sermi. principis nobis presentarunt sequentem scripturam narrantes etiam, quod cum Sertas. sua de presenti habeat diversas gentes in variis locis per terram Lithuanie, ut prefatus Joannes transire possit tutus, velle sibi dare literas patentes.

VERBA CONSILIARIORUM MOSCI AD ORATORES CESAREOS.

Francisce et Antoni. Dixistis nobis heri, quod mittitis ad fratrem Mg. domini nostri Maximilianum, electum etc., Joannem de Turre latius sibi in scriptis res tractatus declarare, ut nos vellemus ista Mg. domino referre, quatenus Mg. dnus. mandaret vobis manifestare absconditos articulos, quos vobis dixerunt in majori responso de confederatione Mg. dni. Basilii d. g. etc. consiliarii, quando venient ad Mg. dnum. Sigismundi regis oratores et que injuste cause facte sunt sorori domini nostri, regine et Mg. ducisse Helene.

Item de patrimonio dni. nostri, de civitatibus Russie sc. Kiiow et aliis civitatibus, quas Sigismundus, rex, et nunc hucusque tenet sub se, de istis tunc verba possunt fieri.

Mg. dominus Basilius d. g. etc. mandat dici vobis: Que autem verba vos nobis ex parte fratris nostri Maximiliani, electi etc., de pace cum Sigismundo rege locuti estis, nos illa verba vestra audivimus et bene intelleximus et responsum vobis super istis verbis fecimus per nostros consiliarios etiam in scriptis super istis responsionibus mandavimus vobis dare nostris secretariis ut sicut nos vobis renunciavimus, vos vero juxta illum nostrum responsum potestis bene intelligere.

Etiam consiliarii locuti sunt. Dne. Francisce et Antoni. Que alie injurie preter sororis domini nostre regine et Mg. ducisse Helene Mg. dno. Basilio etc., a Sigismundo rege facte sunt, ille injurie fratri dni. nostri Maximiliano etc. bene note sunt. Nunc autem Mg. dominus propter hortationem fratris sui Maximiliani illas injurias, que Mg. dno. a Sigismundo rege facte sunt, omittit. Sed de istis difficultatibus, de quibus possunt verba esse tunc, quando venient ad Mg. dnum. Sigismundi regis oratores et incipient tractare oratores regis cum consiliariis Mg. dni. de pace et confederatione, quali modo inter dominum nostrum et Sigismundum regem charitas et confederatio debet esse et que civitates et oppida, patrimonium dni. nostri, nunc sub dno. nostro etiam quod suum patrimonium cum dei voluntate civitatem Smolensko dnus. noster recuperavit; illas civitates et oppida, dni. nostri patrimonium, scribere in literis confederationis in partem dni. nostri etiam patrimonium domini civitatem

civitatem Smolensko et terram Smolensko scribere etiam in partem dni. nostri. — Que autem civitates et oppida Sigismundi, regis, illas civitates et oppida scribere in literis confederationis in partem Sigismundi regis. Quas vero civitates domini nostri, patrimonium terre Russie, Sigismundus rex ex nunc tenet sub se hucusque, et que injuste cause facte sunt sorori domini nostri et Mg. ducisse Helene, et quando venient ad dominum nostrum Sigismundi regis oratores et incipient tractare cum consiliariis Mg. domini de charitate et confederatione, quomodo inter magnum dominum et Sigismundum regem debet esse charitas et confederatio, tunc dnus. noster propter hortationem fratris nostri Maximiliani, electi etc. etiam ea de causa, ut inter ipsos esset pax et quies et sanguis christianus amplius non effunderetur, prout erit conveniens Sigismundo, regi, permittet et e converso sicut erit conveniens Sigismundus rex dno. nostro dirigat. MDXVIII.

De captivis autem met nobiscum locuti fuistis sicut est inter dominos atque dominia consuetudo, quando inter dominos atque dominia pax conficitur, tunc captivis libertas ex utraque parte.

Etiam quod locuti fuistis de induciis, dnus. noster propter petitionem fratris nostri Maximiliani, electi etc., et propterea ut inter eos esset pax et quies etiam ut sanguis christianus amplius non effunderetur, cum Sigismundo rege inducias ad quinque annos vult. Quando autem, deo dante, venient ad Mg. dnum. Sigismundi regis oratores, tunc oportet in literis inducialibus scribere civitates, oppida atque loca, patrimonium dni. nostri, sicut tenent et gubernant hucusque subditi domini nostri. Etiam civitates, oppida et loca Sigismundi, regis, sicut tenent et gubernant hucusque subditi sui etiam de justitiis faciendis, qualiter debent esse ab utraque parte, captivis autem ex utraque parte libertas.

TRACTATUS PACIS INTER BASILISCUM, MOSCORUM DUCEM, ET SIGISMUNDUM, REGEM POLONIE, PER ORATORES CESARIS MAXIMILIANI, FRANCISCUM ET ANTONIUM.

Die XXI Septembris per dominum Joannem Christophorum Pauz, cesaree Mtis. familiarem, nobis imperialis Mtis. sue presentate fuerunt litere, date Auguste XI et XXII mensis Julii, quibus acceptis omni diligentia reverentiaque lectis, sequenter die XXII mgcis. dnis. ducis Moscovie consiliariis intimavimus, habere nos aliquas commissiones ab imperiali Mte., quas quam citius Dtionibus. suis data fuisset facultas, cum ipsis communicavimus et hoc in absentia Sermi. principis, qui superioribus diebus ad quandam civitatem suam Naualoch abhinc miliariis XXVIII distantem venatum iverat, et qui ante suum discessum, in commissione nobis dedit, ut si aliquid a ces. Mte. haberemus, id cum suis consiliariis tractaremus. Ipsi autem dni. consiliarii, illo eodem die ad nos duos secretarios miserunt, ut cum eis, que habebamus ageremus. Quibus respondimus, nos ex Sermi. sui principis commissione cum ipsis dnis. consiliariis tractare velle, vel ascendentes equos ipsum Sermum. principem convenire. Qua habita responsione, inito prius consilio die XXIIII ad nos venere mgci. dni. Georgius Dimitrowicz, Petrus Golovin et Theodorus Janikarp, consiliarii,

 secretariique

MDXVIII. secretariique tres et duo interpretes, quibus ego Franciscus tenorem literarum datarum XI Julii exposui ad materiam attinentes, et ego Antonius literarum datarum XXII Julii, que nihil ad causam pertinent, sententiam in scripto dedimus.

SENSUS LITERARUM DAT. XI JULII PER DOMINUM FRANCISCUM DE COLLO.

Sermus. imperator catholicus, dnus. noster, literis suis die XI Julii datis per proprium nuncium nobis injungit, ut procedendo et continuando officium nostre legationis apud Mg. dnum. fratrem suum Basilium d. g. etc. renovare debeamus hortationem et instantiam ad pacem cum Sermo. Sigismundo, rege Polonie, fratre sue ces. Mtis. et consanguineo: si de pace conveniri posset, sin vero minus, ad inducias quinquennales eo modo quo ceteri christiani principes fecere, significareque ipsi Sermo. principi et mgno. dno. fratri suo, se opposuisse nunc Turco Persarum regem Sophi cum ingenti exercitu, adhesisseque illi totam Arabiam, reliquias Mamelucorum ad bonum nuncium duos africanos reges, quos ipse Turcus eorum regnis ejecerat, denique totum jam Orientem Turcis nunc esse infestum, conflictum non posse differri, et ad hunc diem fortasse pugnam esse commissam, in qua Sophi superiorem fore magna spes sit. Utcunque cadat, necessario fore, ut Turcorum vires conterantur, sintque illis infestissimi hostes et eo audentiores, si Turcum a Christianis quoque infestari cognoverint; quin quosdam Turci duces viros et auctoritate et usu rei militaris non mediocris momenti et utilitatis, inter quos quendam capitaneum generalem nomine Barbarossam, cui dicunt ipsum Turcum multum tribuere et in eo magnam spem rerum suarum collocare, captos esse, pro comperto Mtem. suam cesaream habere. Quibus ex rebus maximam nunc esse spem Turcos jam debellari et ad internitionem redigi posse, modo christiani principes sibi ipsis deesse nollent, quod nullo pacto facere debent, ut aut laboribus devitandis aut privatis inter se inimicitiis exercendis hanc tantam occasionem et facultatem rei bene gerende de manibus amittant, quam postea frustra requisituri sint. — Que cum consideret Sermus. princeps, debere privatas suas discordias et quid habet offensionis cum prefato Sermo. rege Polonie communi totius Christianitatis utilitati ac orthodoxe fidei condonare et pacem perpetuam, si conveniri possit, sin minus quinquennales inducias inter jam dictos conficere. — Et quia Sertas. prefati Magni. domini abest, et ab illa nobis injunctum est, ut quod nobis tractari continget ex parte fratris sui in tempore sue absentie cum consiliariis suis id tractemus, ideo omne, quod habemus in mandatis exequentes, vobis dominis consiliariis explicamus, rogantes, ut quanto citius possibile sit totum desiderium sacratissimi imperatoris prefati Sermo. fratri suo Mg. duci significare velitis et bene super omnibus deliberare, secundum spem et desiderium sacrat. imperatoris, domini nostri, qui nedum ad universale commodum christiane reipublice tendit, sed et ad particulare ipsius Sermi. principis et communem eternam gloriam: quidve obvenerit, quantocius dignabuntur Dtiones. vre. nobis significare, ut de omnibus reddere possimus certiorem prefatam Mtem. cesaream juxta desiderium et mandatum suum.

Quibus auditis in scriptis habitis nobis ipsi mgci. dni. consiliarii respondere, velle per postas

tas

tas omnia nota facere Sermo. suo et sic expedierunt dnum. Theodorum Joanikarp supra nominatum consiliarium et dominum Isdoma interpretem ad Sertem. suam. MDXVIII.

Die ultimo Septembris idem dnus. Theodorus cum secretariis solitis ac interpretibus ore et in scriptis dedit nobis responsum tenoris subsequentis.

RESPONSUM MOSCORUM DUCIS, ANTONIO DE COMITIBUS ET FRANCISCO DE COLLO ORATORIBUS CESAREIS.

Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandat dici vobis. Retulistis thesaurario nostro et aliis consiliariis nostris atque secretariis, quod ex parte fratris nostri Maximiliani etc., venit ad vos nuncius ejus Joannes Christophorus, scripsit autem vobis frater noster et mandavit vobis personaliter nobis referre atque illa revelare, que contra inimicum Christianitatis Turcum opposuit se Persarum rex cum ingenti exercitu adhesitque sibi tota Arabia et reliquie Mamalucorum et duo Africarum reges, quos is Turcus ex ipsorum regnis expulit, similiter et omnes Orientales contra illum Turcum stant et jam conflictus differri non potest, capitaneus autem Turcorum nomine Barbarossa, cui Turcus multum fidem adhibebat ac in suis causis magnam in eo fiduciam habebat, et alii ejus duces sunt capti. Quo circa frater noster nunc eodem tempore cum regibus et aliis suis electoribus, cum quibus illam expeditionem concluserat, non vult omittere, quod ut ipse contra Christianitatis inimicum, Turcum, se non moveret aut propter labores illam deponeret, quia si contra ipsum nunc non insurgerent, tunc erit postea frustra ipsum faciendo.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat vobis dici. Frater noster Maximilianus, electus etc., scripsit mandavitque vobis, nobis referre et renovare pristinam suam ad nos petitionem, ut vos ex parte fratris nostri nos peteretis, quatenus nos propter publicam rem Christianitatis cum Sigismundo rege veniremus ad perpetuam pacem et concordiam bonam, et si non efficeretur inter nos pax perpetua ut nos cum eo acciperemus inducias eo modo, quo et alii domini cum eo inierunt inducias.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dici vobis. Scripsit vobis frater noster et mandavit vobis, nobis referre, quod rex Persarum cum aliis dominis se opposuit contra inimicum Christianitatis videlicet Turcum et jam illo tempore sperat fuisse pugnam et Persarum regem contra Turcum habuisse victoriam et capitaneum Turcorum et alios duces captivavit. Nos vero audientes talem victoriam contra Christianitatis inimicum Turcum, de hoc multum gaudemus. Et in futurum semper illud rogamus a dno. deo. omnipotente, utinam dnus. deus daret contra Christianorum inimicos nobis Christianorum dominis triumphum, et ut Christianorum dominorum manus contra inimicos Christianitatis elevata sit et inimici fratris nostri Maximiliani etc. et nostri sub pedibus nostris essent conculcati.

Mg. dnus. Basilius d. g. imperator etc. mandat dici vobis. Quod retulistis nobis, quod scripsit vobis frater, quatenus nos propter publicam rem Christianitatis cum Sigismundo rege essemus in perpetua pace, et si non contigerit nobis cum Sigismundo rege pax perpetua, ut nos cum eo acciperemus inducias. Nos vero et antea in responso consiliariis nostris

MDXVIII. nostris mandavimus dicere: quod propter fratris nostri Maximiliani etc. petitionem, etiam propterea, ut esset inter nos pax et quies, et ut sanguis christianus non effunderetur cum Sigismundo rege pacem et bonam concordiam volumus, prout erit conveniens. Si autem voluerit Sigismundus rex nobiscum inducias habere, tunc nos cum eo et inducias habere volumus sicut convenit. Ergo nunc et nos propter fratris nostri Maximiliani etc. petitionem cum Sigismundo rege pacem et inducias habere volumus. Quali autem modo convenit inter nos cum Sigismundo rege pacem atque inducias fieri, de istis consiliarii nostri vobis loquuti sunt et determinaverunt nostri consiliarii vobiscum, et misistis cum istis nostris verbis Joannem: si voluerit nobiscum Sigismundus rex pacem aut inducias, tunc pax et inducie inter nos ita debent fieri, sicut loquuti sunt vobiscum nostri consiliarii. Aliter autem cum Sigismundo, rege, pacem et inducias habere non convenit.

Die autem XVI. Decembris a dno. Georgio de Turri correspondente nostro accepimus literas (quarum notas cognovimus) datas Cracovie tertio Novembris, que nobis per Federicum, dni. Joannis de Turri familiarem, presentate fuerunt, quibus diligenter perlectis visisque rationibus ac ultima voluntate Sermi. Polonie regis, deliberavimus omni nostro studio seduloque officio, Sermum. istum principem ad illas induciarum conditiones conducere, quas omnes alii christiani principes concluserunt, quamvis nobis attentis prioribus duorum visum fuit. Ex quo eodem die per internuncios Serti. sue indicavimus, nos ab oratore cesareo, qui apud Mtem. regiam Polonie egerat, habuisse literas, quarum tenorem sue Serti. exponere desiderabamus. Per quos nobis respondere fecit, non esse in die Veneris sue Serti. consuetum ad suam presentiam aliquem admittere. Ex quo cum sequens dies XVII Veneris esset, illo die ad nos Sertas. sua suos consiliarios mittere volebat. Itaque sequenti die ad nos ipsi domini consiliarii se contulerunt: dnus. Theodorus Joanikarp et dnus. Georgiowicz, insimul et dno. secretarii et interpretes consueti. Quibus successum negotii tractati per oratorem correspondentem nostrum penes Sermum. Polonie regem, nec non et sententiam exposuimus, eisque ad ipsorum et nostram majorem satisfactionem in scriptis omnia dedimus.

PROPOSITIO TENORIS LITERARUM HABITARUM AB ORATORE PER DNUM. FRANCISCUM DE COLLO.

Procuravimus summo studio, magne dne. Basili, imperator etc., ut vra. Celsitudo in honorem salvatoris nostri Jesu Christi servitium fidei sue universeque reipublice christiane ac complacentiam optimi fratris sui Maximiliani, imperatoris dni. nostri, et denuo conformitatem et gratificationem omnium principum annueret induciis quinquennalibus cum Sermo. Polonie rege, postquam de pace in tam brevi spatio sicut expostulat necessitas presentis temporis ratio nec exitus haberi poterat, ut locus esset quanto citius amotis impedimentis ad universalem expeditionem adversus immanissimum Turcarum sectam prefate christiane reipublice sempiternam hostem; et ut citius ipsa christiana reipublica liberaretur ab imminenti periculo ob incrementum et victorias ipsius Turcarum secte adeo elate etc. Intelleximus animum et mentem Sertis. vre. ex propria sua scriptura et accessu consiliariorum, voluimus

voluimus etiam in conplacentiam suam nostrum nuncium cum literis et hortationibus nostris cesareo nomine et medio oratoris apud Sermum. Polonie regem ad hoc specialiter deputati expedire, ut et ipse Sermus. rex ipsis induciis annueret adjunctis illis conditionibus per Sertem. vestram in scripturis suis appositis, habuimusque ex literis prefati cesarei oratoris animum et deliberationem ejusdem Sermi. regis, qui in conplacentiam prefati Sermi. imperatoris et pro servitio universe reipublice christiane annuerit ipsis induciis quinquennalibus quando non arctarentur ad liberationem captivorum, quum indecorum id putaret, cum alias inter felicis memorie Sermos. Joannem, patrem Sertis. vre., et Alexandrum regem olim, fratrem ejusdem Sermi. regis Polonie, inite fuerint inducie absque eo quod liberarentur captivi, ipsis reservatis ad tractatum et conclusionem pacis, sicuti et de presenti reservari debere declarat. MDXVIII.

Quo vero ad oratores mittendos non fieret difficultas, quando ipse Sermus. rex sciret ipsos mittere ad rem conclusam et certam, dumque postea oratores Sertis. vre. ad eandem confirmationem et corroborationem mitterentur. Quo vero ad scriptionem civitatum et locorum in induciis, contentaret ipse Sermus. rex, quod, durantibus ipsis induciis, unusquisque staret in terminis suis et, quod possidet, quiete teneret.

Unde, princeps clementissime, cum tempus instet et mora amovenda ac salvatoris nostri ratio habenda sit et dignum, quod frater Sertis. vre. jam dictus Sacratissimus imperator videat exitum presentis negotiationis, ut posset ad alios necessarios progressus accedere, maxime postquam conclusum habet in dieta presenti Augustensi de concordia principum suorum et sacri imperii expeditione contra jam dictos Turcos, eodem cesaris nomine omni nostro officio et studio hortamur iterum Sertem. vram. ad concludendum et terminandum ipsas inducias simpliciter et secundum naturam induciarum, et sicuti inter alios reges et principes institutum et publicatum est, ne sola Sertas. vra., que Christi vexillum potissime sequitur tam sancte et necessarie expeditioni videatur obstare et esse impedimentum, cum jam prefatus Sermus. rex annuat se conformare cum ipsis christianis principibus et semper apud eos habiturus sit excusationem paratam et ne tam boni fratris longe et continue hortationes et preces cum tali assiduo labore et fraterno amore exposite videantur penitus inanes, utque demum sit spatium et commoditas terminandi pacem et mutuam ac eternam inter ambas Sertes vestras benivolentiam cum tranquillitate statuum et subditorum suorum ac omni felici incremento et omnipotentis dei gratia sempiterna.

Qui, nostris auditis propositionibus, respondere: nos a Sermi. sui principis consiliariis ore, a secretariis vero in scriptis tempore preterito et circa pacem et circa inducias ipsius Sermi. principis voluntatem habuisse. Attamen quod omnia Serti. sue referre volebant. Nos tunc ipsis persuasimus: Sermum. suum principem ad mutandum propositum hortari vellent ad adherendum se ad ordines ad legesque induciarum, quas omnes alii principes inierunt, cum sapientis esset, de bono in melius semper mutare propositum. Et quod si simpliciter sua Sertas. ipsis induciis annueret, honor, laus et utilitas maxima sue Serti. sequeretur. Ac alia verba ad rem spectantia. Et cum talibus recesserunt.

Die sequenti XVIII. predicti mensis Decembris ad nos reverterunt cum infra scripto responso. —

RESPONSUM

RESPONSUM MAGNI DOMINI BASILII, D. G. IMPERATORIS AC DOMINATORIS TOTIUS RUSSIE ET MG. DUCIS, MAXIMILIANI, E. IMPERATORIS ROMANORUM ET SUPREMI REGIS, ORATORIBUS, FRANCISCO ET ANTONIO.

MDXVIII. Mg. dnus. Basilius etc. mandat dici vobis. Retulistis consiliariis nostris ea, que scripsit vobis fratris nostri Maximiliani etc. orator Georgius, quod vos nobis dixistis ex parte fratris nostri Maximiliani etc., ut nos cum Sigismundo rege essemus in perpetua pace. Et si non posset inter nos pax perpetua confici, ut nos cum eo inducias acciperemus. Nos vero super hoc vobis responsum fecimus per nostros consiliarios et in scriptis mandavimus dare: quod cum Sigismundo rege pacem aut inducias volumus. Vos autem cum hoc nostro responso misistis ad fratrem nostrum Maximilianum etc. hominem Joannem a Turri et ad ipsius fratris nostri existentem apud regem Polonie hec eadem scripsistis, quomodo convenit inter nos pax cum Sigismundo rege vel inducie esse. Vos vero nunc retulistis consiliariis nostris, quod ille fratris nostri Maximiliani etc. orator ad vos rescripsit: quod apud regem Polonie summopere cum diligentia magna fecit, ut inducie inter nos essent cum restitutione captivorum sicut nos vobis in respondendo mandavimus dicere: sed ad ista regem inducere non potuit, ut fieret restitutio captivorum. Predictus autem orator ad vos scripsit, ut nos cum Sigismundo rege acciperemus inducias quinquennales absque restitutione captivorum ab utraque parte et sine specificatione arcium, oppidorum et districtuum, ut qualiter quomodo quisque possidet, id per hoc induciarum tempus quiete teneret, ut tantummodo arma deponerentur ab utraque parte.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Nos vero sicut prius ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. et etiam propter ipsius petitionem cum Sigismundo rege pacem aut inducias volebamus habere sicut convenit, ita et nunc ob amorem fratris nostri atque ipsius petitionem cum Sigismundo rege pacem vel inducias volumus. Convenit autem, ut inter nos et Sigismundum pax aut inducie fiant tales, sicut nos vobis responsum fecimus per nostros consiliarios et in scriptis mandavimus vobis dare.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Dixistis nostris consiliariis, quod ille idem fratris nostri orator ad vos scripsit, quod multum laboravit ad inducendum ipsum regem, ut cum induciis captivorum libertatem faceret. Rex autem atque ipsius consiliarii dixerunt: quod istud non ab illo factum, neque a consuetudine esse, et allegaverunt ita, quod iniciatur a nostro genitore, a Mg. dno. Joanne d. g. imperatore etc., quod induciis captivorum non est libertas.

Quando fecit inducias pater noster Mg. dnus. Joannes cum genero suo, Mg. duce Alexandro Lithuanie et qui ipsius dni. de Lithuania et alii homines inciderunt in manus patris nostri, et pater noster istis dnis. Lithuanie et hominibus in induciis libertatem non fecit.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Sed Sigismundus rex sicut antea non voluit nobiscum pacem nec bonam vicinitatem, ita et nunc non vult pacem nec bonam vicinitatem. Ipse et ipsius consiliarii interponunt talia injusta verba; attamen bene notum fratri nostro Maximiliano etc. existimamus, quod et vobis etiam illud est notum, qualia injusta opera

opera Alexander rex patri nostro Mg. dno. Joanni etc. fecit primum de filia genitoris nos- MDXVIII. tri et nostra sorore regina et magna ducissa Helena, quomodo ipse ei multa injusta opera fecit. Preterea infideles Tartaros super Christianos induxit et sanguis Christianorum per hoc multus effusus est. Insuper patris nostri ac nostrum patrimonium tenet sub se injuste ac in aliis multis actis patri nostro non satisfecit. Pater autem noster Mg. dominus Joannes etc. propterea ad generum suum Alexandrum regem multoties mittebat, ut Alexander rex patri nostro omnibus istis actis satisfaceret, sed Alexander rex de omnibus istis factis non satisfecit. Pater autem noster Mg. dnus. Joannes etc. non potuit illa pati, quod sibi talia magna injusta opera facta sunt, neque poterat videre effusionem sanguinis christiani, incepit cum Alexandro suum actum agere et egit sicut sibi deus adjuvavit. Alexander autem rex sciens illud, quod patri nostro de omnibus istis non satisfecit, missos habuit ad progenitorem nostrum dnum. Joannem etc. suos oratores, petens patrem nostrum, ut posset cum eo esse in perpetua pace. Sed hoc inter eos non potuit fieri. Tunc Alexander rex petivit patrem nostrum, ut acciperet cum eo inducias. Ipse autem in illis induciis ad patrem nostrum debuit mittere suos magnos oratores de suis injuriis factis per ipsum patri nostro, et in omnibus istis debuit patri nostro satisfacere. Tunc pater noster, Mg. dnus. Joannes etc. sicut prius ita etiam tunc non volens videre christiani sanguinis effusionem cum Alexandro rege accepit inducias ad tempus, propterea quod interim rex Alexander debuit mittere de istis injuriis suos oratores et de omnibus ipsius malefactis debuit patri nostro satisfacere. — Ergo illi captivi retenti fuerunt quousque Alexander rex patri nostro in omnibus istis satisfaceret. Alexander autem rex in istis annis ad patrem nostrum Joannem etc. suos oratores non mittebat, neque de omnibus istis satisfecit. Interim voluntas autem dei est facta. Pater noster migravit a seculo, et super ista dominia pater noster benedictionem ac gratiam fecit nobis, suo filio Mgno. dno., et rex quoque Alexander per voluntatem dei migravit a seculo, et in regno Polonie et magno ducatu Lithuanie constituerunt consiliarii Sigismundum regem. — Sigismundus autem rex et sui consiliarii ex suo callido consilio simili modo inceperunt magnas injurias nobis facere. Et bene notum est hoc fratri nostro Maximiliano etc., quia scripsimus sibi etiam cum nostris et ipsius oratoribus illa omnia sibi denudavimus. Post hoc vero Sigismundus rex missos habuit ad nos suos oratores, quatenus nos essemus cum eo in charitate et confederatione. Tunc nos causa amicitie et fraternitatis etiam propterea, ut inter nos esset pax et quies atque sanguis Christianorum amplius non effunderetur, cum Sigismundo rege facti sumus in charitate atque confederatione; qui vero domini ac nobiles ceterique homines Lithuanie ante suum regimen in nostris manibus fuerunt, nos istis dominis atque nobilibus ceterisque hominibus libertatem fecimus. De nostris autem hominibus tunc temporis nulli erant apud ipsum regem.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Nos vero etiam et nunc ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. cum Sigismundo rege pacem aut inducias volebamus sicut conveniebat inter nos pacem et inducias fieri. Quamvis autem magne injurie nobis a Sigismundo rege facte sunt, nos tamen ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. illas injurias volebamus omittere, Sigismundusque, rex, de quibus discordiis se obtulit ad voluntatem fratris

MDXVIII. tris nostri Maximiliani etc. et istis discordiis volens satisfacere et nobiscum volens pacem et bonam vitam, talia frustratoria verba interposuit, quod inter nos nec pax nec inducie conveniunt esse.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Etiam nunc si vult Sigismundus rex pacem aut inducias, nos ob amorem fratris nostri Maximiliani etc. cum Sigismundo rege pacem volumus etiam inducias quinquennales cum eo volumus. Convenit autem inter nos cum Sigismundo rege pax aut inducie esse tali modo, sicut nos vobis responsum fecimus per consiliarios nostros et in scriptis mandavimus vobis dare.

Quo audito responso et conclusione respondimus: quod tali responsione sumus perterriti, cum eam rem non expectabamus. Ad ultimum ex nobis ipsis volebamus tanquam Sertis sue optimi servitores, qui honorem utilitatemque sue Sertis. toto cordis affectu desiderabamus, que nobis occurrabant silentio non pretermittere. Immoque etiam Mgcias. suas hortabamur, ut ipse quoque vellent sicuti sui consiliarii ac optimi servitores pro omni debito rationis ipsas inducias Serti. sue persuadere supplicareque, ut ad eas annuere pro beneficio reipublice christiane proque desiderio et satisfactione imperialis Mtis. fratris sui charissimi contenta sit.

PERSUASIO SERMO. PRINCIPI PER ANTONIUM COMITEM.

Ea, que habuimus ab oratore cesareo agente penes Sermum. Polonie regem, Serme. Basili, princeps potentissime ac magne. dne., illa heri mgcis. Sertis. vre. consiliariis exposuimus, expectantes vero Sertem. vram omni religione plenam attentis simplicibus induciarum legibus, initis inter omnes reliquos principes christianos, nobis respondere pro beneficio, commodo ac decore totius reipublice christiane desiderioque cesaree Mtis. talibus induciis annuere velle, sicuti et Sermus. Polonie rex, respectibus predictis assensit, sed cum hodie per consiliarios vre. Sertis. eosdem post multa nobis exposita conclusum fuit: Sertem. vestram ad ipsas inducias condescendere nolle, nisi cum conditionibus nobis ore et in scriptis per antea datis. Nos igitur tali responso perterriti, beneficium totius Christianitatis considerantes atque fraternalem confidentiam ces. Mtis. erga Sertem. vram. nec non et ipsius vre. Sertis. honorem, non possumus tanquam sui optimi servitores, que nobis occurrunt, silentio mandare. Ex quo hortamur, suademus ac ea, que nobis convenit, reverentia Serti. vre. supplicamus, ut ipsis induciis annuat juxta conditiones ac leges omnium aliorum principum christianorum, qui eas simpliciter sine relaxatione captivorum, sine aliqua expressione civitatum ac locorum inierunt. Et animadvertat Sertas. vra. (que erga servitores suos in aliquo bono officio non defuit tanquam princeps optimus) quod si inter Sertem. vram. et Sermum. Polonie regem non erunt inducie, non propter illud Sertas. vra. illis captivis melius tempore belli quam induciarum subvenire poterit, nec propter illud illos ex captivitate liberabit, nec propter illud etiam iniendo bellum certam victoriam sperare poterit. — Quia, ut prudentissima vra. Sertas. non ignorat, ancipites semper eventus bellorum habentur et quod deterius, si non sequentur inducie, ab omnibus dicetur: Sertem. vram. causam fuisse solam, quod expeditio contra Turcos tam laudabilis tamque necessaria jam inter omnes

nes alios principes christianos conclusa ac determinata omitteretur cum tanta jactura, damno MDXVIII. ac dedecore christiani nominis sicuti sapientissima vra. Sertas. conjectare potest. Nec nobis proverbium quoddam Serti. vre. allegare inconveniens videtur, quod in Italia quotidianum habemus. Dicitur enim: melius est cum multis errare, quam solus videri sapiens. Igitur si inducie sequentur omne beneficium ac commodum reipublice christiane sequentur, in quibus nonne dubium, quod per cesaream Mtem. inter Sermum. Polonie regem vestramque Sertem. pax ac bona concordia tractabitur. Natura enim induciarum est ad animos placandos ad ipsam pacem et non ad aliud. Nam volunt philosophi, quod inter duo extrema semper detur medium. Quam ob rem suppliciter iterum atque iterum clementissime Serti. vre. supplicamus tanquam boni servitores, ut ipsis induciis pro bono reipublice christiane ac desiderio et satisfactione maxima cesaree Mtis. simpliciter sit contenta Sertas. vra. assentire.

Quod si per nos apud eandem impetrari non potest, Serti. vre. supplicamus (ad quam nostra mala sorte adventum nostrum infructuosum fuisse cognossemus) ut nobis licentiam impartiri dignetur, cum circa talem materiam nihil aliud tractare sciamus vel possimus (in qua nobis testis deus nullo bono officio defuimus) cum orator cesareus a Sermo. Polonie rege discesserit, sine quo nostra hic mansio superflua et frustratoria est, quos semper Serti. vre. cum omni humilitate commendatos nos reddimus.

Die XXIII supra nominati domini consiliarii etc. ad nos venerunt taleque responsum nobis dedere, ut infra:

Mgnus. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Dedistis in scriptis consiliariis nostris et ita scripsistis, quod habuistis ab oratore fratris nostri Maximiliani etc. a Georgio, qui fuit penes Sigismundum regem, vos illa nostris consiliariis declarastis petentes nos de induciis simplici modo sicut inducie inter fratrem nostrum Maximilianum etc. et alios reges et principes, ut nos vobis responsum faceremus ad beneplacitum et utilitatem omnium regum et principum propter commune negotium ac desiderium fratris nostri Maximiliani etc., ut ad illas inducias descenderemus, sicut rex Polonie vult descendere.

Mg. dnus. Basilius mandat dicere vobis, quod jam per consiliarios nostros multoties loquutum est: nos ad istas inducias descendere velle non aliter, quam sicut vobis ex parte nostra dixerunt nostri consiliarii et in scriptis vobis dederunt; vos vero de tali responsione perterriti estis et benivolentiam omnium regum et principum Christianorum considerantes et in nos confidentiam fratris nostri Maximiliani etc.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Vos autem petitis nos cum magnis adhortationibus, ut nos ad illas inducias quinquennales vellemus descendere sine restitutione captivorum et sine expressione arcium et oppidorum, et si non descenderemus ad hoc, quod ab omnibus diceretur: nos causam fuisse impedimentis expeditionis contra Turcas, et si nos ad istas inducias descenderemus, tunc omne bonum et bene placitum omnibus regibus et principibus et reipublice expeditio erit. Sub quibus quidem induciis dante deo absque dubio frater noster Maximilianus etc. inter nos et regem Polonie tractabit bonam pacem et concordiam, quia autem natura induciarum ad placandos animos ad ipsam pacem et non ad aliud; quam ob rem vos nos petistis cum magnis hortationibus, ut nos ad illas indu-

MDXVIII. cias vellemus descendere propter commune bonum regum et principum, etiam propter hortationem fratris nostri Maximiliani, electi imperatoris etc.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Sicut et nos antea ob fratris nostri Maximiliani, electi imperatoris etc. hortationem non negavimus et propter ipsius fratris nostri petitionem et propter causam istam, ut inter nos esset pax et quies atque Christianorum sanguis magis non effunderetur, cum Sigismundo rege pacem volumus habere et etiam inducias quinquennales tali modo sicut conveniunt inter nos inducias esse.

Mg. dnus. Basilius d. g. etc. mandat dicere vobis. Vos autem nunc dicitis ac si nos ad istas inducias quinquennales non vellemus descendere.

Mg. dnus. Basilius etc., mandat vobis dicere. Francisce et Antoni. Ponite in vro. intellectu: Sigismundus rex utrum justa opera et verba interponit sicut antea volens nobiscum esse in pace et in bona concordia et ille cum suis indirectis excogitationibus cogitavit injusta opera, ita et nunc nolens nobiscum pacem nec bonam concordiam, et ille cum suis non rectis excogitationibus excogitat injusta opera et interponit non vera dicta, notumque esse fratri nostro Maximiliano, quod etiam et vobis notum, qualia injusta opera Sigismundus rex nobis fecit, fraterque noster Maximilianus non una vice nobis significabat cum suis oratoribus atque in literis suis nobis scribebat, et postea missum habuit ad nos oratorem suum Sigismundum Erberstain, ipseque ex parte fratris nostri nobis declaravit, quod de omnibus discordiis Sigismundus rex obtulit se fratris nostri Maximiliani voluntati, ut nos causa fratris nostri hortationis Sigismundo regi et ipsius injusta acta, in quibus non satisfecit, omitteremus et cum ipso nos essemus in pace atque in bona concordia. Nos vero ob amorem fratris nostri Maximiliani et causam istam, ut inter nos esset pax et quies et sanguis christianus magis non effunderetur Sigismundo regi qualia facta volebamus omittere, in quibus nobis non satisfecit. Sigismundusque rex missos habuit ad nos suos oratores et quomodo antea excogitabat suis injustis cogitationibus injusta opera, etiam tunc in animo habuit injusta opera nolens nobiscum pacem nec bonam vitam. Dixeruntque sui oratores qualia injusta negotia et dicta interponebant predicti regis oratores. Nos vero putamus, quod illa fratri nostro ab oratore ipsius bene sint nota. Sed inter nos tunc pax non fuit facta non ex parte nostra, sed ex parte regis, propterea, quod ipse suis oratoribus injusta negotia et dicta commisit. Vos autem nunc dicitis, quod nos ad illas inducias quinquennales non inclinemus; sed nos istas inducias quinquennales non negamus, volumusque cum Sigismundo rege inducias per quinque annos sicut conveniunt inter nos inducias esse, Sigismundusque rex, sicut antea nolens nobiscum pacem et bonam vitam, talia injusta negotia et dicta interposuerat, quod inter nos cum eo pax non convenit esse. Que vero injuste cause et dictiones nunc Sigismundus rex interponebat, de hoc vobis nota actio est et quod antea ipsius mentis oratores sui dicebant, quas injustas causas et dictiones, nos illa mandavimus vobis declarare nostris consiliariis.

Francisce et Antoni. Que injuste cause et dictiones Sigismundi regis oratores dixerint, magnus dnus. noster mandavit nobis illa vobis narrare.

Mg. dnus. noster mandavit cum oratoribus loqui suis consiliariis, fratris autem domini vestri Maximiliani orator Sigismundus ab Erberstain ibi presens fuit, magnique dni. nostri consiliarii

siliarii locuti fuerunt oratoribus regis de patrimonio domini nostri, de civitatibus Russie, MDXVIII. quas civitates patrimonium dni. nostri Sigismundus rex et nunc tenet sub se injuste. — Notumque hoc fratri nostro Maximiliano etc, quod a progenitoribus dnis. nostris Russie castra et terre totaque Russie terra, ab initio patrimonium dominorum nostrorum, Sigismundus autem rex sicut antea hoc cogitabat suis injustis cogitationibus injusta opera, et tunc suis injustis cogitationibus injusta opera cogitavit. Dixeruntque oratores sui injusta dicta, ut magnus dnus. noster restitueret regi de suo patrimonio Russie civitates, que cum dei voluntate a progenitoribus domini nostri eorum patrimonium est: *Wezmam, Dorogobusam, Belam, Toropsam, Brianscam, novum castrum Seberiense, Putible* et alia castra atque totam Seberiam, que castra cum Dei voluntate recuperatus est genitor dni. nostri magnus dnus. Joannes, et quod suum patrimonium recuperavit dnus. noster magnus Basilius *arcem Smolensem.* Ipsi de illo dixerunt, ut dnus. noster illud suum patrimonium, quod sibi deus dedit, Sigismundo regi redderet. Attamen, Francisce et Antoni, ponite in vestro intellectu: utrum recta illa facta et dicta Sigismundus rex interponit, et utrum convenit ita inter dnos. pax confici, quod dnus. noster illud suum patrimonium dimitteret, quod patrimonium cum dei voluntate ex progenitoribus ipsorum eorum patrimonium est: et ille sicut antea interponebat injusta dicta, ita et nunc interposuerat injusta dicta nolens cum dno. nostro pacem neque concordiam. Tunc etiam consiliarii dni. nostri in presentia Maximiliani oratoris Sigismundi oratoribus regis dixerunt ita, quod dnus. noster suum patrimonium, quod cum dei voluntate recuperavit, Sigismundo regi nullatenus vult permittere. Francisce et Antoni: tunc Sigismundus rex ex callido et injusto suo consilio interponebat injusta facta et dicta, dixeruntque sui oratores injusta dicta de hereditate dominorum nostrorum, quod a progenitoribus domini nostri hereditas est ita. Consiliarii domini nostri ipsis negaverunt. Sigismundus autem rex etiam et nunc interposuit alia injusta facta, quod inter dominum nostrum et Sigismundum regem non potest pax confici. Ponite, Francisce et Antoni, in vro. intellectu, propter quam causam Sigismundus rex vult tenere penes se domini nostri homines et a dno. nostro non vult accipere suos homines, domini nostri homines regi non hereditas, nec lithuanenses homines domino nostro hereditas. Dominus vero noster et antea cum Sigismundo rege factus fuit in pace, et dominus noster sibi tunc non ipsius homines reddidit, quia tempore fratris ipsius, qui Lithuanenses homines inciderunt in manibus domini nostri, dominus autem noster volens cum eo pacem et bonam concordiam, istos homines sibi restituit. Et si fortassis rex propter aliquam aliam causam homines dni. nostri vult apud se tenere, et sicut dominus noster cum dei voluntate obtinuit suum patrimonium, civitatem Smolensem, ita dominus noster cum dei voluntate illud suum patrimonium vult sub se tenere. Illud vero suum patrimonium dominus noster nullatenus permitteret; pacem autem dominus noster ob amorem fratris sui Maximiliani electi imperatoris etc sicut antea cum Sigismundo rege voluit, ita et nunc cum eo facere vult. Si vult et nunc Sigismundus rex cum domino nostro pacem vel inducias, tunc cum Sigismundo rege esset pacatus vel inducias acciperet illo modo, sicut vobis a dno. nostro consiliarii sui in responso dixerunt et in scriptis nobis dederunt.

Qua audita responsione et querela diximus: quod valde doleamus Serenitatem suam ad illas simplices

MDXVIII. simplices quinquennales inducias condescendere nolle, sicut cesarea Mtas. et nos nomine sue Mtis. totiens pro beneficio, bono, utilitateque totius Christianitatis hortati suam Sertem. ac etiam nos tanquam boni servitores sue Serti. persuasimus supplicavimusque eo magis, cum nulli dubium esset, quod in ipsis induciis pax et bona concordia inter Sertes. suas per Mtem. cesaream pertractata fuisset.

Quod vero ad propositiones petitionesque Sermi. Polonie regis oratoris diximus Mti. sue imperiali illa omnia nota esse, et quod illa de causa volebat sua Mtas. cesarea, ut pax juxta conditiones federis, que prius inter Sermum. Polonie regem et Sermum. principem facta fuerunt, concluderentur, quod ut Dtionibus. suis constabat Sermo. suo principi non placuit. —

Quibus a nobis perceptis, propositionem in scriptis suo idiomate solito suo more legerunt, que nobis ab interprete exposita fuit ut infra.

RESPONSUM MAGNI DOMINI BASILII, DEI GRATIA IMPERATORIS AC DOMINATORIS TOTIUS RUSSIE ET MG. DUCIS, MAXIMILIANI ELECTI IMPERATORIS ROMANORUM ET SUPREMI REGIS ORATORIBUS, FRANCISCO ET ANTONIO.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Misimus ad vos consiliarios nostros in mandatisque eis dedimus vobis loqui, quod nos ob amorem fratris nostri Maximiliani cum Sigismundo rege pacem volumus si voluerit nobiscum et Sigismundus rex et inducias quinquennales. Nos vero cum eo inducias volumus.

Mg. dnus. Basilius etc. mandat dicere vobis. Etiam illud nos mandavimus nostris consiliariis vobis dicere, quod vos nos petivistis, ut nos propter fratris nostri Maximiliani hortationem cum Sigismundo rege arma deponeremus per quinque annos. Nos autem mandavimus nostris consiliariis vobis dicere, quod nobis ad quinque annos arma deponere non convenit, propter autem fratris nostri Maximiliani etc. hortationem cum Sigismundo rege arma deponimus ad tempus, in quo inter nos et fratrem nostrum Maximilianum etc. potestis vos oratores transire in quatuor mensibus aut in quinque. Vos autem dixistis nostris consiliariis, quod illud tempus est breve et ut nos vellemus tempus prolongare.

Qua propositione intellecta, respondimus. Nobis non attinere in induciis tempus augere vel minuere, et quod sicut pro satisfactione imperialis Mtis. ipsis induciis simpliciter ad tempus annuere volebat, etiam sua Sertas. ipsis quinquennalibus induciis assentire poterat, ut rem gratissimam sue cesaree Mti. beneficiumque universe reipublice christiane faceret. Qui nobis replicarunt: illam sui Sermi. principis ultimam esse voluntatem et quod aliter ad ipsas simplices inducias condescendere nolebat. Nos tunc respondimus, quod postquam res ita determinata se habebat, quod vero nobis molestissimum audire erat, supplicabamus, quod ad minus Sertas. sua nobis licentiam impartiri dignaretur. Qui omnia illa Serti. sue referre velle dixerunt.

Die sequenti XXIIII dnus. Joannes Georgiowicz cum secretariis interpretibus ad nos venit, dixitque: Sermo. principi retulisse, nos a Serte. sua licentiam petere; qui Sermus. princeps nobis

nobis significabat; velle nos die penultimo presentis expedire: insuper quod ad manus nostras Sertas. sua suos nuncios ad Mtem. suam imperialem dare volebat. Quibus diximus: quod nobis gratissima licentia erit, cum nostra hic mansio infructuosa esset, sed quoad nuncios vero: quod illos sine salvo conductu Sermi. Polonie regis super dominia regie sue Mtis. conducere non ausi essemus, adducentes, quod quando ad istas partes Sertis. sue oratores (qui ad cesaream Mtem. fuere) reducere volebamus ex Vienna, nisi prius a sua regia Mte. habitis literis patentibus non discessimus, et quod ut Sertas. sua non crederet, nos suos oratores recusare, qui vero Mti. imperiali semper fuerunt nec non et erunt gratissimi, pro salvo conductu mittere volebamus. Qui si veniret, in simul omnes per unam viam ivissemus, sin autem cum propter habitam egritudinem adhuc etiam ego Antonius non bene me habeam, per Lithuaniam proficiscerer, et ego Franciscus cum ipsis sue Sertis. oratoribus per aliam viam irem. Qui responderunt: se omnia principi Sermo. exponere velle. MDXVIII.

Dieque sequenti solennissimo nativitatis domini nostri Jesu Christi ad nos supra nominatus dominus Joannes una cum secretariis et interpretibus rediit nobisque replicavit: penultimo presentis Sermum. principem de omnibus nos expediturum esse, et quod a nobis cum omni instantia Sertas. sua requirebat, ut hic Joannem, forarium nostrum, pro societate oratorum suorum dimitteremus expediremusque nuncium nostrum pro salvo conductu, qui vero nuncius, si salvum conductum a Sermo. rege impetraret, nobis cum illo obviam veniret, quem ad nostras manus perventum ad suam Sertem. mitteremus; quo habito quam citissime suos expediret oratores. Sin autem ipsum obtinere a regia sua Mte. non potuissemus, quod per literas nostras Sertem. suam certiorem redderemus, quia circa illos aliam expeditionem procuraret. Quibus petitionibus (ut nobis visum) honestis contradicere nescientes, omnia illa corroboravimus petivimusque, ut nobis specialiter illud verbum ad tempus prius nobis propositum declararent. Qui responderunt: quod ipsum intelligebant ad quatuor vel quinque menses. Quibus diximus, quod nobis impossibile ac fere derisorium videbatur, quod in quinque mensibus oratores sui possent ire ad cesarem insimulque tractare et redire. Et quod melius fuisset, quando Sermus. Polonie rex ipsis induciis daret locum ad tres annos, ad duos, vel ad minus unum ipsas inducias concludere. Que omnia referre dixerunt Sermo. principi.

Die autem XXVIII idem dnus. Joannes cum supradictis ad nos venit reiteravitque expeditionem nostram ut supra, dixitque, quod Sermus. princeps contentabatur ipsas inducias cum Sermo. Polonie rege simpliciter ad annum quandocunque regia sua Mtas. ipsas habere vellet, qui vero annus haberet principium a die nativitatis dni. nostri Jesu Christi preterite usque ad diem futurum similiter nativitatis, ut per suam scripturam hic infra apparet, superque forma capitulorum disputationem habuimus, quibus tamen conclusimus, quod tantum opere pretium erat, ut quilibet ipsorum princeps arma deponeret, quod ut qualiter et quod quisque possideret, illud per id induciarum tempus quiete teneret.

RESPONSUM SERENISSIMI PRINCIPIS.

Mgs. dnus. Basilius mandat dicere vobis. Nos autem propter fratris nostri Maximiliani etc. hortationem Sigismundo regi arma nostra deponemus per annum a festo nativitatis Christi anno

MDXVIII. anno septimo millesimo vigesimo septimo usque ad festum nativitatis Christi ad annum septimum millesimum vigesimum octavum, ut tempore illo inter nos et fratrem nostrum Maximilianum etc. oratores possint ire et redire, etiam ut inter nos cum Sigismundo rege pax et bona concordia effici possit. In eodem autem tempore Sigismundus rex mittat ad nos suos oratores de pace. Nos autem sicut antea propter fratris nostri Maximiliani etc. hortationem cum Sigismundo rege pacem volebamus, ita et nnnc ob amorem fratris nostri cum Sigismundo rege pacem et bonam concordiam volumus. Et si vult nobiscum Sigismundus rex inducias, nos etiam cum eo inducias quinquennales volumus. Et quomodo convenit inter nos cum Sigismundo rege pax vel inducie esse, illa vobis nostri consiliarii in responso dixerunt et in scriptis dederunt, tali modo inter nos cum Sigismundo rege pax aut inducie convenit esse.

Dieque sequenti ad nos prefatus dnus. Joannes rediit intimavitque nobis ut supra expeditionem, exposuitque: Sermum. principem mentis esse, ut expediremus pro salvo conductu unum ex nostris familiaribus; super qua expeditione habuimus difficultatem et nihil conclusum, habuimusque disputationem supra titulos, ut in adventu nostro regie vre Mti. exponemus.

CCCLXXXVI. Sigismundus, Rex Polonie, Consiliariis Ducatus Lithuanie.

Cod. B. Mgci. sincere nobis dilecti. Venit ad nos ex Moscovia ab oratoribus ces. Mtis. nobilis Joannes de Turri, collega ipsorum, referens nobis, in quibus conditionibus tractatus pacis et induciarum inter nos et ducem Moscovie consistunt, interfuit enim collocutionibus omnibus et descriptionem earum secum attulit, cujus copiam mittimus vestris Sinceritatibus. Ex qua licet plane omnia simul et diligentiam ipsorum oratorum ces. Mtis. intelligent, tamen totius tractatus hec summa est.

Consentit dux Moscovie nobiscum pacem perpetuam causa ces. Mtis. et rei christiane inire, sed hac lege, ut nuncios nostros mittamus, utque ipse arcem et totam terram Smolnensem retineat, inducias autem non alia conditione facere vult, nisi ut captivi omnes utrinque restituantur et nuncios etiam nostros pro ipsis induciis ad eum mittamus cum plena facultate prestandi juramentum. Unde apparet illum etiamsi nos ad eum mitteremus, suos nuncios ad nos mittere nolle, et propter istas conditiones nullo modo aliquid aliud efficere apud illum oratores ipsi potuerunt. Que quidem conditiones, etsi videntur nobis et indigne nimium et non ferende, tamen nihil respondere voluimus absque consilio vestrarum Statum., que perpendentes hujus belli gravitatem et econtra damnum et ignominiam ex conditionibus, quas hostis proponit consulant, id quod illis melius et honestius videtur et nos quam celerius de ipso consilio suo faciant certiores; oportet enim ut oratoribus cesaree Mtis. respondeamus cito de ultima voluntate nostra, qui nihil aliud illic in Moscovia, quam responsum a nobis expectant, et hostis ut diximus propter conditiones expressas ad nihil aliud equius aut honestius vult consentire.

CCCLXXXVII. Sigismundus, Rex Polonie, Nicolao Radivilo, Palatino Vilnensi.

Mgce. dne. Quando ad nos venit Joannes Christophorus a nunciis defuncte cesaree Mtis., MDXVIII. (MDXIX.) Cod. R.
qui erant in Moscovia et ex eo ac literis pariter, quas attulit, intelleximus, ducem Moscovie non nisi ad inducias unius anni consentire voluisse, licet breve hoc nimis tempus induciarum nobis visum fuit, tamen et causa rei christiane, et ne labor et opera dictorum nunciorum esset frustra, constitueramus Sinceritati tue committere ut ad eosdem nuncios accedens edoceret eos juxta instructionem hanc quam illi mittimus, qualiter se ulterius in eodem negotio induciarum gerere deberent. Sed quia certo accepimus, ipsos nuncios ad nos adventare et propediem hic futuros et scientes etiam quia Stas. tua celebratura est nuptias filie sue die dominico proximo, decrevimus adventum eorundem nunciorum expectare; et quando huc venerint edocebimus eos ipsi, qualiter ad ducem Moscovie scribere debeant, ejus animum pertentando: utrum defuncto cesare ipsas unius anni inducias servare vellet nec ne. Et interim tua etiam Stas. nobis consilium et sententiam per hunc cubicularium nostrum describat, qualiter illi hec nostra deliberatio, quam ex instructione cognoscet, placeat, ut si quid aliud magis expedire putabit, declaret. Et bene valeat Datum Piotrkowie in conventione generali feria IV. prox. post f. S. Valentini.

CCCLXXXVIII. Instructio a Sigismundo, Rege, ad oratores defuncti Cesaris Maximiliani, mittenda in Moscoviam.

Que antequam mitteretur, oratores cesarei Moscovia digressi jam ad Lithuaniam et Poloniam adveniebant.

Quando Mtas. regia intellexerat vras. Dtiones. cum oratoribus ducis Moscovie ab ipso duce Cod R.
redire, scripserat illis de morte cesaree Mtis. sibi vehementer tristi et dolenda, hortataque illos fuit, ut quoquo modo curarent se illinc ex Moscovia educere, ne apud gentem illam efferam et omnis humanitatis expertem ad discrimen vel ad servitutem aliquam venirent. Supervenit deinde ab illis Joannes Christophorus cum literis, ex quibus Mtas. illos ad Lithuaniam pervenisse cognovit, simul et omnia intellexit, que in descriptione tractatuum per vras. Dtiones. in Moscovia habitorum, quam idem Christophorus attulit, continebatur. Et licet Mtas. sua parve utilitatis sibi et rei christiane esse censet, ut inducias ad unum duntaxat annum cum duce Moscovie suscipiat, tamen ne eidem rei christiane aliquo modo ex se deesse videretur et ne earundem Dtionum. vrarum. tam diuturna opera frustra foret, contentam esse Mtem. suam, easdem inducias unius anni conditionibus per eas condictis suscipere, sed velle, ut quasi nulla resolutione ab ea Mte. regia habita, uti longe in regno existente, scriberent ex ipsis duci Moscovie in eum sensum.

Pervenisse

MDXVIII. (MDXIX.) Pervenisse vras. Dtiones. ad Lithuaniam, ubi licet de morte sue cesaree Mtis. essent facti certiores, tamen intelligentes hanc suam actionem non de solius ejus defuncte Mtis. instituto et desiderio, sed etiam de studio et intelligentia imprimis summi pontificis, demum aliorum regum et principum christianorum processisse, quo inita concordia vel induciis inter omnes nihil obstaret ad expeditionem tam necessariam contra communem christiane religionis hostem prosequendam, non visum fuisse vestris Dtionibus. infectis penitus rebus hinc discedere et operam suam in nihilum verti permittere, hortarenturque nomine suo ducem Moscovie, ut cum earum nuncio Georgio mittat ad eas suum levem nuncium, coram quo inducie unius anni, de quibus conventum est, a Mte. regia firmarentur. Quandoquidem oratores illi, quos cum eis destinavit, iter prosequi non deberent, defuncta cesarea Mte., vel si videretur illi potius, ut si Mtas. sua levem similiter nuncium prius ad illum pro confirmatione earundem induciarum destinaret, mittat ad eos quam celerius pro eodem nuncio salvum conductum. Ipsas vero Dtiones. curaturas esse apud Mtem. regiam omni studio, ut easdem inducias ita suscipere dignaretur, et licet adhuc nihil comperti haberent a sua Mte., tamen se sperare, quod propter rem christianam, et ut hortatibus summi pontificis et aliorum principum Mtas. sua satisfacere videretur, saltem ad easdem inducias unius anni non gravate consentiret.

Et proinde hortabuntur Dtiones. vre., ut et ipse dux in ea re dicto summo pontifici et aliis Germanicis principibus, qui nunc imperium christianum humeris suis sustinent, demum et futuro imperatori gratificetur, qui haud dubie omnia per suum predecessorem de expeditione generali cepta prosequi curabit, volentibus et ad hoc concordantibus omnibus aliis regibus et principibus christianis.

Ad hanc sententiam ut scriberent vre. Dtiones. duci Moscovie extendendo et texendo rem prout melius ex sua prudentia et cognitione, quam de illo duce jam ceperunt, intelligent, addendo et ea, que putabunt efficacia esse ad rem ita cum dignitate regia perficiendam.

CCCLXXXIX. Sigismundus, Rex Polonie, Erasmo, Ciolek, Epo. Plocensi, Oratori suo Rome.

Cod. R. Reddite sunt nobis litere vre. Ptis. primum per Braniczki deinde per nuncium Illme. dne. ducis Isabelle, matris nostre charissime, postremo, quibus copiose omnia a suo usque ingressu Romam, et que istic geruntur, perscripsit, quo nobis rem valde gratam fecit. Accepimus et gratiam Jubilei et nominationes Serme. domine conjugi nostre expeditas aliaque id genus, que nobis misit, pro quibus omnibus gratias habemus vestre Pti. de opera impensa, quam plurimum commendamus; sumptum vero, quem in expeditione literarum fecit resarciri illi commisimus. Postulamus autem ab illa, ut et ea que expedire cepit jamque pro parte expedivit ac alia negotia nostra sibi commissa perficere non desistat et curet illa ex animi nostri sententia expedire.

Ceterum redeuntes ex Moscovia oratores defuncte cesaree Mtis. retulerunt nobis, se illic bona

bona fundamenta pacis vel induciarum quinquennalium jecisse, ad quas per eandem cesaream Mtem. conficiendas statuissent cum duce Moscovie inducias unius anni. Verum quia mortem illius cesaree Mtis. non habebant adhuc in Moscovia compertam et nos minime dubitavimus, omnes eorum tractatus morte cesarea apud ducem illum irritum ituros, abstinuimus a missione illuc ad easdem inducias unius anni firmandas, ne quam inde ignominiam vel indignitatem subiremus. Et proinde nunc sublata ex humanis cesarea Mte., que bellum hoc nostrum sistere debuit, non videmus, qui commodius et decentius se ad hoc negotium interponere deberet, quam Sctmus. dominus noster, si, uti est summe necessarium, cupit ceptam generalem expeditionem prosequi, cui nos, tanto bello impediti, conjungere nequaquam possemus. Agat igitur Ptas. vra. apud ejus Sctatem. ut ad hoc ipsum bellum componendum, vel inducias quinquennales faciendas, mittere huc dignaretur ocius aliquem hominem prudentem, maturum et probum, non religiosum et qui affectu suo ad aliquam partem transversum non ageretur, sed hoc solum intenderet, ut illius Sctis. commissa exequeretur. MDXVIII.

Ceterum quia multi predecessores nostri tentaverunt apud sedem apostolicam pacem inter regnum nostrum et ordinem factam confirmari, sed ab imperatoribus ex Almania, quominus id assequi potuerunt, semper impediebantur, unde omnis nostra difficultas dependet, videtur nobis et volumus, ut Ptas. vra. agat apud solum Sctmum. dnum. nostrum, nemini prorsus mortali id communicando, quo ejus Sctas. dignaretur nunc eo tempore vacationis imperii pacem et concordiam ipsam inter regnum nostrum et ordinem factam confirmare. Multum enim Sctas. sua reipublice christiane hac re commodaret, cum absque ea confirmatione ordo nobis repugnare non cessabit, et nos itidem juribus nostris deesse non poterimus, et ita semper erit perturbatio et impedimentum contra Infideles rebus bene gerendis. Agatque id Ptas. vra. diligenter etiam largitione aliqua oblata et, ut diximus, cum solo pontifice et nullo penitus alio.

Quod autem ad electionem futuri imperatoris attinet, quia nondum scimus, quorsum animi dominorum regni Hungarie et Bohemie (sine quibus nihil integrum est nobis facere) inclinabunt, quorsum item electores tendere voluerint, sentimus autem multa, que nos ancipites reddunt, et multum interest nostra, ut quisquis sit cesar futurus, fiat nobis favorabilis, non possumus adhuc quidquam certi de voluntate nostra Pti. vestre significare. Verum quando intelligemus mentem dnorum. Hungarie et Bohemie, ad quos in ea re scripsimus, edocebimus illam, quid facere, et qualiter se gerere in hoc negotio debebit et ipsa etiam istic existens pervestiget omnia et nobis per hunc nuncium nostrum ex Neapoli revertentem singula describat, ac ne contra ventos navigemus diligenter prospiciat. Valeatque feliciter.

CCCXC. Leo, Papa X.
Zacharie, Epo. Gardiensi, Prelato domestico et Referendario secreto, Nuncio suo.

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. Cum singularem fidem ac industriam tuam pluribus experimentis perspectam habeamus ac speramus, quod ea que tibi per Cod. R.

MDXVIII. nos commissa et injuncta fuerint, omni studio ac diligentia perficere curabis, licet venerabilibus fratribus, archiepo. gnesnensi ac premisliensi episcopo per alias nostras literas jam pridem commiserimus, ut de vita, gestis ac miraculis beati Casimiri ex regibus Polonie, quem charissimus in Christo filius noster Sigismundus, Polonie rex, canonizari et in sanctorum cathalogum referri desiderat, se diligenter informarent ac omnia per eos inventa in processu facerent annotari eumque clausum ac eorum sigillo munitum ad nos transmitterent, nihilominus ad rei veritatem melius indagandam, Fraternitati tue, quam ad partes ipsas nostrum apostolice sedis nuncium destinamus, committimus: ut de prefati Casimiri vita gestis atque miraculis per eum dum viveret ac post ejus obitum factis diligentissime inquirat plenamque de omnibus notitiam nobis referat seu per suas literas significet, ut re mature ac diligenter cum venerabilibus fratribus nostris s. rom. eccl. cardinalibus discussa, deliberare possimus: an idem Casimirus, de quo multa predicantur, non propter natalium splendorem ac regium sanguinem, sed propter virtutis ac vite sanctissimoniam sit dignus, qui in cathalogum sanctorum jure ac merito referatur. Datum Rome apud s. Petrum sub annulo piscatoris die XV Septembris.

CCCXCI. Legatio a Sigismundo, Rege Polonie, ad Maximilianum, Romanorum Imperatorem, data Joanni Dantisco, Secretario regio.

DICENDUM.

Cod. G. Quod Illma. dna. dux Bariensis significavit Mti. regie, Sermam. dnam. Joannam, reginam Neapolis, fato functam et se ab illa heredem bonorum ejus omnium mobilium ac immobilium testamento esse constitutam. Quorum immobilium bonorum possessionem obtinere non posset absque favore et consensu Sermi. dni. Caroli, Hispaniarum regis Catholici, postulavitque, ut Mtas Polonie ageret cum apud Sermum. dnum. Maximilianum, cesarem Romanorum, tum apud ipsum Sermum. dnum. regem Catholicum, quo id testamentum in firmitate et robore suo conservaretur. Qua propter, quum Mtem. regiam deceat pro debito necessitudinis res et negotia ipsius Illme. dne. ducis Bariensis eque habere cordi atque sua ipsius propria, rogare illam omni studio cesaream Mtem., ut operam et commendationem suam in ea re modo quo meliori poterit, faciat ad ipsum dnum. regem Catholicum, quo illius Mtas. ratum habere velit dictum testamentum, et dnam. ducem Bariensem in possessione bonorum illi relictorum permittere et conservare dignaretur. Quod Mti. regie non minus esset gratum quam negotium suum proprium, velletque vicissim ejus cesaree Mti. et Sermo. dno regi Catholico id omni studio amore et gratificatione sua semper referre.


CCCXCII. Instructio a Sigismundo, Rege Polonie, data Joanni Dantisco, Oratori, ad Carolum, Hispaniarum Regem.

Cod. G. Intellexisse Mtem. regiam, Sermam. dnam. Joannam, reginam Neapolis, decessisse et Illmam. dnam. ducem Isabellam Mediolani et Barii, heredem suorum bonorum omnium mobilium et

et immobilium scripsisse, que sine voluntate et ratihabitione dni. regis Catholici obtinere non posset. Et quoniam non ignorat Catholica illius Mtas., contractam esse affinitatem inter Mtem. regiam et dictam dnam. ducem Isabellam, quando eam arctiorem conjunctionem cum dno. rege Catholico Mti. sue ita ut erat cum ejus Mtis. tunc cesaree Celsitudinis desiderium fata negaverunt, decere hac necessitudine, ut res et rationes omnes prefate dne. ducis Isabelle sint Mti. sue eque cure et cordi, quam sue ipsius proprie, proinde misisse nuncium suum ad illius Mtem. Catholicam et petere optareque ab illa omni studio, quo testamentum hoc ratum habere et ipsam Illmam. dnam. ducem Isabellam in possessione bonorum sibi relictorum conservare et manutenere velit idque illius Mtas. facere dignetur, vel hac causa, quod olim eadem dna. dux Isabella magno adjumento fuerat olim Sermo. dno. regi Hispaniarum, avo illius Mtis. in assequendo regno Neapolitano, et propterea faceret illius Mtas. rem se dignam, qua etiam et ces. Mti. gratificaretur et Mtem. regiam sibi perpetua benivolentia et amore devinciret. MDXVIII.



Series Actionum, Legationum, Literarum etc. quae in hoc quarto Tomo continentur.



Emendanda.

Pag. 53. XVI. legas LVI.
145. CLXXIII. — CLXIII. CLXIV. etc.

Ex officina typogr. A. Popliński. Posnaniae.



